Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/scaesariidialogi00caes

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

PATRES QUARTI ECCLESIAE SAECULI.

S. CÆSARIUS, MEDICUS.
S. DIDYMUS, CÆCUS, ALEXANDRINUS.
S. PHŒBADIUS, AGINNENSIS EPISCOPUS.

LIII.

PROSTAT INSUPER VENALE

MONTIS PESSULANI.

APUD VIRENQUE, BIBLIOPOLAM,

PARISIIS,

APUD BIBLIOPOLAM, CUI NOMEN GALLICE :

SOCIÉTÉ POUR LA PUBLICATION DES BONS LIVRES,

Rue des Saints-Pères, 16.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO BOURGOGNE ET MARTINET.

VULGO DICTA DU COLOMBIER, 30.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

CANONICO HONORARIO CENOMANENSI ET CADURCENSI,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

EPISCOPO MAROCHIENSI, IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI SACRÆ ELOQUENTIÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS QUINQUAGESIMUS TERTIUS.

PARISIIS,

APUD PARENT-DESBARRES, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DE SEINE, 48.

M. DCCC. XXXVI.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY
JUN 4 1937.
9829

SANCTI CÆSARII

MEDICI

DIALOGI IV.

SANCTUS CÆSARIUS

MEDICUS,

S. GREGORII NAZIANZENI FRATER.

(ANN. 368 AUT. 369.)

GRÆCUS.

Cæsarius Nonnæ lectissimæ fœminæ, et Gregorii veteris, Nazianzi antistitis, filius, sancti autem Gregorii Nazianzeni frater, discendi ardore flagrans, Alexandriam adiit, quæ doctrinarum omnium quasi gymnasium haud immerito tunc temporis habebatur. Hic humanioribus et philosophicis, imo et artis medicinæ disciplinis egregie satis excultus Constantinopolim se contulit, quo pariter Gregorius Theologus, germanus ejus frater, Athenis redux, commigrarat. Tantam ibi nominis celebritatem est consecutus, « ut publici honores, et nobile » matrimonium ac senatoria dignitas illi fuerit oblata; » quin et communi decreto ab imperatore Constantio, » qui tunc in Italia degebat, per legatos petitum sit,

BQ
1264
.L3

» ut principem urbem viro eruditorum principe ho-
» nestari vellet, atque ad cæteras illius laudes hanc
» accedere, ut Cæsario et medico et cive ornaretur.
» (*Greg. Naz. Orat. X.*) » Tantis autem posthabitis precibus pietatem erga parentes præferre maluit, et redeuntem fratrem in patriam comitari.

Deinde vero artis suæ primitiis urbi matri consecratis, aulam ita ingredi præsumpsit, ut domus augustæ archiater crearetur, eo tempore quo Julianus Apostata rerum potiebatur, invitis planè ipsius parentibus, maxime vero fratre Gregorio, qui propterea gravissimas ad eumdem litteras dedit. Obsecutus est tandem aliquando germano monenti Cæsarius, ejusque consilio, postquam egregium fidei christianæ specimen coram imperatore exhibuisset, ad suos reversus est. Sublato autem Juliano, sub Valente Quæstoris munere in Bythinia functus, cum ad officii sui partes explendas Nicææ ageret, anno Christi 368 desinente, maximo omnium terræ motu exagitatus, et miraculose cum paucis servatus, sed morbo correptus, sacroque demum baptismate regeneratus mortem non multo post obiit, pauperibus omnium bonorum relictis hæredibus. Defunctus est « medio in munere (*Greg. Naz. Carm.* » *de Vita sua.*) » extra patriam, ejusque cineres ex Bythinia Nazianzum fuisse delatos idem ipse testis est Theologus. (*Carm.* LX. *edit. Murat.*)

Sub tanti viri nomine circumferuntur quatuor Dialogi, qui illi a D. Ceillier et Tillemontio abjudicantur, sed, ut videtur, immerito. Vanum enim illud est quod primo objicitur, nempe illum non potuisse per viginti annos a secretis Constantinopoli fuisse, cum viginti annos Constantinopoli non egerit. Lambecius enim in operis inscriptione pro ἐπὶ ἔτη κ', *per viginti annos*, legit : ἐπὶ ἔτη ς' *per annos sex*, qui quidem apprime possunt convenire cum mora quam Constantinopoli facere potuit Cæsarius. Frustra autem, aut temere potius asseritur Gregorium Nazianzenum Cæsario non theologiæ, sed medicinæ solum et geometriæ notitiam ascribere, cum ipsissimis verbis dicat « sermones, quos Cæsarius frater multos » et frequentes, et cum multis habuit, non argutos » solum fuisse, sed etiam admodum pios et ardentes » (*Greg. Naz. Orat.* X) ; » unde et ibidem narrat *certamina* quæ *pro veritate* suscepit. Nec pluris facit, quod eamdem cum fratre circa Origenem sententiam tenuisse non videatur ; quid enim obstat quin duo conjunctissimi fratres de scriptore quodam non ad amussim consenserint? Quoad istud autem quod infertur, plura allegata reperiri fragmenta, quæ ad posteriores scriptores pertinent, res facillime explicatur amanuensium incuria aut præsumptione, qui ad marginem a posterioribus scriptoribus adjuncta in textum inducere non dubi-

tarunt. Locus denique, ex quo concludit D. Ceillier auctorem Dialogorum sacerdotii dignitate fuisse insignitum, eo sensu potest intelligi quod ad sacra mysteria peragenda expectabatur, non quia ejus erat officii illa peragere, sed quia ratione dignitatis suæ non peragebantur a sanctis ministris nisi illo præsente : unde, ne moram daret populo jam congregato, collationem interrumpere citius properabat. Adde quod huic nostræ astipulantur sententiæ plurimorum codicum, imo et Photii et Suidæ et Michaëlis Glycæ auctoritas. Unde quatuor illos Dialogos, annotatis quæ in Cæsarii textum amanuensium licentia fuerunt invecta, prelo subjicere curavimus.

Inter varias editiones Cæsarianorum Dialogorum illa eminet, quæ, interprete Joan. Leunclavio, evulgavit Fronto Ducæus, quamque a Gallandio emendatam ex annotatis doctissimi Cotelerii hic repræsentamus.

S. CÆSARII

SAPIENTISSIMI VIRI

FRATRIS S. P. N. GREGORII THEOLOGI.

DIALOGI IV.

In his dialogis continentur explicationes quarumdam quæstionum de rebus gravibus, propositarum Cæsario per Constantium, Theocharistum, Andream, Gregorium, Domnum, Isidorum, Leontium, quo tempore Cæsarius a secretis erat, et Constantinopoli docens, viginti totos annos commorabatur.

DIALOGUS I.

INTERROGATIO I.

Qui navigant ingens et amplum mare, quam quidem diu secundis auris ex animi sententia vela faciunt, non sunt admodum vicinis de locis solliciti : sed si cooriatur adversus vehemensque ventus, qui tempestate concitata mortem paulo ante secure navigantibus minitetur : tum vero tranquillum aliquem portum offerri sibi magno desiderio expetunt. Itaque post quam oculos omnem ad terram objectam sibi circumtulerunt, ac nusquam appellere se

posse vident : quod unum restat, forte proximam aliquam ad insulam clavi adjumento dirigunt navem, ac nulla non ratione saluti suæ consulunt. Ad eam delati propius, ubi horrendo mortis e periculo servati, se in tutum sub promontoria receperunt : testes grati animi voces ad omnium Servatorem Deum emittunt. Ita nos etiam, Pater optime, qui procellosum vitæ hujus mare trajicimus, absurdarumque opinionum fluctibus multipliciter exhausti, nullum usquam rationis participem portum invenimus : ad benignitatem tuam nos conferimus, utque nos cum de adoranda sacrosanctaque Trinitate, tum aliis sacrarum Litterarum capitibus audias, obsecramus : ne cum insipientibus circumveniamur, sed confirmati doctrina, et admonitioni suavissimæ tuæ obsecuti, e mundi hujus tempestate paulatim nosmet taciteque subducamus, et participem animi naviculam nostram in secretum ab omni fluctu Christi portum agere studeamus.

RESPONSIO.

Meam vero intelligentiam accurata sacrarum Litterarum explicatio longe excedit ac superat : quippe quæ purgata necdum sit, crassæque in nobis materici multis morbis obnoxiam vestem nondum deposuerit. Nam socordia depressus, ad Deum qui justus est, ipse non justus erigi nequeo : non ad ipsum accedere mihi fas est, ut de corporeorum et corporis expertium, de judicii, de providentiæ rationibus erudiar, cum et opifex, et dux, et gubernator sit omnium : non ut cum rege ac domino miser ipse versari possum : quippe qui capite nudo hactenus eum compellare audacter nequeo, cum mundi adhuc simulacra circumferam, et corrupta imagine, quasi crapula gravatus, ad terram allidar. Ad summam, quoties divinarum rerum

sublimitatem intueor, mox vertigine correptus tremo, illorum instar, qui de excelso montis vertice in immensum mare prospectant. Vel idem accidit mihi, quod iis, qui dum et læsis oculis, et puro meridie, sole cœlum perequitante, immoto hunc vultu intueri conantur, victi a nimia radiorum copia, et orto ab iis splendore, videndi facultatem amittunt. Quapropter equidem existimavi silentii ope mihi utendum esse : verum ne, si prorsus sim mutus, invidiæ merito meo me insimuletis, quasi qui facilitatem obsequendi vana taciturnitate repellat, cum divinus ille Davides canat : « Multa tu, Domine, qui Deus es meus, » admiranda fecisti : nemo tibi par esse cogitando potest. » Equidem hæc annuntiavi ac protuli, supra omnem nu- » merum amplificata sunt. » Item : « Magno in cœtu justi- » tiam annuntiavi. Ecce labia mea, Domine, non compri- » mam, sicut ipse nosti. Justitiam tuam meo in corde non » occultavi : veritatem ac beneficium in salvando me tuum » exposui. Misericordiam et veritatem tuam frequente in » concilio non celavi. Tu quidem, Domine, miserationem » tuam mutiplicem nobis diu ne differto[1]. » Itidem cum princeps Apostolus præcipiat, « Ut ad reddendum ratio- » nem ea de spe, quam fovemus, ad quemvis de hac re » sciscitantem parati simus[2]. » Paulus etiam clarissime clamet esse nobis ipsius vestigiis inhærendum, imitandumque Christum[3], qui profecto et ipse divinitus præcepit, « Ut quæ gratis acceperimus, cum aliis vicissim gratis » communicemus[4] : » omnesque vires in hoc contendamus, ut divina nobis in eum finem ab ipso credita talenta, quo augeantur, duplicemus : ne si vano hæc silentio tanquam in terra defoderimus, una cum pravo illo desideque servo, de quo proditum est in Evangeliis, ad tenebras ex-

[1] Psal. xxxix, 6-12. — [2] 1 Petr. iii, 15. — [3] Philip. iii, 17. — [4] Matth. x, 8.

timas abjiciamur[1]. Metuendum mihi potius, quam silendum arbitror.

Est enim « Sapientiæ principium, Domini timor[2] : » quemadmodum vates ille rerum divinarum prudens Davides loquitur. Præclarum sane, certo judicio considerateque silere, ac mundo quidem quasi mutum ac crucifixum : in prædicatione vero divinorum operum ad omnes illustrem ac perpetuo vocalem esse. Nimirum et summa cum voluptate muti divinis in rebus erimus, et nihilominus eas absque silentio tractabimus, exorantes divinum Numen in iis sane, quæ animo perniciem afferunt, his verbis : « Adhibeto, Domine, custodiam ori meo, et circum labia » mea quoddam ostium, quo coërceantur : neve cor meum » ad sermones pravos deflectere patiaris[3]. » In illis vero, divina quæ sunt, et in quibus vivit animus : « Aperito la- » bia mea, Domine, ac laudem tuam os meum annuntia- » bit[4]. » Quamobrem merito ad interrogationes vestras iterum accingar ; sic tamen, ut et Deum orationis nostræ ducem constituam, et vestris ad hunc supplicationibus innitar. Libet enim illos imitari, qui ludos equestres perlubenter spectant. Solent hi cursuum in certaminibus ad eos, quos favore suo complectuntur, tametsi ad summam illi celeritatem nihil reliqui faciant, victoriæ tamen studio de sellis gradibusque superioribus quasi toto cum viscerum motu, acclamationibus uti : oculisque una cum cursu circumactis, aurigam (uti quidem arbitrantur ipsi) majorem ad impetum excitant. Quin et equos acclamando cohortantur, proque flagello manum ad eos protendunt, et indice digito proximos sibi feriunt.

Neque malas tantum fricant, sed nonnunquam et dentem exacuunt, et vultu minantur, et totos se ad stadii cursores erigunt, digitisque gesticulando quæ facere sibi ad

[1] Matth. xv, 30. — [2] Psal. cx, 9. — [3] Id. cxl, 3, 4. — [4] Id. l, 17.

consequendum præmium videantur, indicant. Atque hæc non eo faciunt, quod ad victoriam quidquam momenti afferant : sed suam erga illos, qui decertant, benevolentiam amoremque tam voce quam gestu exprimunt. Idem ut et ipse faciam, amici ac fratres, quos equidem maxime suspicio, meum me studium erga vos cogit. Nam apud vos, qui agiliter virtutis stadium percurritis, et ad supernæ vocationis præmium crebris et expeditis saltibus contenditis, non quædam proprie mea leviaque proferam : sed quæcumque clarorum beatorumque Patrum prata peragrans, de illorum roseto collegi. Quorum rosæ aqua latere Dei ac Verbi, qui carnem assumpsit, manante rigantur : et a jugi sanguinis indidem orti rivo, rubro colore tinguntur, totumque mundum suavi odoris fragrantia replent. Qui et splendore suo firmamenti luminaria vincunt, et vitæ sermonem continent. Quorum ellychnium nunquam decidit, et lucerna non comminuitur, et oleum non absumitur, et lampas non quassatur, et flamma non extinguitur. Nam crucem gestant pro virga, Evangelia pro pera, charitatem pro pedo ac fistula, quibus omnibus Christi gregem rationis participem pascunt. Quamobrem, viri optimi, sic ea proponite, de quibus percunctatum accessistis, ut qui divina horum semina messuri ex me, homine cæteroqui vili, sitis.

INTERROGATIO II.

Quando igitur ex nonnullis voces quasdam abhorrentes a ratione et execrandas audimus, qui et de unigena Dei Filio et de Spiritu sancto asserunt, illum quidem creatum, Patrique dissimilem : hunc vero ministri loco ac conditione esse, nonnullas etiam his absurdiores abjectioresque de utroque commenti opiniones : per eam te charitatem

obsecramus, qua nos ut liberos tuos complecteris, ut quid de divina et adoranda Trinitate sit statuendum, breviter nobis exponas.

RESPONSIO.

« Omne bonum donum, munus omne perfectum de » supernis oritur, et a luminum Patre descendit[1], » quemadmodum divinus vir Jacobus inquit. At qualiumnam, non immerito quæsiveris, luminum? Nimirum et proprium, et princeps, et verum lumen est ipse Pater, sicut Joannes ille cognomento Theologus his verbis scripsit. « Hæc est illa annuntiatio, quam nosmet ex ipso (Filio sci- » licet) audivimus : Deum esse lumen, et caliginem in » ipso nullam esse[2]. » Deinde Filius quoque lumen est, sicut idem Joannes ait : « Erat is lumen verum, quod in » hunc mundum venientem omnem hominem illuminat[3]. » Quin et ipsum hoc ab omni crassa materie caligineque secretum lumen, quod omnem naturam intelligentia præditam ac rationis participem illuminat, in Evangeliis inquit : « Ego sum mundi lumen[4]. » Sanctum etiam Spiritum lumen esse, divino Davidi assentiens aio : « In lu- » mine (ait), tuo lumen videbimus[5]. » Nam in Deo ac Patre Filium et ipsum Deum, atque in Filio Patrem : Spiritum autem in utroque cernimus, quemadmodum Filius ait : « Pater in me est, et ego in Patre. Qui vidit me, Pa- » trem vidit[6]. » De Spiritu vero inquit : « Spiritus veritatis, » qui de Patre procedit[7]. » Itaque in lumine, quod est Pater, lumen aliud, nimirum ipsius Verbum ac Filium cernimus : et in lumine quod est Filius, lumen Spiritum

[1] Jacob. I, 17. — [2] 1 Joan. I, 5. — [3] Joan. I, 9. — [4] Id VIII, 12. — [5] Psal. XXXV, 10. — [6] Joan. XIV, 9. — [7] Id. XV 26.

videmus. Quamobrem ratione consentanea tria in se ipsis lumina intelligantur, omni sine tam confusione quam separatione unita. Extra quam quod omnipotens ille Deus ac Pater, qui supra universa est, non est genitus, non ortus ab alio, tanquam causa. Genitor autem et causa ipsius Filii, sicut fons fluminis, sicut sol radii, sicut ignis flammæ. Horum ergo sicut sunt illa quidem causæ, non tamen hæc ortu præcedunt: sic Filius est quidem is a Patre, tanquam a causa et genitore, ab æterno ineffabiliter genitus: non tamen tempore posterior, non inferior potestate, non inæqualis majestate. Nimirum semper et in Patre, et ex Patre, et cum Patre existit, eique sine confusione, sine separatione, sine immutatione adest.

INTERROGATIO III.

Et quî potest is, qui ex Patre genitus est, et exiit, cum Patre et in Patre existere? Nam quod semel est genitum, atque ab eo, quo continebatur, exiit, quo pacto rursum erit in gignente?

RESPONSIO.

Nimirum Filius ac Spiritus non hominum more per fluxionem sectionemve, aut dimensionem ex Patre prodierunt: sed ut ex fonte flumina, quæ quidem ex eo, et in eo, et cum eo sunt: ut ex sole radii, qui in eo, et cum eo, et ex eo sunt: ut flamma et lux de igne, cum igne, in igne existunt. His enim rebus equidem usus hæc declaravi, obscure sane rem explicantibus, sed ab imagine tamen non prorsus abhorrentibus. Filius ergo qui est in Patre, de eodem prodiit, et cum Patre existit, et infinitis sæculis erit, quemadmodum ipse inquit: «Ego in Patre

» sum, et Pater est in me[1]. » Quibus verbis et eamdem utriusque naturam sive essentiam, et nulla ex parte diversam utriusque Divinitatem, et parem denique potestatem esse significat. Rursus cum ait : « Ego de Patre sum » egressus, atque in mundum veni[2] : » diversitatem proprietatemque personæ demonstrat. Porro divinus sanctissimusque Spiritus non ille quidem est genitus, sed procedit : atque eo ipso quod de Patre procedit, a Patre tanquam causa oritur. Davides quidem, sacrosanctæ Trinitatis enarrator : « Domini sermone, inquit, constabiliti » sunt cœli, et spiritu oris ipsius omnis cœlestis exercitus[3]. » Quibus et illa Zachariæ verba sunt consentanea : « Ro» bustæ sint Zorobabeli, et Josedeci sacerdotis, et populi » manus, quoniam ego vobiscum sum, et Verbum meum, » et Spiritus meus. Hæc Domini omnipotentis verba sunt[4]. » Pater igitur non est genitus, Filius genitus, Spiritus procedit, quæ tria sunt in se ipsis lumina. Non confunduntur, lucent eodem lumine, lucent æternum, indivise per hypostases sive personas distinguuntur, et sine confusione sunt unum essentia supernaturali, et conjunctione mentis vim superante, et distantia nullam dimensionem admittente. Atque uti tres hypostases Deitatis unam essentiam in totidem naturas non dividunt : ita unitas essentiæ fontem illum Deitatis tribus ostiis æternum fluentem, in unam sive personam sive hypostasim neque commiscet neque contrahit. Ergo et Pater lumen est, et Filius est lumen, et Spiritus itidem sanctus : et nihilo tamen minus hi tres unum lumen existunt, quod est supra omne tempus, et ante sæcula, et expers principii, et personas tres habet, et tres hypostases, et tres Dominos, et thronos tres, et trinam lucem, et trinum splendorem, et lucis æqualitatem, immutabile, nulli obnoxium diminutioni,

[1] Joan. xv, 10. — [2] Id. xvi, 26. — [3] Psal. xxxii, 6. — [4] Zach. iv, 6 et 9.

caliginis expers, invictum, interitui minime subjectum, una essentia, potestas una, una gloria, unum regnum, una Divinitas, una voluntas, actus, imperium. Denique nonnisi unitas, æqualitas, identitas est in Trinitate, extra proprietatem ingeniti, et geniti, et procedentis : unaquaquaque hypostasi singillatim et existente, et extitura; non aliquando orta, non desinente, sed eodem se modo semper habente, ac manente citra mutationem omnem. Semper enim extitit Deus ac Pater, qui quidem semper est Pater unigenæ Filii, Verbi subsistentis, a quo facta sunt universa, quibus et divus ille Spiritus semper adest, unaque cum ipsis ab omnibus intelligentia rationeque præditis creatis adoratur. Nemo in his vel prior est natu, vel posterior : non accrescit, non imminuitur instar luminis, quod sub sensum cadit, vel instar earum, quæ supra mundum sunt, copiarum. Quæ cum universæ natura sua idem existant, (quemadmodum et animi hominum rationis participes idem natura sua sunt omnes) partim tamen ordine, partim statione, partim assistendi ministrandique munere differunt, ac per incrementa, et mutationes, et conversiones, libero animi consilio vel in melius vel deterius propendentes, non aliqua naturali necessitate magis minusve degenerant, excellentibus aliis alias secundum ea, quæ indicavimus, discrimina. Quin et homini luminis appellatio tribuitur, et soli, et lunæ, et vario reliquorum siderum choro : quorum tamen maximo numero luminum, de materie constantium, multisque partibus ac modis inter se diversorum auctor est et opifex verum illud et expers materiei lumen, nimirum Deus et Pater, qui est supra omnia, cum unigena Filio suo, divoque Spiritu, incorporeus, sub aspectum non cadens, omni et natura et cognitione superior. Qui Filium genuit, et Spiritum produxit ratione secundum naturam ineffabili, sine ullo tempore,

ante sæcula. Non enim quidquam vel majus vel minus natu, non quidquam prius existens adventitiumve divina in Trinitate vel ante sæcula fuit, vel est hodie, vel deinceps erit. Nimirum tria semper existunt, tria sunt ejusdem sanctitatis, tria simul expertia principii, tria agentia, tria simul agentia, tria in eadem forma, tria conformia, tria efficacia, tria effectionibus conjuncta, tria subsistentia, tria simul subsistentia, quæ non mutantur, neque transeunt, neque miscentur inter sese. Nam semper existit Pater, et quidem solummodo Pater est, non etiam Filius : semper existit Filius. et quidem solummodo Filius est, non etiam Pater : similiterque divus ille Spiritus nec Pater est, nec Filius : sed omni sine mutatione procedit : semper habens id, quod singulis est peculiare, perfectione summa, pro sua unusquisque hypostasi. Nimirum Pater, Filius, Spiritus sanctus, in unitate Trinitas et est, et intelligitur; et profitendo perhibetur, et adoratur ab iis, qui vere, non speciei causa, vel blaspheme adorant, ut Arius qui et Dei naturam distrahit, et ad trutinam revocat, et majus ac minus divina in Trinitate imaginatur : vel ut Sabellius, qui eamdem commiscet ac confudit, et υἱοπατορίαν, hoc est, Patris Filiique confusionem singulari furore docet. Quapropter statuamus Trinitatem parem potentia, gloria, amplitudine, vel potius summa cum gloria, et amplitudine, omnem animi perceptionem superantem, idque in una divina natura, regno, robore, libera potestate, quæ universam rerum naturam de nulla materie subjecta fabricata sit. Quomodo autem hæc sese habeant, id vero accurate pervestigare supersedeam us. « Nam nemo novit »Patrem, nisi Filius, neque Filium quis novit nisi »Pater[1]. » Mortalibus autem eos divus ille Spiritus patefacit. Atque in hunc modum hæc tria sit existunt, ut nec

[1] Matth. xi, 27.

accrescant, nec minuantur, nec altius insurgant, nec contrahantur : et singula ex se, vel a se, vel ad se, ratione ipsis consentanea, tam intelligantur, quam credantur. Quemadmodum se ipsa patefaciunt lumen, ignis, spiritus. Quin et per alias, ut equidem arbitror, visionum comparationes ac similitudines patefiunt, prout dignus is habitus fuerit, qui divinas res tractat.

INTERROGATIO IV.

At enim quæ Moyses scribit, « Deus ille tuus, unus est Dominus [1] ? » Et in Annæ hymno dicitur : « Non est quis- » quam sanctus, ut Dominus : non est quisquam justus, » ut Deus noster; non est quisquam sanctus extra te [2]. » » Quin et ipse Christus ait : « Ut cognoscant te solum ve- » rum Deum et quem misisti Jesum Christum [3]. » Non inquit, (Jesum) Deum.

RESPONSIO.

Enimvero Christus his verbis a Deitate se ipsum non eximit, sed potius ad unius rerum principis ac Dei nos agnitionem in sublime ducit, ne mundi elementis amplius suppliciter addicti simus, ac Dei loco nostris conservis cultum divinum exhibentes, ad deorum multitudinem exorbitemus. Idcirco cum ait : « Et quem misisti Jesum » Christum : » quemnam hunc esse dicit, nisi Deum ? sicut et Joannes inquit : « Unigenitus Filius, qui est in sinu » Patris, ipse enarravit [4]. » Quibus sunt consentanea, quæ Paulus de Christo scripsit : « Quorum patres, et ex quibus » Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia [5]. »

[1] Deut. VI, 4. — [2] 1 Reg. II, 2 apud LXX. — [3] Joan. XVII, 3. — [4] Id. I, 18. — [5] Rom. IX, 5.

INTERROGATIO V.

Si ergo Patri æqualis est Filius, cur in Joannis et Pauli monumentis litterarum non adorationis eo cultu afficitur, quo Pater, cui veri Dei appellationem illi tribuunt ?

RESPONSIO.

Ergo-ne quisquam poterit universe receptam Joannis epistolam subvertere, quæ in extremo clamat : « Jesus » Christus hic verus Deus est, et vita æterna [1] ? » Et alio quodam loco de Patre dicit : « Deus est lumen [2] : » neque adjicit vocem, verum. Ergo-ne dicere audeamus Patrem non esse verum lumen ?

INTERROGATIO VI.

Satis abs te Patris et Filii demonstrata est æqualitas. Quamobrem quod relictum est, cupimus etiam de Spiritu sancto fateri opera tua, verum hunc Deum dici.

RESPONSIO.

Id vero Filius ipse nos abunde docet, cum ait : « Ego si » abiero, veniet ille, qui Spiritus est veritatis [3]. »

INTERROGATIO VII.

Atqui Litteræ sacræ Spiritum creatum esse significant cum aiunt : « Qui solidum efficit tonitru, et spiritum creat [4]. »

[1] Joan. v, 20. — [2] Id. i, 5. — [3] Joan. xvi, 7 et 13. — [4] Amos. iv, 13.

RESPONSIO.

At non hic de divino Spiritu sermo est. Nam spiritui creato sancti appellatio non adjicitur, sed nude dicitur : « Qui spiritum creat. » Nimirum qui stat in hoc, ut nubes commoveat, et efficiat imbres. Per quem et tonitrus sonum fieri consentaneum est, spiritu in concavitatibus nubium intercepto, et perruptione flatuque subjecta supplodente : prorsus uti fieri videmus in avium vel jumentorum vesica, quæ tenui pellucidæque bullæ consimilis est. Hanc enim petulantes maleque morati pueri sumptam, et aëre siccatam, suo spiritu extendunt, ac deinde clanculum eam ferientes, fragoris sono circumstantes toto cum viscerum motu et imo corde perterrefaciunt.

INTERROGATIO VIII.

Et quî fit ut, cum hiberno tempore sint iidem spiritus, imo etiam vehementiores, tonitruum tamen fragores illi non accidant ?

RESPONSIO.

Cum nubes madidæ sunt, ac factæ molliores ob crassitiem aëris, et caliginosam humidamque aquarum evaporationem, tam quæ fontibus, quam quæ fluviis continentur, et terræ mixtæ sunt, strepitus ille fragoris orti de perruptione nubium non efficitur. Quod quidem non ubivis terrarum accidere solet, sed tantum in climatibus ejus hyemi plus æquo subjectis. Ac licet hic imaginem de scutica membranave petere, quæ si a sole sint arefactæ, ne contingi quidem citra strepitum possunt. Verum ubi maduerunt, sonum plane nullum edunt, sive adeo rumpantur, sive

complicentur. Eodem modo si quasi luteus fit, crassusque circa terram aër, exaudiri non posse fluidum laxumque sonum illum tonitrus arbitror. Debetis igitur existimare Litteras sacras dicere spiritum illum ventosum a Deo creari : qua ipsa de causa vox hæc tonitrui conjuncta est.

INTERROGATIO IX.

Quando recte nos de Spiritu erudisti, petimus uti de Filio quædam adjicias. Quod enim sacris in Litteris perscriptum legimus : « Dominus me creavit, initium viarum » suarum ad opera sua [1] ; » id de Filio plerique dictum volunt, esse videlicet hunc creatum, ac Patre posteriorem.

RESPONSIO.

Etiam ipse de Filio dictum illud accipio, non tamen de ipsius Divinitate : sed de carne, quam ex Maria sumpsit. Increatus enim respectu Divinitatis, ejus ratione creatur, quod assumpsit. Nec enim Litteræ sacræ de Patre sic loquuntur : Qui creat hominibus Unctum suum : sed) « Qui » annuntiat hominibus Unctum suum : » Deum scilicet illum verum, immutabilem, non creatum, coæternum Patri, et cum eo subsistentem ante sæcula, de quo Joannes clamat : « Qui est in sinu Patris [2]. » et qui Mosem Pharaoni dicere jubet : « Non is, qui conditus aliquando est, de sententia stolidorum quorumdam et insipientium ; » sed, » Qui est, ad te me ablegavit [3]. » Ipse denique de se per Paulum ait : « Christus qui est Deus supra universa [4]. »

[1] Prov. VIII, 22. — [2] Joan. I, 18. — [3] Exod. III, 14. — [4] Rom. IX, 5.

INTERROGATIO X.

Imo de Patre scripsit hoc Moses, « Qui est, ad te me » ablegavit : » non de Christo.

RESPONSIO.

Equidem a vestra charitate peto, ne sacrorum Evangeliorum falsarii sitis, in quibus ipse Dominus hoc divinitus protulit : « Moses de me scripsit, et mihi testimonio est[1]. » Igitur et Pater est Existens ille, et Filius existit cum Patre, de Patre genitus, non confusus cum Patre, non existendi principium habens ; sed existens cum Patre, tanquam nativus Filius. Nec enim unquam ævum aliquod, vel tempus, vel temporis articulus fuit, quo Filius non existeret. Cæteroqui num et ipse Pater erat alterius se prioris Patris? Quapropter simul Patrem profiteberis, et mox cum Patre unigenam dilectissimumque Filium. Nam qui se Patrem honore putant afficere, si dicant eum prius extitisse, prorsus impii propterea sunt, quod tempus ante sæculorum opificem Christum statuunt. Etenim apud Deum nec ævo locus est, nec tempori, nec dierum conversionibus, nec puncto, nec minutis, nec oculi momento sicuti nec informare secum mens ulla Trinitatis ineffabilis æternitatem potest. Quippe si dicas fuisse Patrem aliquando, cum Filius non existeret : cujus erat obsecro Pater, cum Filium non haberet? Quod si negas eum Patrem esse, simul ipsam ejus naturam in universum tollito. Quapropter credendum esse Filium ejusdem essentiæ cum Patre, non cum essentia Patris confusum, quemadmodum Sabellius delirabat. Nam horum alterum significationem personæ ac substan-

[1] Joan. v, 46.

tiæ habet, alterum plane blasphemum est : quando ea ratione Filius et Spiritus cum Patre commiscentur, ac Trinitas in unitatem resolvitur, quod omnino divinis a legibus est alienum.

INTERROGATIO XI.

Quantum nos quidem deprehendimus, veneratione dignissime Pater, tres esse Deos statuis, quo si exorbitabimus, in multitudinem incidemus. Eaque ratione fiet, ut nos doceas colere non unum principem Deum, sed multos.

RESPONSIO.

Ego vero cum tres Personas statuo, non divinam naturam divido : sed unitatem ejus confitendo, Trinitatem supplex imploro.

INTERROGATIO XII.

At cum Deum Patrem, Deum Filium, et Deum Spiritum sanctum dicis, manifesto tres Deos doces.

RESPONSIO.

Imo Trinitatem profiteor unius et ejusdem essentiæ, potestatis ac Divinitatis ejusdem, quæ non augescit, vel deminuitur, vel deficit, nec incrementum numeri recipit. Quanquam enim Verbo placuit cum carne uniri, numero tamen Trinitatis haudquaquam aliquid addidit. Quapropter unicum est in Trinitatis signaculum atque salus, et nihil in eadem creatum. Quippe si Pater est increatus, Filius autem creatus, itemque Spiritus, de sententia fabularum Arii, reliquorumque dementium, quonam quæso pacto

creatis increatum conjunctum est et copulatum, ita ut pari honore gloriaque cum eo afficiatur in obsignatione (1) perfectionis illius arcanæ? quasi videlicet Pater salutem largiri non possit, ac propterea creata duo, quorum ope uteretur, assumpserit.

INTERROGATIO XIII.

Quod si ergo tres sunt Trinitatis personæ ac tres hypostases, omnino sequeretur, hypostasim personam, ac personam vicissim hypostasim constituere; qua ratione tres Dii significantur : id quod Apostolus refellere volens, in hæc verba scripsit : « Unus Dominus, una fides, unum » baptisma [1]. » Et ante ipsum Moses ad Israëliticos inquit, « Dominus Deus ille tuus, Dominus unus est [2]. »

RESPONSIO.

At præter Mosem et Paulum etiam Cheruborum Seraphorumque vocem illam audiamus, qua citra intermissionem clamant : « Sanctus, Sanctus, Sanctus [3].» Nam hoc non vel bis, vel quater animalia illa spiritualia divinoque Numine plena proferunt, non item semel tantum efferunt; vel Sancti, Sancti, dicunt, ne quod unicum est plures appellationes habere declarent : sed tribus sanctitatem perpetuo tribuunt, et singulari nihilominus utuntur numero, ne Deum multitudinem in animos rudiorum inserant.

INTERROGATIO XIV.

Quid igitur sibi vult, quod perscriptum legimus, « Spi-

[1] Ephes. IV, 5. — [2] Deut. VI, 4. — [3] Isaï. VI, 3, et Apoc. IV, 8.

» ritus scrutatur etiam Dei profunditates [1] ? » Si Trinitas unius et ejusdem est essentiæ, si una cognitio, voluntas una, Divinitas una, nec quidquam in ea creatum vel inæquale : quo tandem pacto scrutari Spiritus profunditates Dei, tanquam eas ignorans, dicitur? Quippe si eas cognitas habet, perscrutationis haud indiget : cum scrutari, sit ignorationis.

RESPONSIO.

At non scrutatur ex ignoratione vel curiositate, quemadmodum furens ille Macedonius tradit, sed nativa quadam ipsi proprietate. Nam cum divinus ille sanctissimusque Spiritus est in egregiis et sanctis hominibus, sic eos instruit, ut profunditates Dei scrutentur, de faciliore ac obvia cuivis Litterarum sacrarum indagatione subvehens ipsos ad sensum quemdam sublimiorem, dum in perscrutatione rerum divinarum quasi ad fundum mens penetrat, perque spiritus hamum de hujus vitæ gurgite piscem animi educit, continentem ore staterem illum maximi pretii, adeoque Christum Servatorem omnium. Sic enim et Apostolus ille princeps pro se ipso et Christo animæ piscem iis, qui exigebant, dare jubetur, habentem staterem Christum, et fidei doctrinam in ore, profectamque de profunditate cordis subvectionem et laudem. « Ex profundis enim » inquit, clamavi ad te, Domine; Domine, exaudi vocem » meam [2]. » Sed et eximius ille Apostolus : « Nos, inquit, » Spiritum Dei accepimus, ut sciamus quæ a Deo donata » sint nobis [3]. » Atque iterum inquit idem : Nobis autem » Deus revelavit per Spiritum suum [4]. » Et rursus divinorum Carminum auctor Davides : « Os meum, inquit, aperui, » et spiritum attraxi [5], » nempe non aërium, sed divi-

[1] 1 Cor. II, 10. — [2] Psal. CXXIX, 1, 2. — [3] 1 Cor. II, 12. — [4] Ibid. 10. — [5] Psal. CXVIII, 131.

num, per quem abscondita de adventu uniti cum Deo hominis mille jam ante annos luculente declarat, canens Deo : « Obscura et abscondita sapientiæ tuæ nota fecisti » mihi [1]. »

INTERROGATIO XV.

Si Filius est Deus et æqualis Patri, quomodo ignorat ea, quæ novit Pater? At vero ipse in Evangelio inquit : « Nemo novit diem, neque horam consummationis, neque » Angeli cœlestes, neque Filius, nisi solus Pater [2]. »

RESPONSIO.

Solet humanis uti similitudinibus sacra Scriptura, et de rebus naturalibus sæpenumero quædam petit, ut cum in Evangelio inquit Dominus : « Simile est regnum cœlorum » fermento, et grano sinapis [3]. » Paulus item ille sublimis : « Corpora, inquit, cœlestia sunt, et corpora terrestria [4]. » Et de rebus naturalibus sumptum etiam illud, quod ad Corinthios scribens, tibiæ citharæque meminit [5]. Idcirco et ipse nunc a rebus nostris petita exili quadam similitudine utar. Num ignoraret mea ratio consilia mea? nullus hoc eorum, qui vel qualemcumque disciplinam consecuti sunt, dicet. Quomodo igitur Dei et Patris Verbum ignorabit ejus consilia? Cum dicat ipse, « Omnia quæcumque habet » Pater, mea sunt [6] : » nempe, quod Deus est vita, quod est lux, quod est immortalitas, quod est incomprehensibi- » lis. Et alibi ait : « Omnia mea tua sunt, Pater, et tua mea » sunt [7]. » Si igitur omnia, quæ Patris sunt, ipsius sunt, etiam cognitio, quæ Patris est, omnino ipsius est, itemque Spiritus, ut paulo post latius dicetur.

[1] Psal. L, 8. — [2] Marc. XIII, 32. — [3] Ibid. 31 et 33. — [4] 1 Cor. XV, 10. — [5] Id. XIV, — [6] Joan. XVI, 6. — [7] Id. XVII, 10.

INTERROGATIO XVI.

Num igitur, si dixero; « Omnia quæcumque habet Pater, » mea sunt, » etiam cognitionem habeo Patris, et consilium ejus novi?

RESPONSIO.

Merito interrogem et ego vos, o præclari: Quis major? num dies et hora illa, an Pater?

INTERROGATIO XVII.

Pater utique, qui est absque principio, et sæculis omnibus prior, et incomprehensibilis, et omnium conditor.

RESPONSIO.

Si ergo major Pater, quam hora et dies ille, et quidem major omnibus, quomodo majus cognoscens Filius, ignorabit minus? qui et conditorem cognoscit, et operatur cum ipso in omnibus, quomodo ignorabit a se facta? « Quemad- » modum, inquit, novit me Pater, etiam ipse novi Patrem[1]. » Quomodo igitur ignorabit minus, qui novit id, quod majus est?

INTERROGATIO XVIII.

Atqui nos arbitramur etiam Filio majorem esse Patrem, quemadmodum inquit ipse: « Pater meus major me est[2]. »

RESPONSIO.

Non satis pie putatis majorem esse Filio Patrem, vel

[1] Joan. x, 15. — [2] Id. xiv, 28.

ambitus ratione, vel molis, vel temporis, vel dignitatis, vel roboris, vel Divinitatis, vel magnitudinis, vel excellentiæ. Nihil enim ejusmodi in sancta Trinitate locum habet: sed quatenus Pater, Pater est, legitimo quodam honore Filius Patrem afficit. Non enim mole quadam gestatur Divinitas, ut mole superet Filium Pater. Neque tempori subjacet ut prior tempore sit genitor genito. Neque item sublimitatis habita ratione separatim ponitur Pater, qui omnia complectatur, ipse a nullo comprehensus, expers magnitudinis et quantitatis.

INTERROGATIO XIX.

Si igitur æqualis Deo ac Patri Filius est, et bonus quemadmodum ille, quomodo inquit ipse, « Nemo bonus est, » præter unum Deum[1]. »

RESPONSIO.

Non quod neget in semetipso bonitatem, neque de Divinitate se eximens, solum inquit bonum esse Deum et Patrem. Summi nimirum amoris et bonitatis evidens argumentum est, non sibi sed Patri deferre honorem, quo ipso nos amore parentes prosequi debere docet. Nam sponte de se modeste loquens, non inanem captat gloriam, neque dignitatis existimatione effertur, ut solent superbi et arrogantes, qui tenue ac obscurum imperium nacti, eo ipso ad inamabiles mores, et omni a comitate in congressibus alienos per vocem præconis elati, immanem quamdam in feram mutantur, ideoque non ex mansuetudine ac humanitate perpetuæ gloriæ potestatem metientes, odium in sese non abs re concitabunt. Quod si temere quodvis bonum deificabi-

[1] Marc. x, 18.

tis; plurimos in hac parte deos habituri sumus, multis in locis clamante Scriptura sacra, secundum Deum et alia quædam esse bona : verbi gratia, cum quodam ait in loco, bonum fuisse puerum, et sapientem Samuëlem[1] : alibi vero, bonus erat Saül filius Cisi, primus rex Israëliticorum[2]. Et Annæ propter orbitatem ac sterilitatem ingemiscenti dicebat Elcana : « Quamobrem mœsto es animo ? » Nonne bonus tibi sum ego præ decem liberis[3] ? » Sapiens autem in divinis Salomon : « Bonum est, inquit, in domum » luctus ingredi[4]. » Et alibi dicitur : « Aperi cœlum, thesau- » rum tuum bonum[5] : » Item, « Bonus sermo præstat mu- » nere[6]. » Item, « Bonus canis qui vivit, potior est leone » mortuo[7]. » Quod si leo maxime vivat, non tamen Deus erit, sicuti nec canis quidem vivus : nisi forte ethnicis loquamur, apud quos et fontes, et cepæ, et flatus ventris non sine furore quodam inter deos referuntur.

INTERROGATIO XX.

Quia supra pollicitus es te latius dicturum de eo, quod Christus norit diem illum, et horam consummationis : rationem ejus nobis reddito, nequando disputantibus nobis, alio quodam modo nos superare queant, qui se nobis opponunt.

RESPONSIO.

Est quidem jam de hoc breviter dictum : sed nihilominus magni facio vestram multiplicem de eo quæstionem. Sanctum ille Verbum, vivens, et per se subsistens, rex universæ creaturæ, Patris Filius genuinus, « Splendor gloriæ,

[1] 1 Reg. II, 26. — [2] Id. XIII, 1. — [3] Id. I, 8. — [4] Eccl. VII, 3. — [5] Num. XX, 6. — [6] Prov. XV, 26. — [7] Eccl. IX, 4.

» et expressa imago substantiæ[1], » cœternus, et in eodem sedens solio cum Patre, incorruptus judex viventium et mortuorum, vita de vita, lumen de lumine, sapientia de sapientia, ex divina scaturigine fons perennis, flumen quod absque defectu manat divinis gratiæ donis, « Quod impetu » suo lætificat civitatem Dei[2], » sicut est in Carmine illo divino perscriptum; « Radix Jessea, sceptrum Davidis, » virga, et ortus ex ea divinus ille flos[3], » secundum vatem sacrum Esaïam : leo, rex de tribu Judæ, secundum mysteriorum doctorem Mosem[4], Rationalis, secundum Esaïam[5], ovis; innocens agnus secundum Jeremiam in multis periclitatum, pro salute mundi immolatus[6]; « Lapis improbatus » a Judæis, qui in caput anguli Ecclesiæ gentium est posi- » tus[7], » et totam cœtus ejus structuram conservat, secundum Davidem divinorum Carminum auctorem; « Maximi » consilii nuntius, Deus fortis[8], » ut inquit Esaïas, mortalis factus, manens Deus, non immutatus ratione naturæ, neque factus alius secundum Divinitatem, Verbum illud incarnatum, et carne genitum, « Verbum caro factum[9], » quod tamen quod erat mansit, non in hoc degenerans ratione naturæ : (post quam enim intonuisset Joannes, « In » principio erat Verbum[10], » omnemque personuisset creaturam, infert : « Et Verbum caro factum est, » quibus verbis Verbum fuisse ante æternitatem, et positum supra omne tempus Deum, in eadem solii gloria cum Patre ostendit; et subsequentibus aliis, cum ait, « Caro factum est, » significat uniti cum Deo hominis ex Maria semper virgine progressum) vivens igitur illud sanctum, et per se subsistens Verbum, loquens, et audiens, in Evangelio divinitus illa verba protulit : « Nemo novit diem aut horam illam, nec

[1] Hebr. I, 3. — [2] Psal. XLV, 5. — [3] Isaï. XI, 1. — [4] Gen. XLIX, 9. — [5] Isaï. LIII, 7. — [6] Jerem. XI, 19. — [7] Psal. CXVII, 22. — [8] Isaï. IX, 6. — [9] Joan. I, 14. — [10] Ibid. I.

» Angeli cœlestes, neque Filius[1] : » et quidem ratione administrationis suæ, ac secundum peculiarem sensum ea protulit. Hac enim de causa superius a nobis dictum est, si omni magnitudine et comprehensione perceptioneque superiorem Patrem cognoscit, quomodo diem et horam illam nesciret, quæ sunt instar auræ pulverisque cujusdam, aut etiam levioris et tenuioris rei, si cum natura Numinis illius divini comparentur? præsertim cum diserte dicat : « Nemo » novit Patrem nisi Filius, neque Filium quisquam cognos- » cit, nisi Pater[2]. » Ut enim magnus ille Pater novit Filium, utque maximus ille Filius novit genitorem : ita et æqualis magnitudine Spiritus ille sanctus novit Patrem et Filium, ab utrisque cognitus. De duabus autem cognitionibus, duplicique notitia sacris in Litteris docemur, quarum alia quidem secundum actum, alia vero secundum faciem existit : quemadmodum obscuris exemplis utens funem ignorationis abrumpam, ac vos a sectarum blasphemo agmine revocabo. Sic enim captos a versuto Beliale mortales, vicissim captivos sibi reddit Christus, exaltatus in cruce, secundum Davidem vatem divinum. Prævidebat enim sanctus ille vir salutarem passionem et captivitatem nostram, et idcirco inquit : « Ascendisti in altum, captivam » duxisti captivitatem, dedisti dona inter homines[3]. » Quænam illa? Fidem in Trinitatem, et rerum mysticarum sacram administrationem, et spem resurrectionis. Subjicit autem rursus Canticum divinum : « Sed et inobedientes ad » habitandum[4]. » Quidnam et ubi? Eos qui sunt ex Judæis, et gentibus, in sancto habitaculo Ecclesiæ. Inobediens enim ille, terrificus et discerpens Christianos lupus erat Paulus, qui nunc Ecclesiæ columna est, altisona fidei tuba, qui aliquando male persequebatur, recte conversus spontanea voluntate pro iis, qui persecutionem patiuntur, flagellatur;

[1] Marc. XIII, 32. — [2] Matth. XI, 27. — [3] Psal. LXVII, 19. — [4] Ibid.

percutiens, virgis cæditur ; interfector, pro occisis lubens capite truncatur, per auditam cœlitus vocem et oculorum plagam conversus, pro Saulo Paulus, a redemptore Christo deinceps nominatur, ut gentibus Christianorum nomen inderet.

Sed enim ad propositum sermonem recurramus, acriore mentis aspectu utentes ad considerationem duplicis cognitionis et notitiæ. Inquit igitur Scriptura sacra de Adamo et Eva, quod post quam ejecti essent e paradiso, degustato fructu interdicto, « Cognoverit Adamus Evam uxorem » suam, quæ fœtu concepto, pepererit[1]. » Quid igitur dicemus? an quod in paradiso non cognoverit eam, qui de ipsa dicebat : « Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de » carne mea[2] ? » Omnino cognovit eam, illic quidem solo aspectu, hic autem et aspectu et actu corporali. Sic etiam Abrahamus cognovit Saram uxorem suam, non incognitam ante commixtionem. De Davide perscriptum est in libro de Regnis : « Consenuit Davides, et operuerunt eum vesti- » bus, nec tamen calefiebat. Igitur quærebant virginem, » quæ cum ipso dormiret, et foveret eum. Et inventa est » Abisa Sunamitis, quam non cognovit Davides dormien- » tem secum[3]. » Num igitur propter hoc dicemus, quod neque aspectu neque attrectatione cognoverit eam? sæpe autem nos quoque dicimus ad eos, qui nobis propter mulieres crimen intentant, devoventes nosmet, ac jurejurando purgantes, non novisse nos, sit-ne mulier illa, vel vir. Id quod actus quidem ratione dicere vere posse videmur, ex voce tamen et aspectu haud obscuram habemus maris vel fœminæ cognitionem. Non ignorat igitur Filius diem et horam illam, cum omnia ejus signa, prodigiaque terribilia prædicat, et quasi præsentem suis indiciis describat : verum noluit clarius respondere ad vanam illam quæstionem,

[1] Gen. IV, 1. — [2] Id. II, 23. — [3] 2 Reg. I, 1-4.

adeoque prudenter omnibus ut ignota esset instituit, quo nimirum quamlibet diem et horam illam esse arbitrantes, ad eam præparemur, et sobrie expectemus ipsum venientem ad compensationem atque remunerationem certaminum hujus vitæ. Absit igitur procul ea dementia, quæ ignorationem unius diei et horæ quodam cum delirio tribuit Conditori sæculorum, « In quo sunt omnes thesauri sa» pientiæ[1], » quemadmodum sanctus ille Apostolus loquitur.

INTERROGATIO XXI.

Quid igitur? num aliter illam cognoscit Pater et aliter Filius;

RESPONSIO.

Non aliam quidem dicimus cognitionem Patris, aliam vero Filii et Spiritus : sed aliud quidem actu præteritum, aliud vero in futurum reservatum. Cognoscit enim Pater illam horam duplici cognitione et actu, alia quidem quod tanquam opifex crearit, alia vero quod decreverit per unigenitum Filium judicare omnes. Cognoscit autem ipsam et Filius æqualiter cum genitore, secundum scientiam et actum creationis, non tamen judicii. Nondum enim judicium exercuit, secretis iis qui vel inextincto igni, vel voluptati æternæ destinati sunt : id quod non ignorantiæ, sed longanimitatis est, correctionis tempus flagitiosis præbentis. Quo quidem tempore quotquot a turpitudine non purgantur et evigilant, eorum miseriam decantans et deplorans Davides inquit ; « Mutuum accipit peccator, et » usuram non persolvet[2]. » Tempus hic scilicet divinæ longanimitatis significans, ac persolutionis voce intelligens

[1] Coloss. II, 3. — [2] Psal. XXXVI, 21.

pœnitentiam. Iterumque divinorum Carminum auctor subjungit: « Justus autem miseretur, et dat[1]. » Quibus in verbis Deus est qui dat, tempus autem pœnitentiæ est id, quod datur. Mutuum enim dans Deus hominibus, vel raro, vel vix, vel nunquam recipit, usque ad finem debitoris expectans persolutionem. Mutuum autem accipiens, propter proximos misericordiam rursus multiplicans retribuit: cum cito quidem benefacere, tarde vero punire consueverit. Nunc enim adhuc impii oderunt Deum, et increduli in divinis operibus claudicant, neque ulla alia re mentis gressus firmant, adeoque iniquitas superat, et judex longanimis est, usque ad secundum ad nos adventum, qui est diei et horæ illius nimirum judicii exercendi cognitio.

INTERROGATIO XXII.

Quomodo vero inquit ipse; « Ad Deum meum et Deum » vestrum, et Patrem meum et Patrem vestrum[2] ? » quo ostendit se non æqualem esse Patri, cum inquit : « Vado ad » Deum meum. »

RESPONSIO.

Nequaquam recidat eo mens nostra, ut putemus minorem esse Patre Filium, offensa hoc verbo, quod ratione administrationis uniti cum Deo hominis dicitur. Non enim ante hoc tempus eum constat sic locutum esse in Scriptura veteri, cum adhuc esset incorporeus : « Vado ad Deum » meum. » Imo etiam carni unito Divinitas nihilominus a Vatibus tribuitur. Esaïa quidem clamante : « Puer natus est » nobis, et datus est, cujus imperium super humerum » ejus, et vocabitur nomen ejus, Magni consilii nuntius,

[1] Psal. xxxvi, 21. — [2] Joan. xx, 17.

» Admirabilis consiliarius, Deus fortis, Dominator, princeps » pacis, pater futuri ævi[1]. » Davides autem secundum uniti cum Deo hominis adventum canit, quod ad judicium et retributionem omnes excitabuntur : « Deus noster manifesto » veniet, Deus inquam, noster, nec tacite id fiet. Ignis » præcedet ante ipsum, et in circuitu ipsius vehemens pro- » cella[2], » impellens ad supplicium reos, quos terribili et incorrupto sistet tribunali ejus qui supra omnia existit, Dei scilicet ac Servatoris nostri Jesu Christi. Merito igitur propter administrationem in corpore suam inquit, « Vado » ad Deum meum. » Propter eam vero, quæ secundum naturam divinæ ex Patre generationis est, « Vado, inquit, ad » Patrem meum. » Deus igitur ille Discipulorum est, et Pater Filii secundum naturam : et Deus idem Filii secundum gratiam.

INTERROGATIO XXIII.

Et quî fit, ut de Patre sit scriptum : « Non esuriet, non » sitiet, neque est invenire sapientiam ejus[3] : » de Filio autem, quod esurierit post quadraginta dies, tentatus in deserto? Et quod sitierit, dum peteret a Samaritana potum. Iterumque de Patre : « Non lassabitur, non dormita- » bit, neque dormiet custos Israëlis[4]. » At Jesus defatigatus est ex profectione, et dormivit in navi : quæ utique Deo non competunt.

RESPONSIO.

Apage sis cum hac tua dementia. mi homo. Non enim esurire modo sustinuit, per se subsistens illud, vivum, sanc-

[1] Isaï. IX, 6. — [2] Psal. XLIX, 3, 4. — [3] Eccli. XVIII, 5. — [4] Psal. CXX, 4.

tumque Verbum : sed et passum est, assumpta nostra natura, in qua et sepulturam subiit. Primum flagellis cæso dorso, constrictum vinculis ad Herodem missum est a Pilato. Deinde colaphis in maxillas cæditur, et conspuitur. Sed et flevit, et in angore constitutum sudavit, « Fuitque sudor » ejus tanquam guttæ sanguinis. Et apparuit Angelus qui » corroborabat eum, inquit divinus ille Lucas[1]. » Quinetiam velut ignorans de Lazaro quærebat, « Ubi posuistis eum[2] ? » Et de muliere profluvio sanguinis laborante, quæ clam per tactum fimbriæ abstulerat sanitatem, « Quis me teti- » git[3] ? inquit. » Et ad Judæos, qui ipsum comprehensuri erant, « Quem quæritis[4] ? ait. » Et ad Discipulos, « Quem » me dicunt homines esse[5] ? » Item, « Quot panes habetis[6] ? » Cum nihil horum ignoraret, sicut exitus ipse rerum declarat, in Lazaro primum, quod ejus mortem prædicit, de quo apertius paulo post disseram, cum ad finem orationis me tempus compulerit : in muliere sanguinis profluvio laborante, contrectationis ipse sensus, et copiosum divinæ potestatis auxilium : in comprehensoribus, impetus et accessus causa, et horæ illius propinquitas, item quod interfectoribus dicit, « Ego sum[7] : » in eo quod quærit, quis hominibus esse videretur, hoc ipsum, quod Petrum ob exactissimam firmissimamque confessionem beatum prædicat : in panibus, de exiguis et paucis ingens multitudo reliquiarum. Cum enim quinque tantum essent, quinquies mille ad satietatem paverunt, ac præterea duodecim cophinos fragmentis repleverunt, post quam turba epulata erat, contactu et fractione illius aucti, qui in principio terræ mandaverat, ut triticum produceret, et aquis ut producerent omne genus natabile, ac quidquid ex eis nascitur.

[1] Luc. xxii, 44, 45. — [2] Joan. xi 34. — [3] Luc. viii, 45. — [4] Joan. xviii, 4. — [5] Matth. xvi, 13. — [6] Id. xv, 34. — [7] Joan. xvii, 5.

INTERROGATIO XXIV.

Quod si perfectus Deus est Christus, quomodo inquit Evangelista : « Puer Jesus crescebat ac spiritu confirmaba- » tur, et proficiebat tam sapientia quam ætate[1] ? » Deus certe non crescit, neque proficit sapientia, neque confirmatur, ut antea infirmus.

RESPONSIO.

Qui « Est sapientia, et potentia Dei et Patris[2], » ut inquit sanctus ille Apostolus, per dispensationem nostri similis incedit voluntaria demissione, sapientiam docens mortales, qui Adami plantavit aurem. Paulo autem superius oratione repetita, dilucidius ipsum demonstrabo Deum qui citra conversionem et immutationem ullam propter nos mortales infans sit factus, et incrementum acceperit corporis, non Divinitatis. Dicit igitur multa perpessus ille vates Jeremias : « Homo est, et quis cognoscet ipsum[3] ? » quo innuit ipsum Deum esse, qui tamen ignoretur ab iis, qui crassiore sunt intellectu, neque possunt per incredulitatem capere cognitionem ejus, veluti qui oculis ægri sunt, per imbecillitatem aspectum solis tolerare nequeunt. Si vero homo erat, quomodo non cognoscebatur, quemadmodum nos? Omnis enim homo plane cognoscitur aut ex parentibus, aut ex cognatis et consanguineis, aut denique ex contubernalibus et domesticis. Ex nullo igitur eorum, quæ in nobis sunt, Vates ipsum exprimens, inquit : « Homo est, et quis » cognoscet eum? » Quoniam cum Deus esset, hoc tamen fieri voluit, famem et sitim æque admittit, quæ sunt corporis affectiones, expertes vitii ac reprehensionis, Mani-

[1] Luc. II, 40 et 52. — [2] 1 Cor. I, 24. — [3] Jerem. XVII, 9. juxta LXX.

chæorum hoc ipso vanitatem refutans, qui opinionem et rem imaginariam esse statuunt ipsius in carne administrationem.

INTERROGATIO XXV.

Num animam tradis habere corpus Verbi, vel pro anima ipsa operatur Divinitas ? Hoc enim multi asserunt, et verisimile videtur.

RESPONSIO.

Stoliditatis et dementiæ est, inanimatum putare Dei Verbi corpus; utrisque enim, quibus humana natura constat, Verbum unitum est supra captum rationis nostræ, animæ, inquam, et corpori, utrique parti robur suppeditans. Alterutro enim si careat, inutile erit et alterum, et imperfecta salus nostra, dum vel manente in interitu corpore, vel anima detenta in orco.

INTERROGATIO XXVI.

Quamobrem ergo Joannes id non indicat? Post quam enim dixisset : « In principio erat Verbum, et Verbum » caro factum est[1], » non addit, quod etiam anima factum sit, aut quod animam sumpserit.

RESPONSIO.

Si inanimatum esse cogitabimus Domini corpus, sequetur prorsus passioni nos obnoxiam pronuntiare Divinitatem, animæ instar in carne se dividentem, famem, sitim, somnum, lacrymas, angorem, sudoremque naturaliter

[1] Joan. 1, 1 et 14.

perferentem. Audiatur autem Davides divinus ille vates, de anima personæ ex homine Deoque, constantis canens illius ipsius verbis : « Quoniam non derelinques animam » meam in orco, neque permittes ut sanctus tuus videat » corruptionem[1]. » Ipse vero Servator inquit in Evangelio : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et rursus » sumendi eam[2]. » Item, « Ego sum pastor ille bonus, qui » ponit animam suam pro ovibus[3]. »

INTERROGATIO XXVII.

Num igitur et Pater animam habet? Esaïas enim in ipsius persona de Christo inquit : « Ecce servus meus, quem » elegi, dilectus meus, qui gratus et acceptus est animæ » meæ[4]. » Si igitur ex iis, quæ Filius loquitur, animam ipsum habere putas : omnino etiam ex iis, quæ locutus est Pater, animam habere ipsum dixerimus. Quod si Pater non habet, nec Filius habebit. Sin autem habet, de hoc ipso liquet, quod Patri sit inæqualis.

RESPONSIO.

At non habet animam Pater, quod neque carnem humanam subiit cum Filio, neque crucem et mortem, propter quæ verbum carne opus habuit, ut illa assumpta pateretur, ac pro mortalibus immortales et æternum beatos homines efficeret.

INTERROGATIO XXVIII.

Sed quare non aperte Joannes et de anima dixit, quod assumpserit eam, sicut dicit de carne?

[1] Psal. xv, 10. — [2] Joan. x, 18. — [3] Id. xi, 4. — [4] Isaï. xlii, 1.

RESPONSIO.

Num ergo, quia dicit Scriptura, quod fecerit Deus hominem, accepto de terra pulvere, nec addidit, quod fecerit caput, aut cerebrum, aut hepar, aut splenem, aut pulmonem : non quod cætera denique naturalia in nobis arcana fecerit, ideo privatos esse, et illis carere nos putabimus, quia non quævis minuta nostræ naturæ organa Litteræ sacræ recensent? ut igitur in consideratione nostri ex parte totum cognoscitur : sic et sanctum Deum Verbum tam animæ, quam corpori unitum esse credamus, ne inanimatum divinum illud corpus arbitrantes, Deo quasdam affectiones naturales tribuamus.

INTERROGATIO XXIX.

Sed quomodo « Æqualis Patri secundum Divinitatem[1] » est Christus angori et sudori obnoxius, et ab Angelo confirmatus, quemadmodum de ipso Lucas inquit, de quibus supra quæstione mota, eorum declarationem præteriisti?

RESPONSIO.

Per hæc manifesto docemur, non imaginarie, nec hominum opinione, sed reipsa potius nobiscum unitum esse vivum illud et per se subsistens sanctum Deum Verbum, excepto solo peccato atque vitio, quæ cadere divinam in naturam nequeunt. Nam angi animæ, sudare vero corporis esse dicimus : sanguineas autem guttas e carne effervescentes, puto per emanantem liquorem, infusum nobis per aures venenum serpentis in transgressione divini in paradiso præcepti, per unionem Dei et Verbi a nostra

[1] Luc. xxii, 44, 45.

natura abstergere : ne amplius sacrificiorum nidore, et sanguine, filiorumque mactationibus a nobis colatur auc tor ille malorum dæmon. Neque Angelus corroborare, suumque creatorem confirmare mihi videtur. Quomodo enim famulus Dominum confirmaret, aut spiritus petram corroboraret. Nam « Petra erat Christus[1] » inquit divus ille Apostolus. Et rursus, « Qui facit Angelos suos spiri- » tus[2]. » Item, « Absque omni controversia, minus a ma- » jore benedicitur et confirmatur[3]. » Ex quibus merito intelligatur, propter novum et inauditum miraculum victoriæ Christi, quod secuturum erat, victorialem quam dam speciem Angelum exhibere, Moysis legislatoris verba reipsa declarantem, qui ante mille et plures annos exclamat : « Exultate cœli cum eo, » quoniam id quod dejectum erat ad superna reduxit, « Et adorent ipsum omnes » Angeli Dei, » cum sua loca hominum accessione augeri cernant. « Exultate gentes cum populo ejus, » et quotquot gentibus Enocho, Noë, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Josepho, Davidi, Christo, et Ecclesiæ sunt additi, « Quo- » niam sanguis filiorum ejus, inquit, vindicatur, et vindi- » cabit, et retribuet ultionem inimicis, et odio prosequen- » tibus ipsum retribuet, et expurgabit Dominus terram » populi sui[4]. » Sed et eximius Apostolus victoriose in Christo se confirmans inquit : « Christus est Dei potentia » et Dei sapientia[5]. » Et rursus tanquam ipsi victori omnem creaturam suppliciter summittere docens, inquit : « In » nomine Jesu Christi omne genu se flectet, cœlestium et » terrestrium, et omnis lingua confitebitur ei[6]. » Cum hoc autem consentiens filius ille tonitrui Joannes, de Christo victoriose concionatur, in hæc verba : « Et conspeximus » gloriam ejus, gloriam velut unigeniti a Patre, qui ple-

[1] 1 Cor. x, 4. — [2] Psal. cm, 4, et Hebr. i, 7. — [3] Id. vii, 7. — [4] Deut. xxxii, 43. — [5] 1 Cor. i, 24. — [6] Philip. ii, 10, 11.

» nus est gratia et veritate[1]. » Angelum autem et nos imitemur, quasi confirmantes victoriose Christum, tempore divinæ illius rerum mysticarum administrationis, clamantes : « Quia tua est potentia, et tuum est regnum, et po- » testas, et gloria[2]. » Ecce unitatem divinæ naturæ, nempe Patris, et Filii et Spiritus sancti. Consimilis et in gymnicis certaminibus consuetudo est, sive in exercitiis corporum ac certaminibus, ut athletæ fortes atque robusti adolescentulorum et admodum juvenum, quibus adhuc barbæ lanugine genæ conteguntur, acclamationibus excitentur et ungantur, quo vigore quodam aucti fortius in adversarios tendant. Non quod robur et fortitudo ab imbecillioribus suppeditetur fortibus, sed quod certa lege et ordine consueverint hæc præcedere. Dominii quidem certe lex est, ut a famulis heri ungantur atque colantur : legis autem plenitudo est Christus, qui omnium in universum Dominus est. Angelis vero proposita lex est, ut sapientem illum conditorem et herum suum studiose colant atque demulceant, et ab eo juventur, non eum ipsi juvent. Nam si illorum robore indigeret, multo magis in deserto, dum quadraginta dies a diabolo tentaretur, indiguisset. Verum id sacris in Litteris nusquam traditur. « Angeli enim accedentes, » non auxiliabantur, « sed ministrabant ei[3]. » Id quod evidenter illius quidem dominium, horum autem subjectionem demonstrat. Secundum hanc igitur rationem expositam intelligantur ista de Angelo. Neque enim sancti illi Cherubin quippiam sanctitatis addentes in cœlo sanctæ Trinitati, sine intermissione; « Sanctus, Sanctus, Sanc- » tus[4], » exclamant : neque itidem dum nos in hymno sanctissimo canimus, « Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, » vel sanctitatem aliquam vel fortitudinem, vel immortalitatem Divinitas recipit.

[1] Joan. I, 14. — [2] Apoc. XII, 10. — [3] Matth. IV, 11. — [4] Isaï. VI, 3.

INTERROGATIO XXX.

Satis de iis, quæ a nobis explicare jussus eras, edocti sumus : quod reliquum est, rogamus ut insipientum quorumdam voces subvertantur. Dicunt enim Servatorem ignorare Lazari sepulcrum, et mulierem profluvio sanguinis obnoxiam, cum fimbriam tangeret, non sensisse. Præterea quod neque perfectus fuerit Deus ; « Proficiebat » enim, et confirmabatur sapientia, et ætate, et gratia[1], » ut inquit Evangelium.

RESPONSIO.

Nolite committere, ut quæ ratione administrationis in carne ab ipso dicta sunt, vobis occasionem blasphemiæ præbeant. Nempe : « Ubi posuistis ipsum[2] » aut, « Quis » me tetigit[3] ? » aut, « Quem quæritis[4] ? » aut, quod « Puer crevit, et corroboratus est, et proficiebat sapientia » et ætate. » Nihil enim horum ignorationis crimen impingit qui propter nos similis nostri factus est Deus Verbum. « Pater » enim meus, inquit, usque ad hoc tempus operatur, et » ego operor[5]. » Non quod deficiat quidquam in condito a nobis universitatis hujus opificio, quasi imperfecta sint creata sub aspectum cadentia : sed operamur, eam quæ consentanea virtuti est, vitam hominibus suggerentes cum Deo Patre nostro, idque per eos, qui ab ipso jam ex conditione deteriori confirmati sunt in meliorem. Pater idem interrogabat primum parentem nostrum Adamum, post quam deliquisset, « Ubi es[6] ? » Non ignorans ipsum latebras conatum quærere, vel quod oporteret terrore percelli transgressorem : sed quasi ridens ac subsannans clandes-

[1] Luc. II, 40 et 52. — [2] Joan. XI, 34. — [3] Luc. VIII, 45. — [4] Joan. XVIII, 4. — [5] Id. V, 7. — [6] Gen. III, 9.

tinam ipsius subductionem, et temerarii consilii stoliditatem, quod mox post fructus vetiti degustationem occultare se vellet. Itaque compellat ipsum is, quem nihil latere potest : « Ubi es? » Tu qui putasti futurum, ut consilio serpentis Deus evaderes, ubinam es? Qui incredulus fuisti Deo, et credidisti inimico, ne te abscondas, inquit : non enim ignorat te immortalem et beatam vitam exuisse. Similiter igitur et Filius, ubi clausus jaceret Lazarus, non ignorabat. Nam ea de causa jam totum ante biduum, prius quam in Lazari patriam Bethaniam perveniret : « Lazarus, inquit ad comites itineris, amicus noster dormit, » et vado ut excitem eum[1], » qui jam ante totos quatuor dies mortuus fœtet. Quomodo igitur is, qui ante accessum locorum, ea quæ in iis locis acciderant notat, post quam corpore ad illa pervenit, ignorabat quæ præcognorat ipsius Divinitas, secundum quam implebat universa? Nimirum certo quodam consilio quærebat, ut ea occasione ipsum demonstrarent Judæi ad sepulcrum congregati, iidemque testes fierent resurrectionis ejus, qui fuerat mortuus : quo pacto illius, cujus sudario caput erat obligatum, facies amictu lintei tecta, pedes vinculis sepulcralibus constricti, jam per calvariam cernentis, ore diducto corrupti, lingua oculisque diffluentis, quo igitur pacto hujus anima per vocem opificis eminus attracta in corpus illud, quod reliquerat, rursus immigrasset? Quomodo item convolutis pedibus exiliens sepulcro, egressus esset, dum illæsus et nulla corporis parte mutilatus cernitur, per vocem Verbi corroboratus, eoque ad egressum auxiliatore usus? Videtur autem mihi, ipsam quoque mortem quodam modo commoveri ad velocissimam istam excitationem, ne quando per cunctationem altera voce Verbi audita, mox universos apud se degentes solvere cogeretur, quale quiddam post

[1] Joan. XI, 2.

sex dies accidit infelici, cum is qui ad reviviscendum vocat mortuos, ad mortem accederet, secundum divinorum vatum Jobi et Esaïæ prophetiam, ante mille annos luculente clamantium : « Ingressus es mare, et ambulasti in vesti» giis abyssi, aperiuntur tibi cum terrore portæ mortis. » Custodes januæ orci te videntes exhorruerunt[1]. » His autem consentiens divinorum Carminum auctor Davides inquit : « Cantate Deo, psallite ipsius nomini, viam parate ei, » qui ingreditur ad occasum. Dominus nomen ei[2]. » Viam autem nos ipsos Domino parare docemur, domumque facere per sanctam vivendi rationem, Numen ad nos velut in sacrarium recipientes, mansio et templum ipsius facti[3], ut in Evangelio et Paulus divinitus ipse docuit[4]. Et intelligi per occasum potest natura nostra, et ærumnosa hujus mundi regio, quæ vitiorum voluptatibus obumbratur. Intelligi etiam potest orcus. Atque in his immaterialis et umbra carens illa lux irradians, omnia meliorem in statum redegit et transformavit. Naturam reparavit mundo illustrato, et orco spoliato, quo mitescat, et detentos apud se dimittat. Atque hoc quidem aliquo modo recte mihi videtur innui a Davide. Verba autem Jobi et Esaïæ haud multo post explicabimus, nunc propter angustiam temporis ea differentes. Uterque autem id quod futurum erat, quasi jam factum pronuntiaverunt ratione conveniente, tanquam certi de vaticinii sui eventu. Secundum dispensationem igitur ignorare se simulavit, qui omnis in universum creaturæ cognoscit arcana, vel ut interrogationem turba excitaretur ad monstrandum Lazarum, et ut ab ipsis inimicis tanto magis testimonium prodigiosæ rei perhiberetur.

[1] Job. xxxviii, 16, 17, et Isaï. xiv, 9. — [2] Psal. lxvii, 5. — [3] Joan. xiv, 23. — [4] 1 Cor. iii, 16, et vi, 16.

INTERROGATIO XXXI.

Satis bene hac de Lazaro ratione percepta, rogamus de muliere sanguinis profluvio laborante ut disseras, ut ex hac conjecturam faciamus etiam de cæteris interrogationibus Servatoris.

RESPONSO.

Per hanc quoque docemur æqualem Filium esse Deo et Patri, nec ob ignorationem, sed ex dispensatione certoque consilio, Patrem imitando, quærere. Inquit enim is ad primum homicidam Caïnum, qui per invidiam interemit fratrem, propterea quod illius dona prælata essent, jam intus latente invidia, et gladium cædis exacuente : « Ubi » est Abelus frater tuus[1] ? » Non ignorans, sed cruento homicidæ occasionem pœnitentiæ suggerens. Ipse vero in amentiam versus : « Num custos ego, inquit, fratris » mei sum[2] ? » Rursusque ipsum divina vox redarguens inquit, « Vox sanguinis fratris tui clamat ad me[3]. » Ex quibus manifestum fit, non ex ignorantia, sed ex amore et bonitate qua erga hominem præditus est, interrogationem a Deo et Patre ad crudelem homicidam institutam fuisse. Ad eumdem igitur modum et Filius, non quod ignoraret, sed ideo interrogavit, ne si ipse per se miraculum indicasset, crassioribus videretur superbire? neque item ipso tacente, jacturam faceremus miraculi, certo consilio interrogatione usus est, ut ipsa progrediens, prædicaret ejus pœnæ ac mali liberationem, quæ per fimbriæ attrectationem facta erat. Inquit enim Evangelista : « Videns mulier » quod latere non posset, tremens venit, et adorans conge-

[1] Gen. IV, 9. — [2] Ibid. — [3] Ibid. 10.

» nulabat[1]. » Quinetiam ante adventum suum in carne ignorantiam præ se ferens, inquit ad Abrahamum : « Ubi » est Sara uxor tua[2]. » Quod si ignorasset, non sane reprehendisset eam, quæ in tabernaculo ridebat. Nam quod habetur, intra semetipsam risisse Saram, modice ipsam risisse indicat. Confestimque trinus hospes a Patriarcha susceptus, nominatim ipsam compellabat, eam, quæ sterilis erat, fœcundam fore promittens. Finis autem promissionis erat, natus est hac Isaacus. Non enim figmentum, non creatura, non præterita, non præsentia, non futura, non quidquid nominari vel cogitari potest, Christum latet.

INTERROGATIO XXXII.

At quomodo ipse in ministri ordine, et in famuli numero semetipsum ponens dicit? « Nemo venit ad Patrem, » nisi per me[3]. »

RESPONSIO.

Verum oportet et eam vocem, quæ huic opposita est, a Christo audire : « Nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater » meus cœlestis traxerit eum[4]. »

INTERROGATIO XXXIII.

Sed non est idem, Per me, et Trahere. Nam per me, ejus est qui subjectus est : trahere vero, qui propria potestate cogit.

RESPONSIO.

Quid igitur est, quod « Ad Adamum Deus adducit ani

[1] Luc. VIII, 47.— [2] Gen. XVIII, 9.— [3] Joan. XIV, 6.— [4] Id. VI, 44 et 66.

» malia , ut videret quid vocaret ea[1] , » sicut inquit liber de creatione rerum ? Num propterea audebis ministrum et famulum nominare Deum ?

INTERROGATIO XXXIV.

Ergo si perfectus Deus erat Christus , quomodo sapientia et ætate ipsum proficere dicit Evangelium[2] ?

RESPONSIO.

Non debemus illa applicare Divinitati. Secundum illam enim neque crescit, neque deficit, non minuitur, non fit gloriosior, non major, non insistit, non contrahitur. Proficit vero roboratus et crescens secundum naturam nostram in servili forma. Non enim plenitudo Divinitatis imminuta est, neque secundum profectum humanum Deus est.

INTERROGATIO XXXV.

Quomodo vero non dicemus creatum esse Filium , de ipso in Epistola dicente Apostolo : « Suscipite pontificem » fidei vestræ , qui fidelis est ei qui constituit ipsum[3]. » « Et, Notum sit vobis omnis domus Israël, quod hunc » Jesum quem vos crucifixistis , Dominum et Christum » Deus fecit[4]. » Sed et Salomon inquit in persona Christi ad Deum et Patrem. « Dominus creavit me , initium via- » rum suarum , ad opera sua[5]. »

RESPONSIO.

Cum etiam in præcedentibus de iisdem tractaverim ,

[1] Gen. II, 19. — [2] Luc. II , 52. — [3] Hebr. III, 1, 3. — [4] Act. II, 36. — [5] Prov. VIII, 22.

iisdem rursus implicari, absurditatis fuerit aut lusus puerilis. Nam quod inquit, « Fecit ipsum, » et, « Creavit me, » de carne intelligi puto. Videmus autem et similitudines non idem esse cum rebus assimilatis. Nam in Parœmiæ volumine positum esse scimus illud, « Dominus creavit » me. » Parœmiæ autem illusiones quædam sunt, in verbis sitæ. οἶμος enim viam in externa doctrina significat. Quapropter et allusiones, et imagines rerum sunt parabolæ. « Simile est regnum cœlorum grano sinapis[1], inquit Dominus. Quomodo vero in grano sinapis omnium seminum minutissimo immensæ multitudines et nationes Angelorum et Archangelorum locum habebunt, nisi dicamus similitudine usum esse sapientissimum Dominum, idque vel propter humilem voluntariæ paupertatis et ad nostram tenuitatem demissionem, per quam nobis umbra et refrigerium fit dolorum præsentis vitæ : vel propter mediocritatem evangelici gregis, qui erat ab initio : vel propter Divinitatis in Verbo acredinem, per quam cientur nives lacrymarum delicatis et mollibus per virtutem intellectibile pœnitentiæ sinapi participantibus : quo et divinus vates Davides se satiatum canit : « Lavabo singulis noctibus lec- » tum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo[2]. » Et rursus, « Decursibus aquarum submersi sunt oculi mei[3] : » vel propter futurum divinum judicium, quod acerbum superveniet iis, qui superati sunt a vitiis, quemadmodum ubique divina Pagina perhibet, et externæ doctrinæ per Platonem ululatus lugubres in igni futuros minantur. Vel propter indivisam et inseparabilem Verbi et carnis unionem, et unam hypostasim, nullo verbo aut cogitatione separabilem. Nam illico excidit divinum regni granum per digitos mentis eorum, qui dividunt, blasphemorum manibus includi nequaquam sustinens. Sed neque manifesto

[1] Matth. XIII, 31. — [2] Psal. VI, 7. — [3] Id. CXVIII, 136.

quisquam scire potest, num Parœmiarum scriptor Salomon de Filio Dei loquatur, cum ait : « Dominus creavit » me, » vel etiamsi sic accipiatur sapientis illius viri dictum, videtur mihi significare adventum uniti cum Deo hominis, cum ait : « Dominus creavit me, initium viarum suarum » ad opera sua. Ante ævum me fundavit, et ante omnes » colles gignit me[1]. » Quomodo igitur genitum fundatur? aut quomodo creatum gignitur? Nam creatum genitum non est, et genitum creatum non est. Aliud enim est illud, et aliud hoc. Utraque vero videmus esse Filium. Increatum quidem Divinitate, creatum vero humanitate. Est autem frequens mos sacræ Scripturæ, ea quæ nobis propria sunt, indicare primum, deinceps antiquiora. Sic enim facit et divinus Matthæus, ex propinquioribus ordiens annuntiare nobis Evangelium de Christo : « Liber, inquiens, genera- » tionis Jesu Christi, filii Davidis, filii Abraham[2], » partim quidem Judæos alliciens, filios Abrahami sese falso prædicantes, et vane se jactantes propter viros sanctos, quo rum vitæ rationem non imitabantur : partim vero rudiores per propinquiora in divinam cognitionem ducens, et in Evangelio deinde progrediens, orditur divina prædicare de Christo, quasi per scalam aliquam subducens ad divi- niora nostrum intellectum. Inquit igitur rerum divinarum peritus ille Salomon : « Dominus creavit me, initium via- » rum suarum. » Nam initium viæ justitiæ Evangelii, est quod secundum carnem nobis ex perpetuæ virginitatis ma- tre Maria nascitur Deus Verbum, quod omne ævum ante erat. Antequam circularis esset hebdomada sæculi præsen- tis, sexta die anima in Adamo fundata est ab opifice naturæ nostræ. Atque sic post sextam septima hujus sæculi cons- tituitur dies, septies in semetipsam revoluta per totum præsens sæculum. Ad diviniora autem et antiquiora pro-

[1] Prov. VIII, 22, 23 et 25. — [2] Matth. I, 1.

grediens, inquit : « Ante omnes colles gignit me, » per colles, hoc loco, cœlos, vel certe eas, quæ supra cœlos sunt, Potestates significans. Non enim cœli, non Angeli, non Archangeli, non temporis qualitas aut quantitas, non sæculum, non aliud quidquam, quod cogitari vel dici potest, antiquius est Filio. Nam ipse sæculorum conditor est, omniumque rerum in universum, aperte clamante Paulo ; « Per quem et sæcula condidit[1] : » et, « In ipso creata » sunt universa tam aspectabilia quam inaspectabilia : quo- » niam omnia per ipsum facta sunt[2]. » Creatur igitur ex Maria ratione carnis assumptæ : fundatur vero anima in creato corpore : utrisque autem unitus Verbo, creatus quidem cernitur homo, increatus autem intelligitur Deus ex increato Patre, ac Patrem non habente.

INTERROGATIO XXXVI.

At quomodo ipse Filius creatum semetipsum ostendit, dicens : « Ego sum ostium ovium, et via[3]. » Similiter et a Prophetis creatus esse innuitur, ab Esaïa quidem, cum « Lapis offensionis[4], dicitur et petra scandali » : a Davide vero, columna ignis, et ab aliis, leo, ovis, et alia quamplurima.

RESPONSIO.

At cavendum, ne litteræ dormitando incumbentes nosipsos a divinioribus secludamus. Nam secundum eximium Apostolum, « Littera occidit, spiritus vero vivificat[5]. » Vicissimque inquam ego : Non occidit littera eos qui recte considerant, neque item vivificat Spiritus blasphemantes

[1] Hebr. I, 2. — [2] Coloss. I, 6. — [3] Joan. X, 7, et XIV, 6. — [4] Isaï. III, 14. — [5] 2 Cor. III, 6.

ipsum. Honoremus igitur spiritum ut intelligamus litteram. Figurate Filium, ostium, et viam, et lapidem, et si quid aliud est ejusmodi similitudinum dici accipiamus, viam intelligentes ipsum, ut qui nos in cognitionem Patris divinarumque rerum ducat. Ostium est apertum iis, qui per virtutes intus regenerari student, pugno frequenter percutientes pectora. Columna vero intelligatur firmamentum esse fidei nostræ, firmiter suffulciens et ferens simul universa. « Lapis autem offensionis » incredulis est, « Et » petra scandali » Judæis. Nobis autem lapis fundamenti Ecclesiæ, totam basim continens. Petra, robur et firmitas confessionis, qua procellæ hæresum impugnatæ, in spumam rursus dissolvuntur. Vermis quemadmodum Davides divinorum Carminum auctor inquit[1] : ac nobis quidem instar vermis ex terra, absque aliquo affectu, aut coïtu, ex perpetuæ virginitatis matre Maria, absque nuptiali commixtione natus; adversariis autem vermis supplicii, stimulans et depascens absque fine.

INTERROGATIO XXXVII.

Atqui nisi ipsum creaturam esse dixeris, contumelia generationis Patrem afficis, affectum ei tribuens. Omnis enim qui generat, omnino erit obnoxius affectui. Aut enim contrahitur, aut dilatatur, aut sectionem derivationemve patitur, aut effertur, aut deprimitur, aut certe tale quid sustinet, qui generat.

RESPONSIO.

Absit procul tale delirium, o præclare. Non enim divina natura corpus est, elationi aut contractioni subjectum, aut

[1] Psal. xxi, 7.

fluxui, aut sectioni, aut prorsus qualicumque affectui mancipatum. Quatenus igitur Pater Spiritus est, Filium Deum Verbum spiritualiter absque tempore ineffabiliter genuit. Et vero quia plerisque videtur visui potius quam auditui credendum, etiam facili aliquo exemplo utendum esse ratus sum in eo declarando, quod absque affectu Deus generet, non fluxum, neque sectionem patiens. Creatura utique Dei est sol, quo aliqui in extremitatibus inhabitabilibus igne carentes ad coquendos cibos, equorumque pastores, et bubulci, et subulci et pastores alii, calicem aqua pura implent, et radio solis obvertunt, aridoque firmo admoto ad vas aquarium, illico ignem auferunt, cum interim nec sectionem, nec fluxum, nec tumorem, nec contrectationem luminare ipsum patiatur.

Idem per purum vitrum in domiciliis penetrans, quasique radios gignens per universam terram, nihilominus absque defectu, et absque sectione per omnia cernitur. Similiter et fax, etiamsi infinitas lampades accenderit, neque fluxum, neque sectionem patitur. Si igitur absque læsione fiunt ista, in infinitum istis per omnia superiorem esse naturam divinam credamus. Nam simul in universum omnia ad ipsam collata sunt instar venti tenuis. Ergo genuit Pater Filium, non per sectionem aut fluxum, non per tumorem vel contractionem : sed incorporeus existens incorporeum Verbum ejusdem substantiæ, quod et audit et loquitur. Vani igitur illi et insipientes, qui cum ignominia honorant Patrem, ne audeant creatum pronuntiare Filium. Si enim, ut aiunt, Pater generans patitur : etiam ego creantem fatigari dico.

Unde igitur ortum dicemus Filium, ne Patrem aut pati, aut fatigari blaspheme statuamus? Absit igitur a te ut cum hac ignominia vélis naturam divinam honorare. Nam qui Filium blasphemat, Patrem lapidat. Quemadmodum

ipse in Evangelio sancte prædicat : « Qui non honorat Fi-» lium, neque Patrem honorat[1]. »

INTERROGATIO XXXVIII.

Sed quomodo dicunt aliqui, quod secundum electionem et gratiam Christus sit factus Dei Filius? Non enim inquit Pater, « Hic est Filius meus dilectus » quem genui, sed « Quo delector[2]. » Et Esaïas in persona Dei et Patris de Christo inquit, « Ecce Filius meus quem elegi, dilectus » meus quo delectatur animus meus[3]. » Ad eumdem modum et Salomon inquit, « Electus e decem millibus[4]. »

RESPONSIO.

Ut videtur, Ariana laboras dementia, tanto conatu adversus veritatem contendens. Ostende igitur similes Christo, quos Pater approbaverit, ut Christum elegit solum. Nam si Filius est unigenitus, non habet fratrem aut æqualem, aut sibi ex opposito respondentem. Cecinit enim de ipso Davides ille divinus : « Quis assimilabitur Domino inter » filios Dei[5] ? » Et deinceps : « Magnus et tremendus est, » supra omnes qui sunt in circuitu ipsius[6]. » Tanquam nemo possit secundum gratiam, aut secundum profectum conferri Deo Verbo, qui propter mortales hominem assumpsit, et merito electus est.

Cum enim plurimæ et innumerabiles essent mulieres adhuc incorruptæ, solam tamen ex omnibus selegit Mariam, in ipsa ineffabiliter uniens sibi et copulans naturam nostram, quemadmodum divinus ille Vates inquit : « Elegit » nobis hæreditatem sibi pulchritudinem Jacob, quam

[1] Joan. v, 23. — [2] Matth. III, 19. — [3] Isaï. XLII, 1. — [4] Cant. v, 10. — [5] Psal. LXXXVIII, 7. — [6] Ibid.

» dilexit[1] : » Mariam perpetuo manentem virginem significans, quæ nunquam ad generandum progressa fuerat, aut fœtum in utero materno conceperat. Amplexus Pater eam, quæ ex ipsa erat, incarnationem Verbi, e supernis acclamat : « Ecce Filius meus dilectus, quo delector[2]. » Quibus in verbis intelligit unicum illum ex se, et ex perpetua Virgine natum nobis Filium Deum, sibi et nobis consubstantialem : ipsi quidem divinitate, nobis vero ratione carnis assumptæ. Idem enim inter mortales apparens immortalis, spontanea voluntate mansit quod erat, cum conspiceretur id esse, quod sum ego.

INTERROGATIO XXXIX.

Quomodo vero secundum profectum et dilectionem Apostolus ipsum ostendens Filium Dei, de Patre inquit; « Qui eripuit nos ex potestate tenebrarum, et transtulit » in regnum Filii dilectionis suæ[3] ? »

RESPONSIO.

Verum ex his non ostendetur esse ipsum secundum profectum Filium Dei. Alibi enim idem inquit Apostolus, « Quoniam Deus dilexit nos in Christo[4], » significans dilectionem Dei et Patris esse Christum, quemadmodum et sapientiam et virtutem. Dilectio igitur est Pater, similiter et Filius, ut lumen ex lumine, et Deus ex Deo, et dilectio ex dilectione. « Nam Deus est dilectio[5], inquit Joannes. Cessent igitur Arianæ vesaniæ sectatores, qui creaturam creatorem putant, neutro Testamentorum id volente. Quatuor nobis sunt Evangelia, capita mille centum sexa-

[1] Psal. XLVI, 5. — [2] Matth. III, 17. — [3] Coloss. I, 13. — [4] II Thess. II, 16. — [5] I Joan. IV, 8.

ginta duo : et ab initio ad fidem usque in ipsis divinitus tradit doctrinam Filius de Patre, et Pater de Filio, et tamen neuter ipsorum inquit: « Creavi mihi Filium; aut vice versa : Creavit me Pater. »

INTERROGATIO XL.

Quid igitur statuis de virgine Maria? num creatam, an increatam, et quod ex ea est corpus Christi? et quomodo Christum adoras? Nam si ipsum creatum dixeris, id quod omnino necessum est, creaturam videlicet aliquam adoras. Si vero non adoras, negas Filium Dei. Non describo Divinitatem secundum formam. Simplex enim est, et inaspectabilis, et forma carens. Carnis autem formam intuens, adoro Deum, ut par est propter eam, quæ secundum hypostasim est, unionem.

RESPONSIO.

Per meam certe salutem, non ut creaturam adoro Christum, sed ut creaturarum opificem et Deum. Quemadmodum regem cum purpura honoro una et eadem veneratione, ipsum ab illa non separans. Alioqui num tibi videtur ad imperatorem dicendum esse: Surge de throno tuo, ut adorem te? aut, Egredere ex templo, ut te celebrem absque materia inanimata? Si ergo res inanimæ una cum animatis adorantur, et res omnino leves : merito utique et ejus qui omnium in universum, quæ sub sole sunt, Dominus est, et Verbum illud, cum templo corporis, quod ipsum purpuram ejus voco, et tunicam, et solium, una adoratione adorabitur.

INTERROGATIO XLI.

Atqui si Deus est cum corpore, quomodo inquit ipse, « Deum nemo vidit unquam[1] ? » Siquidem Deus erat, omnes qui cum illo id temporis fuerunt, viderunt ipsum.

RESPONSIO.

De Patre loquitur Filius, cum ait, « Deum nemo vidit » unquam. » Non enim inquit: Filium, qui Deus est Verbum, et homo factus, nemo vidit unquam. Viderunt quidem Prophetæ, et Apostoli, et omnes justi Deum; verum nullus quod est natura sua videre potest. Non enim ulla natura, quæ sit capax ejus aspectus. Unicuique vero apparet digno, non sine aliquo velamento pro mensura puritatis ejus, qui ei ministrat. Vidit proinde Jobus, sed per turbinem et nubes. Ante ipsum vero Abrahamus per Angelum loquentem. Vidit Jacobus ut hominem secum luctantem. Moses in medio calignis. Similiter et cætera sanctorum turba per ænigmata et velamenta. Viderunt et Apostoli per carnem hominem factum Deum et Verbum. Eumdem Filium et Dei et hominis unusquisque cernit pro mensura propriæ virtutis et roboris animæ, sicuti prout vel lucidi vel turbati sunt corporis oculi, alii quidem diu possunt solem directo intueri, alii vero imbecilliter, haud ferentes fulgorem ejus luminaris, neque incursum radiorum.

Videmus enim mare ab aliquo montis vertice vel colle, et cum veritate dicimus nos mare vidisse, cum superficiem pelagi solam, eamque tantum particulariter cernamus. Non enim ab eo, quod apud nos est, plano præruptove littore in eam, quæ e regione opposita est, spe-

[1] Joan. I, 8.

culam vis oculorum pertingere potest, evanescens in aëre. Neque item profunditatem ejus imumque fundum mens invenire potest. Semper enim ab eo, quod putatur aliud animum subit, quod contineat ejus eminentias, ne diffundatur aut diffluat, quatenus in immensum extenditur, intellectus noster, ut apparet, deficit. Cernimus autem et cœlum non omnes similiter, sed quisque secundum vires oculorum. Neque enim mens ad extremitatem pertingit, neque propter resilientem a nobis illius fornicis soliditatem prorsus accedere potest.

Cernimus igitur ea, quæ sunt in eadem servitutis conditione, non secundum id quod sunt, sed secundum id quod percipimus. Sunt enim nobis proposita tum aspectabilia tum in aspectabilia, et horum aliud quidem ex parte, aliud vero totum. Consimiliter et Deus et aspectabilis et inaspectabilis est hominibus. Illud quidem ratione velamenti corporis, per demissionem: hoc vero, naturaliter et immensitatis ratione. Non enim sustinet ignis propinquitatem stipula et palea, cum ob ariditatem mox in terram resolvantur. Paululum enim in se Divinitatem nudans Christus, in monte transformationis versavit columnas Ecclesiæ. Nam illico procidentes Petrus, et Jacobus, et Joannes, ob timorem palpitantes, propemodum colliquescebant igne Divinitatis. Ad id autem nos ducens divus Apostolus, aperte clamat: « Ex magnitudine creaturarum » et pulchritudine, ratione quædam conveniente Creator » cernitur[1]. » Cum enim cœlum, et terram, et mare, ut secundum naturam sunt, in totum cernere nequeamus; quomodo Conditorem nostrum videre secundum ipsius naturam poterimus?

[1] Rom. I, 20.

INTERROGATIO XLII.

Post quam de Christo satis instructi sumus, cupimus pauca audire de Spiritu sancto, num æqualis sit Patri et Filio, propriæ potestatis auctoritate faciens et mandans quæ vult, et quare cum aqua et igne in Scriptura comparetur.

RESPONSIO.

Audi proinde, o præclare, propria auctoritate et potestate Spiritum præcipientem et facientem æqualia cum Patre et Filio. « Segregate jam mihi Barnabam et Saulum » in opus, ad quod vocavi eos [1], » inquit ad Apostolos. Consentiens autem cum hoc ad Paulum inquit Filius. « Ingre- » dere in civitatem, et ibi dicetur quid tibi faciendum sit [2]. » Alibi autem dicunt Acta Apostolorum : « Hi quidem emissi » a Spiritu, abierunt Seleuciam [3]. » Ad eumdem modum Filius : » Profecti docete omnes gentes [4]. » Consimiliter Apostoli ; « Visum est, inquiunt, Spiritui sancto et nobis, de » nulla alia re vos admonendos, quam de necessariis illis [5]. » Similiter et Paulus inquit : « Dico autem non ego, sed Domi- » nus, ne uxor separetur a viro [6]. Peragrata, inquit alius, » Phrygia, et Galatica regione, prohibiti sunt a Spiritu, » quominus doctrinam exponerent in Asia [7]. » Ad eumdem modum Filius ad Apostolos inquit : « In viam gentium ne » abieritis, et in civitatem Samaritanorum ne ingredia- » mini [8]. » Sed et divinus ille Davides sacræ Trinitatis opus ostendens hæc universa, canit in Psalmis : « Verbo Domini » cœli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eo-

[1] Act. XIII, 2. — [2] Id. IX, 6. — [3] Id. XIII, 4. — [4] Matth. XXVIII, 19. — [5] Act. XV, 28. — [6] 1 Cor. VII, 8. — [7] Act. XVI, 6. — [8] Matth. X, 5.

» rum [1]. » Per Dominum, Patrem significans ; per Verbum, Filium ; per Spiritum denique, sanctum illum Spiritum. Cum hoc autem consentiens divinus ille omnium, quæ sub cœlis sunt, magister Paulus, inquit : « Divisiones donorum » sunt, sed idem Spiritus : et divisiones ministeriorum, sed » idem Dominus : et divisiones operationum, idem vero » Deus, qui operatur omnia in omnibus [2]. » Tres quidem exprimens personas, unam vero Divinitatem, potestatis auctoritatem et regnum.

INTERROGATIO XLIII.

Quæsumus ut iis quæ hactenus disseruisti, addas quare cum aqua et igne comparetur in Scriptura Spiritus sanctus.

RESPONSIO.

Non frustra (2), neque abs re illis comparatur divinus Spiritus. Nam herbas producendi, et fovendi, et alendi vim habet aqua de cœlis pluens, et omnia pinguefacit, omnibus sese miscens, ac licet uniformis sit, multis tamen modis operatur, et ex una scaturigine diversa genera germinum rigantur. Eadem pluvia cum sit uniformis natura et aspectu, multifariam sese declarat efficacem : in lilio quidem alba, in rosa vero rubra apparens, purpurea in violis, fulva in croco. Super ficum uniformis pluens, alterius formæ efficitur, dulcis quidem in fructu, acerba vero in expresso lacte. Eadem in vitem uniformis veniens, densatur, in capreolos, in germina, in uvas, in botros, in vinum, in potum : et ut summatim dicam, in omnibus omnia fit. Uniformis cum sit, eorum, a quibus suscipitur, naturæ unita, unicuique quod est commodum tribuit. Itidem et

[1] Psal. xxxii, 6. — [2] 1 Cor. xii, 4-6.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

ignis uniformis cum sit, variis modis operatur, calefacit, purgat, concoquit, probat, illuminat, ardet. Ad eumdem modum et sanctus Spiritus, cum sit unus, unius formæ et ejusdem modi, uniusque substantiæ, indivisus et absque defectu, unicuique dividit gratiam sicut vult. Utique in plantis fieri solet, ut quandiu quidem hyemis asperitas prævalet, infrugiferæ maneant : post quam vero pluviis rigatæ, sole foventur, renascuntur et germinant : sic et mortalium animæ, quandiu quidem hyeme vitiorum detinentur, difficiles, et omnis communionis expertes mores erga proximos ostendentes, mortuæ et infrugiferæ sunt. Cum autem divinam spiritus pluviam per doctrinam institutionis susceperint, et turpitudinem quæ est ex vitiositate, absterserint, multisque affectibus obnoxium corporeæ molis vestimentum deposuerint : mox in eis suscitatur ratio, et quasi renascuntur per divinam rigationem et calorem Spiritus, et « Fructum ferunt, secundum Domini » sermonem, alius quidem trigesimum, alius vero sexage » simum, alius vero centesimum [1]. »

Nam alii quidem ad sapientiam accommodat linguam, alii ad vaticinium, alii ad dæmonum expulsionem, alii ad declarationem rerum divinarum. Alium ad sobrie vivendum instruit, alium ad misericordiam, alium ad temperantiam confirmat. Alium ad martyrium ungit et excitat, ac diversus in alio esse videtur, cum ipse non sit alius, quemadmodum eximius ille et mentis vi præstans scribit Apostolus. « Unicuique, inquit, datur declaratio Spiritus, » prout expedit. Nam alii quidem per Spiritum datur ora- » tio sapientiæ : alii vero oratio scientiæ secundum eumdem » Spiritum : alii fides in eodem Spiritu : alii prodigiorum » effectiones : alii vaticinatio : alii dijudicationes spirituum : » alii genera linguarum : alii interpretatio linguarum. Sed

[1] Matth. XIII, 8.

» omnia hæc efficit unus ille et idem Spiritus, dispertiens » peculiariter uniccuique sicuti vult [1]. » Quemadmodum igitur aqua vim habet producendi herbas et putrefaciendi; ignis urendi et illuminandi : sic et divini Spiritus est, benefacere et castigare.

INTERROGATIO XLIV.

Quia te medicum animæ deprehendimus, affatim per demonstrationes adhibentem animis nostris medicinam, et ab errore asserentem : quæsumus ut adjicias ad præmissa de Angelis, num aliqui sint eorum ordines, et quot, et quales sint natura, num item quæ futura sunt sciant.

RESPONSIO.

Creati quidem sunt Angeli, et obnoxii mutationi, spiritus rationales ad ministerium missi, quemadmodum inquit divinorum Carminum auctor, et cum ipso Paulus consentiens : « Qui facit Angelos suos spiritus, et ministros suos » ignis flammam [2] : » quibus verbis simul et naturam et majestatem eorum significant. Septem vero sunt ordines, ut scripsit Judas [3], et eximius enumerat Apostolus, quem et sequuntur sacri ministri officii divini, dum alta clamant voce ad Deum : « Te laudibus celebrant Angeli, et Ar- » changeli, Throni, Dominationes, Principatus, Potestates, » Virtutes [4]. » Quod vero mutabiles sint, evidens est demonstratio, ad malum versus auctor ille mali diabolus, secum ad defectionem multos Angelorum trahens, non natura, sed voluntate mutatos per ducis sui suggestionem, qui congruentem suo facto suscepit appellationem. Nam ab eo, quod alios sui generis calumniatur, proprie nominatus est diabolus. Satan vero ex eo, quod Deo et homini-

[1] 1 Cor. XII, 7-11 — [2] Psal. CIII, 4, et Hebr. I, 7. — [3] Judæ. 6. — [4] Ephes. I, 21, et Coloss. I, 16.

bus adversatur; quapropter etiam de locis illis ultramundanis ejectus est, et apud Ezechielem divinum vatem Cheruborum probris incessitur (3) : « Quomodo decidisti » de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris [1] ? » Simul et igneam lucentemque naturam ejus, et principatus dignitatem, in ordine, per similitudinem luminaris illius exprimens. Cum hoc autem consentiens Daniel, nequitiam ejus traducit, et subductionem sectatorum exponit. Ignorant autem una cum hominibus et Angeli res futuras. Solius enim sanctæ Trinitatis est, omnia habere cognita, et præscire ea quæ futura sunt. Ministrant autem et huic, et nobis. Huic quidem, ut erga Deum par est, servientes : nobis vero præstantes eà, quæ ad salutem nostri certo consilio ipsis ab ea mandantur.

Itaque nonnullos propter malitiam, in qua nullus emendationi locus est, perimunt, ne proximi quique perniciei implicentur, ut prudentes medici solent, qui antequam per totum corpus diffundatur morbi vitium, cauterio aut sectione impetum ejus amputant. Id quod ab agricolis etiam studiose observatur, ut mox in exortu malas herbas eradicent, ne forte natæ et simul sursum tendentes, triticum opprimant. Sed et vinitores herbam vites suffocantem, dum adhuc tenera est, antequam viti sese implicet, revellunt, aut falce rese cant, ne uva lædatur. Hoc et agricola ille nostræ naturæ, et Ecclesiæ vinitor facere solet. Prævidens ejus qui adhuc lactens ab uberibus pendet, perniciosum incrementum, interim dum crescit, eradicat et evellit eum, qui alios evulsurus erat per opera et doctrinas exitiales. Aut propterea, ut sit levius ipso sublato flagellum aliis ob ea, quæ in vita designarunt, debitum. Nam qui hic pœnas subeunt, et pœnam futuræ vitæ prævenientes dependunt : in eos mihi videtur non amplius inquisitum iri super iis,

[1] Isaï. XIV, 12.

de quibus satisfecerunt. Non propter ea, quæ varie commisit homicida, sed ob id, cujus causa recens damnatus ad mortem ducitur, ut oculum pendat pro oculo, dentem pro dente; item ut ille qui sanguinem effudit, interficiatur, lex divina præcipit.

Et ne rursus iidem afficiantur supplicio propter eadem delicta, aperte dicitur : « Non capiet ultionem Dominus bis » de eodem. » Neque enim hoc apud nos æquum est, sub duobus judicibus puniri aliquem reum. « Nam dum hic ju- » dicamur, a Domino castigamur, ne cum hoc mundo dam- » nemur[1]. » Et eximius inquit Apostolus : « Quem diligit Do- » minus castigat, et corripit omnem filium, quem suscipit[2]. » Non alios quidem suscipit, alios vero rejicit : sed alii quidem hic, alii vero illic id faciunt, recipientes ipsum, aut repudiantes per ipsa mandata. Non enim via regia causam præbet offendentibus, aut cadentibus, sed ipsimet dum oculis circumvagantur, et incautis pedibus incedunt. Tollunt igitur Angeli eos, qui in malitia perseverant, conservant vero eos, qui ad virtutem sese convertunt. « Egressus » enim est Angelus Domini ex castris, et interfecit centum » octoginta quinque millia alienigenarum[3], » inquiunt Litteræ sacræ.

Item, Angelus suffocavit primogenita Ægypti. Et Angelus impediebat profectionem Balaami, euntis ad Balaacum, ut Israëliticos execraretur, quem ubi conspexit jumentum, quod ipsum portabat, metu perhorrescens, substitit, humana voce vectorem reprehendens. Michaëlus Archangelus ad Jesum Nave filium, mittitur; Gabrielus ad Danielem, ut interpretaretur ei somnia : ad Zachariam, ut annuntiaret Joannis nativitatem : ad matrem et semper manentem virginem Mariam, de Dei et Verbi conceptione; ad Tobiam Raphaëlus mittitur, ad portandum ejus pe-

[1] 1 Cor. xi, 32. — [2] Hebr. xii, 6. — [3] 4 Reg. xix, 35.

ram, et ad comitandum quatuordecim dies, uxoremque legitimam copulandum, et ad separandum ab interfectore dæmone eam, quæ viro per ipsum juncta erat, et ad aperiendum oculos socero sponsæ, volucrum stercore cæcatos, et expressa piscis bile restitutos. Sed et alia plurima Angelorum invenies ministeria, in Abrahami vita, et Mosis, et Manoæ, apud Bethlehemam, et pastores, apud monumentum Christi, et in ejus ascensione.

INTERROGATIO XLV.

Atqui si res futuras ignorant Angeli, quomodo Danieli prædicit in Babylone Gabriel, post quadringentos nonaginta tres annos nasciturum Christum? Nam sexaginta novem hebdomadas, de quibus ad ipsum loquebatur, septuaginta annorum hebdomadas esse interpretes tradunt.

RESPONSIO.

Sed non propria præscientia id indicavit, verum quæcumque Angeli a superna sapientia discunt. Sanctas enim res a sacra Trinitate discunt, et ab ipsis rursus homines, et ab hominibus alii loco inferiores quæ sequuntur.

INTERROGATIO XLVI.

Si ergo per doctrinam percipiunt, necesse est ipsos libellis et chartis uti more nostro. Voces enim et decreta non scripta mox oblivioni dantur. Nam si voces in memoria durabiles essent, non sane Moses in tabulis lapideis in monte ipsas scriptas accepisset; iisque confractis, aliis non fuisset opus, siquidem eorum, quæ in prioribus scripturis erant, memor fuisset.

RESPONSIO.

Moses quidem in tabulis Decalogi divinorum decretorum absque cælatorio scriptoriove instrumento digito Dei exculptas voces accepit. Quomodo vero idem perscripsit, de sola memoria prompta quæcumque Deus protulit de origine mundi? aut quomodo per memoriam expresso illo, quod demonstratum erat ipsi in monte tabernaculum divinum, oratione sola Bezelecl docuit per materiam id imitari, quod erat expers materiæ? Quomodo item omnes divini Vates et Apostoli, non per disciplinas, sed quemadmodum in ipsis Verbum sonabat, licet aliquid in memoria reponerent, orbi terrarum prædicabant? Galilæi doctores cum Romanis consuetudinem habentes, lingua cuilibet genti conformes fiebant. Parthi enim et Medi, et Elamitæ, et reliquæ gentes audiebant quisque sui sermonis forma proferentes ipsos amplitudinem rerum divinarum : quas non per disciplinam litterariam, sed per efficacitatem ac vim quamdam spiritualem prædicabant. « Conspectæ sunt enim » in ipsis divisæ linguæ velut igneæ, » nempe quinquagesima die a resurrectione, decima vero ab ascensione. « Et sedit super unumquemque ipsorum [1], » inquit divus Lucas, eorum enarrans gesta.

INTERROGATIO XLVII.

Si incorporei sunt Angeli, quomodo cum mulieribus consuetudinem habuerunt, ex quibus prognati sunt gigantes? Quomodo item, ut homines, sanctis apparent, siquidem incorporei sunt? Inquit enim Scriptura sacra : « Et ingressi sunt filii Dei ad filias hominum [2], » ex quibus aliqui aiunt natos esse gigantes.

[1] Act. III, 3. — [2] Gen. VI, 2.

RESPONSIO.

Incorporei quidem sunt Angeli ratione respectuque naturæ nostræ, corpus vero habent, secundum naturam suam, ut ventus, vel ignis, vel fumus, vel aër : corpora enim sunt subtilia, crassæ materiei nostræ expertia. « Quippe » corpora quædam sunt cœlestia, quædam terrestria [2], » inquit sanctus ille Apostolus. Absurdum vero et plane stultum fuerit, putare ipsos cubare cum mulieribus : sicut et dæmones dormire cum mulieribus existimantur, qui tamen haud naturam, sed statum reliquerunt; neque magnitudine, sed libertate destituti sunt. Blasphemiæ igitur et stultitiæ est, putare quod Angeli fœminas depereant. Neque enim de his inquit Scriptura sacra, quod ingressi sint filii Dei ad filias hominum ; nusquam enim Angeli filii Dei appellantur, sed filii Sethi, et Enosi per illas corrupti sunt. Deificari enim Sethus et Enosus illis tempori- » bus cœperunt, quia « Sethus cœpit primus invocare » Deum [1], » inquit Scriptura. Sed et Moysi inquit Dominus : « Deum te constitui Pharaoni [2]. » Et de divinis judicibus inquit : « Diis non maledices, nec principibus populi [3]. » Recte igitur filii Sethi et Enosi filii Dei intelligendi sunt, qui per libidinem capti, ad filias Caïni ingressi sunt, ex quorum mutua contaminatione nuptiali in vitam editi sunt gigantes, propter Justum quidem robusti, propter Caïnum autem mali. Et vero quonam pacto mulieres cum Angelis dormire poterant, quando viri ad illorum aspectum obstupuerunt, iique non vulgares, sed virtute præstantes? Hac enim de causa Danielus Gabrieli aspectum non sustinens, mox in terram cadebat, et præ metu tantum non colliquescebat. Sed et Zacharias illum horruit,

[1] 1 Cor. xv, 40. — [2] Gen. iv, 26. — [3] Exod. vii, 1. — [4] Id. xxii, 28.

et ad primum aspectum mutus factus, timore palpitabat, linguæ usu carens usque ad Joannis nativitatem, nutibus tantum voluntatis placita significans. Id quod mihi videtur prænuntiare silentium legis et veteris cultus sacri, ad præstantioris adventum. Sed paulo post clarius ipsum sensum demonstrabimus. Præterea et mulierculæ ad Servatoris sepulcrum cum festinatione contendentes, illorum Angelorum aspectu obstupuerunt, et timore perculsæ, non annuntiarunt Apostolis quæ sibi erant injuncta : « Invase» rat enim ipsas tremor et stupor, ut nihil cuiquam dice» rent [1], » inquit divus Evangelista. Si igitur ne Angelorum quidem demissionem viri magni sustinere potuerunt, quomodo teneræ mulieres illorum contrectationem aut concubitum ferre possent? Nequaquam enim satis firma est adversus vim propinquam stipula. Perscriptum sacris est in Litteris : « Vixit Adamus annos ducentos et triginta, ge» nuitque filium ad similitudinem suam et secundum ima» ginem suam [2], » hoc est, qualem habuit ab initio, quando factus est a Deo, imaginem et splendorem in facie, » Et vo» cavit nomen ejus Sethus, » hoc est, resuscitatio. Quoniam videbat in ipso pristinam et admirandam illam formam et gratiam renovatam, et splendorem sacrosancti Spiritus, quem videntes illius temporis homines Deum appellaverunt. Ac propterea Scriptura dicit, quod videntes filii Sethi filias hominum, quæ erant ex genere Caïni, « Acce» perint sibi eas in uxores. » Participes enim et ipsi erant gratiæ sancti Spiritus, usque dum dixit Deus : « Non per» manebit Spiritus meus in hominibus istis [3]. » Atque Sethus quidem ad quingentos quinque annos hanc talem formam retinuit.

[1] Marc. xvi, 8. — [2] Gen. v, 3, juxta lxx. — [3] Id. vi, 3.

INTERROGATIO XLVIII.

Si versus ad deterius diabolus ex cœlis decidit, supra se habens eos, qui permanserunt immutabiles, quomodo, ipsi licet cœlis appropinquare, et cum Angelis Deo assistere, ac deposcere Jobum? Inquit enim de ipso scripta Histo- « ria : Venerunt Angeli Dei, et diabolus in medio ipso- rum [1], » et cætera.

RESPONSIO.

Non quod possit in cœlos ascendere, qui inde præcipitatus est ob furorem suum diabolus, aut cum Angelis ad Deum accedere, aut ulla ex parte supra cœlorum circumferentiam venire, hoc ita perscriptum est, sed quia divina natura quantitatis et magnitudinis expers, et incomprehensibilis, ubique præsens sit, et omnia impleat. « Nam Deus » noster in cœlo est, et in terra, in mari, et in omnibus » abyssis, [2] » inquit Davides divinorum Carminum auctor, ex quibus docemur in conspectu ejus esse, et conspici ab ipso non solum Angelos, sed et diabolum, et dæmonas, et homines, et jumenta, et simul in universum omnia. Quemadmodum Elias ille divinus ait : « Vivit Dominus, in cu- » jus conspectu sto hodie [3]. » Nam si aëre omnia continentur, multo magis in illius Conditore comprehensa est hæc quadripartita naturæ universitatis rerum constitutio, quarum una carnis est expers, intellectilis et rationalis, altera sensilis et carne prædita et rationalis, tertia animata et irrationalis, quarta inanimata et sensus expers. « Omnia » enim nuda sunt et resupinata coram oculis ejus, nec est » creatura occulta in conspectu ejus [4], » inquit divus Apostolus.

[1] Job. II, 1. — [2] Psal. CXXXIV, 6. — [3] 4 Reg. III, 14. — [4] Hebr. IV, 13.

INTERROGATIO XLIX.

Quare Moses non ab Angelis, et ab iis, quæ sunt in supernis, exorsus est descriptionem, sed præteritis Angelorum nationibus, omnibusque, quæ supra cœlos sunt, a cœlo et terra contextum orsus est?

RESPONSIO.

Conveniens temporibus et hominibus utile principium scripti sui statuit, quando id temporis ex Ægypto Judæi exierant, et insinuatos auribus illorum errores habebant. Nam alii quidem impiorum cœlum, alii vero terram deificaverunt, quæ duo a ventis et nubibus mutantur. Alii autem soli et lunæ venerationis cultum exhibuerunt, ut alii quidem noctu, alii vero interdiu per occasum luminarium impii manerent. Nam hi quidem quæ nocte et nebula, et pulvere obscurantur inter deos referunt: illi vero intereuntem, et paulo post desituram lunam adorant. Alii autem fontes et flumina deos esse asserunt, ut in æstate quidem desinentia, in hyeme vero aucta et exundantia deos habeant. Alii vero ignem quasi Deum metuunt, qui tamen infusa aqua extinguitur, aut defectu nutrientis materiæ marcescit. O dementiam! quæ se ipsis sunt abjectiora, deificant vani et insipientes, a vero Deo per errorem abducti. Propter quos Moses rerum divinarum scriptor, relictis ultramundanis, ab iis, quæ captui nostro sunt exposita, narrationem orditur, per sensilia et aspectabilia ducens ad intellectibilia, et ad inaspectabilem illum verumque Deum. Ad eumdem modum et illi socii Ananiæ divini hominis Babylonium Deum, supplicium fornacis, et ignem conculcantes, qui naphtha, et pice, et sarmentis augeba-

tur, aqua vero extinguebatur : « Benedicite omnia opera » Domini Dominum[1], » inquiunt. Ad immaterialem et nullis manibus factum Deum impios Chaldæos per institutionem hanc ducentes, ac omnes gentilium deos creaturas et opera esse vere subsistentis, et veri, et increati Dei innuentes. « Benedicite, inquiunt, omnia opera Domini Dominum; » consequenter eo cantico demonstrantes Deo simul in universum omnia ad serviendum esse obnoxia. « Benedicite ipsum, » aiunt, Angeli, cœli, aquæ, sol, luna, astra, ignis, terra, » montes, colles, jumenta, bestiæ, reptilia, volatilia, » et cætera quæcumque gentiles in deorum numerum retulerunt.

INTERROGATIO L.

Quomodo creavit Deus omnia, prius quam existeret materies, qua uteretur?

RESPONSIO.

Primo quidem die, ex nullo subjecto materiem produxit, simul cogitans qualis unaquæque cujusque deberet esse materies. Deinde statim proferebat ea, quæ cogitaverat. Atque hoc loco nolim te mihi delabi ad cogitationes, ut quærere velis quo id pacto sit factum. Nam et volebat, et poterat omnia vis illa effectrix omnium. Ex iis vero, quæ die condidit primo, deinde reliqua creata fecit, videlicet cœlum primum, non illud quod cernimus, sed supra positum, de quo Davides canit : « Cœlum cœli Domino[2], » ad modum domus duplicem fornicem habentis, intersepiens et discernens a terrestribus ultramundana, et veluti tabulato quodam dirimens.

[1] Dan. III, 57, et seqq. — [2] Psal. CXIII, 16.

INTERROGATIO LI.

Quare non scripsit Moses quod fecerit Deus aquam, aut ignem, aut aëra, ut de cœlo, et terra, et arboribus, et cæteris?

RESPONSIO.

Num ergo, quia id etiam scriptum est, quod «Deus, ac-» cepto pulvere terræ, formaverit hominem, » neque addi-tum sit, quod ei fecerit oculos, aut aures, aut pedes, aut brachium, ideo putandum est a Deo non esse creata omnia naturæ organa, tum interna, tum externa? Nimirum in iis, quæ composita, et aliquando sejuncta sunt, ex præstantiore ipsam rem repræsentare sacra Scriptura solet. Quemadmodum divinorum Carminum auctor inquit: «Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum[1]. » Non utique a beatitudine mulieres excludens, sed cum eadem sit natura, ex principaliore carmen orditur. Ex iis igitur, quæ in isto carmine præstantiora sunt, etiam de sequentibus judicium fiat. Nam commemoratione cœli, et terræ, universum hoc comprehenditur, aër, tenebræ, abyssus.

INTERROGATIO LII.

Cur autem quasi viribus inferior Moses, non aggressus est scribere tenebrarum et abyssi creationem?

RESPONSIO.

Enimvero quæ Moses præteriit, quominus scriberet, non viribus destitutus fecit: sed exercitium nobis reliquit.

[1] Psal. I, 1.

Salomon scripsit in persona Filii ad Patrem loquentis : « Ante quam abyssos faceret, eram apud ipsum, apte om- » nia disponens[1], » nimirum « Potentia Dei et sapientia Dei » Christus[2]. »

INTERROGATIO LIII.

Aër quando factus est? Num quod etiam de hoc scripserit Salomon, dicere potes?

RESPONSIO.

Audi Mosem dicentem : « Et Spiritus Dei ferebatur su- » per aquas[3]. » Cum hoc autem consentit et Amosus : « Do- » minus intendens tonitru, et creans Spiritum[4]. »

INTERROGATIO LIV.

Verum non de hoc aëre dicit, sed potius de Spiritu sancto dictum est, id verbum. Non enim aliud dicimus esse, aut vocari spiritum, quam ipsum Spiritum sacrosanctum.

RESPONSIO.

Vereor ne cum creatura connumerem increatum. Verumtamen non negans hoc quod dictum est, admitto : et hunc, si ut par est et Deo competit, intelligatur, ferri supra aquas, ad viventia producenda ipsas foventem, et instar incubantis gallinæ vitalem quamdam vim immittentem aquis sub se fotis ad producenda innumera piscium genera.

[1] Prov. VIII, 24-30. — [2] 1 Cor. I, 24. — [3] Gen. I, 2. — [4] Amos. IV, 13.

INTERROGATIO LV.

Cupimus insuper ex te discere de ortu ignis. Nusquam enim in Scriptura legimus quod dixerit Deus : «Fiat ignis.»

RESPONSIO.

Omnium maxime efficax est natura ignis, videturque consistere et latitare in creatione terræ. Quando lapidem percusseris, ex eo concipitur ignis, et ferro colliso similiter effici solet. Sed et lignis collisis consimiliter conspicitur, ut ostendit axis in curru ex pressura oneris ardens per admixtum ignem. Neque id tantum, sed et molæ, si circumagantur inanes, apparet ignis exiliens : ad quarum similitudinem et nubium collisiones ventis impulsarum efficere fulgura consueverunt. Omnia enim igni mixta sunt, ut inquit Petrus ille claves regni cœlorum gestans, ad hunc fere modum : « Nam cœli, qui nunc sunt et terra, » igni repositi sunt, et servantur in diem judicii et perdi- » tionis impiorum hominum[1]. »

INTERROGATIO LVI.

At quî fit ut hyeme, cum eædem sunt nubes et venti, neque fulgur neque tonitru fiat ?

RESPONSIO.

Quod ad tonitru attinet, quid mihi videatur, supra dictum est. Quod vero fulgura non appareant hyeme, propter aëris crassitudinem fieri puto, et propter penetrantem

[1] 2 Petr. III, 7.

humorem nubium. Non enim quemadmodum quod siccum et aridum est, etiam madida et multam habentia materiem in collisionibus lucere solent, cum illud quidem per ignem incendatur, in hoc vero vis ejus flaccescat.

INTERROGATIO LVII.

Satis quidem vera sunt, quæ dicis : verum nos de fulgure quærimus, et de generatione ignis, ubinam dixerit Deus : « Fiat ignis. »

RESPONSIO.

Moses scribit : « Et dixit Deus : Fiat lux, et facta est » lux[1] : » videlicet ignis natura. Non enim solummodo is ignis est, qui apud nos est : sed et supernæ illæ potestates ignis esse videntur, cognatæ ei, qui apud nos est.

INTERROGATIO LVIII.

Sed quomodo supernus ei, qui apud nos est, cognatus est : cum ille quidem inextinguibilis, hic autem extinguibilis sit?

RESPONSIO.

Propemodum Angelos et nostras animas similitudinem quamdam dico habere. Utraque enim sunt spiritus, a Deo suum ortum habentia. Hi quidem in corporibus nostris lampadum instar lucentes, et quasi extincti per separationem, agendi efficacitatem amittunt. Nam et a veteribus sapientibus homines appellantur φῶς, hoc est, lumen :

[1] Gen. 1, 3.

propter vim rationis. Similiter et ignis dicuntur, ut paulo post demonstrabo, post quam oratio ad nostram generationem progressa fuerit. Angelos autem dico spiritus inextinguibiles, non habentes corporalem disjunctionem, aut copulationem. Porro animorum et Angelorum similitudinem etiam tres illi sancti expresserunt pueri, cum aiunt : «Benedicite spiritus et animæ Justorum Domi»num[1].» Et rursus in Canticis Davides inquit :« Qui facit »Angelos suos spiritus[2]. » Et similitudinem ipsorum ad animas nostras innuens, inquit; «Velociter exaudi me, »Domine, quia defecit spiritus meus[3]. »

INTERROGATIO LIX.

Quomodo vero ignis apud nos habet vim urendi ligna et quamlibet materiem, supernus autem non adurit aridas arbores, aut ovium vellera, vel capillos nostros soli expositos ?

RESPONSIO.

Sit ipse hac in parte sol pædagogus noster, ac doceat nos tam sui, quam ejus, qui apud nos est, ignis cognationem. Nam sæpenumero aliqui caprarii, aut bubulci, aut pastores equorum in tabernaculis solitariis agentes, cum coquere carnes aut frumenta volunt, mundo vitreo vase aqua impleto, si ex opposito solarium radiorum id tenuerint, tetigerintque cum vase aquario fimum aridum, a superno lumine ignem concipiunt.

[1] Dan. III, 86. — [2] Psal. CIII, 4. — [3] Id. CXLII, 7.

INTERROGATIO LX.

Tenebras quis fecit? Num Deus? An ab initio fuerunt? Aut num diabolus eas fecit, ut adversarius lucis? Arbitrantur enim plerique, quod ab initio fuerint ante mundum. Nusquam enim Moses dicit, quod aliquis tenebras fecerit, sed quod fuerint.

RESPONSIO.

Neque Deus ipsas fecit, neque diabolus, neque prius fuerunt, quam aspectabilis hic mundus. Omnes enim Angelorum chori carnis expertes agebant in luce, etiam antequam mundus fieret : sed superne extenso cœlesti corpore, quasi ab septo quodam per obumbrationem tenebræ subierunt, quemadmodum si in alto meridie umbraculum ex densa aliqua, solidaque materie circum se aliquis figat. Idem ex navigantibus discimus, qui adversus imbres expansione pellium obumbrant navem. Aut si hoc non est, videtur mihi ex nebulosa exhalatione abyssi densata caligine et vaporibus tenebras ortas esse. « Et dixit » Deus : Fiat lux[1]. » Prima Dei vox lucem procreavit, quam et diem vocavit, serena quadam appellatione exornans id, quod placidum et mansuetum est. Possunt quidem et alia numerari lumina ab ipso facta, utpote lumen ignis Mosi apparens, quando rubum urebat, neque comburebat tamen, ut et naturam suam demonstraret, et vim notam faceret. Lumen quod in columna ignis Israëliticos præcedebat, et mansuefaciebat desertum. Lumen, quod circumfulsit pastores. Lumen, quod Eliam rapuit in igneo curru, raptumque non combussit. Lumen, quod pastores circumfulsit quando lumen expers temporis ad temporale

[1] Gen. 1, 3.

venit, Christus. Lumen apparentis stellæ in Bethlehema, ut et magos in itinere duceret, et stiparet satellitio suo, quod supra nos est, lumen, apud nos natum. Lumen, demonstrata Discipulis in monte Divinitas, paululum aspectu durior. Lumen, quod Paulum circumfulsit, plaga oculorum tenebras animæ sanans. Lumen est et futuræ vitæ splendor in illis, qui hic purgati sunt, quando lucebunt justi ut sol, quorum consistit Deus in medio deorum et regum, disponens et dividens unicuique secundum dignitatem et pro ratione exactæ vitæ præmia futuræ beatitatis. Lumen etiam, datum in paradiso primo parenti nostro præceptum. « Lucerna enim pedibus meis lex tua, et lu» men semitis meis[1], » inquit Davides, divinorum Carminum auctor. Lumen est et rationis vis, quæ in nobis existit, secundum Deum dirigens gressus nostros. Lumen est id, quod de Deo testimonium perhibuit, quod ad ipsum sua face ducit, conculcata flamma erroris, ut Ananiæ socii in Babylone in media flamma camini choreas ducunt, etiam illæsis ipsorum palliis manentibus. Lumen præterea, quo peculiari modo baptismi constat illustratio. Lumen sunt ultra omnia, quibus in sancta Trinitate gloriosa et inculpata est fides. Itaque « Dixit Deus : Fiat lux, et facta est » lux. Et vocavit Deus lucem diem, et tenebras vocavit » noctem[2]. »

INTERROGATIO LXI.

Num igitur aliud est lux, et aliud dies, vel aliud nox, et aliud tenebræ?

RESPONSIO.

Quidquid lætum et hilarum est, placidum merito ap-

[1] Psal. CXVIII, 105. — [2] Gen. I, 3-5.

pellatur : his vero contraria, nox nominantur. Sed et aliter mihi videtur per appellationem servitutem ipsorum significare, beneque dispositam cursus per vices constitutionem. Domini enim est nominatim vocare, famulorum vero obedire, et quasi voce, ordinis bona observatione respondere.

INTERROGATIO LXII.

Quomodo erat terra inaspectabilis et inculta? num quasi semiperfecta a Deo facta? aut quo tandem pacto?

RESPONSIO.

Inaspectabilis erat terra, et inculta, non natura, sed exornatione et facie, nondum segregatis aquis ad proprium locum, ut cerneretur ejus substantia, plantis exornaretur, et floribus coronaretur. Abysso namque super ipsam exundante, nondum erat fontium et fluminum distinctione cincta, neque variegata ad enutrationem eorum, quæ divino præcepto ex ipsa producenda erant, animalium, quasi lugubri quadam veste abysso circumdata, quemadmodum auctor ille Carminum divinorum Davides inquit : « Abyssus veluti vestis opertorium ejus[1] : » Oceano scilicet instar annuli terram adhuc circumdante, sicut etiamnum hodie constat.

INTERROGATIO LXIII.

Quare autem Propheta non dixit in fœminino genere, opertorium ejus : sed ejus, in masculino vel neutro?

[1] Psal. CIII, 6.

RESPONSIO.

Nihil in hoc discriminis est, si elementum pro terra subintelligatur, neque item cum omnium animæ fœminino genere appellentur, idcirco vel fœminas, vel mares esse concedemus animas. Sed et Christus sapientia, et potentia, et petra appellatur, cum sit Verbum et homo idem. Intelligatur autem et alio modo : «Invisibilis erat » terra. » Nondum enim erat ejus contemplator homo, neque ea, quæ naturaliter ad ipsam prona se inclinant, assidueque ipsam spectant, balatum edentia animalium genera.

INTERROGATIO LXIV.

Quid est secundum naturam firmamentum, quod intermedium separat aquam, et aquam ultra cœlestem et marinam?

RESPONSIO.

Primo quidem die cœlum creabatur, quod situm est supra firmamentum. Secundo vero id firmamentum, quod supra caput nostrum cernitur, quod alterius quam superius illud est naturæ.

INTERROGATIO LXV.

Quomodo vero, cum unius et ejusdem sint nominis, alterius et diversæ erunt naturæ?

RESPONSIO.

Qui studiose et non perfunctorie litteram examinant, etiam in appellatione multum differentiæ deprehendent. Aliud enim cœlum, aliud vero est firmamentum. Proinde et ex ipsa appellatione discimus, id quod cernitur solidioris esse naturæ quam sint inaspectabilia. Moses siquidem inquit: « In principio fecit Deus cœlum et terram[1]. » Hinc vero firmum illud memorat, « Et dixit Deus : Fiat firmamentum[2]. » Et Esaïas asserens illorum quidem tenuitatem et levitatem naturæ, hujus vero soliditatem et crassitudinem corporis, inquit : « Qui firmavit cœlum veluti » fumum, et extendit ipsum veluti tabernaculum[3]. » De eo vero, quod cernitur, inquit : « Qui fixit cœlum veluti cameram[4]. » Etiam virum et mulierem, hominem appellare consuevit Scriptura sacra, cumque sit eadem appellatio, tamen ille quidem robustus et ad graviora ferenda validus est; hæc vero mollior et levior, tam intelligentia, quam oratione. Superiorum igitur substantiam silentio præteriens, quantum assequi possum, ejus quod cernitur, naturam crystallinam inquam esse divino præcepto fixam et roboratam, ut facilius ferat ultramundana, idemque nostræ crassitudinis expers esse. Utrosque vero cœlos sustineri ab ea, quæ omnia vincit et sustinet, divina virtute.

INTERROGATIO LXVI.

At quomodo potest crystallum portare et separare multam et infinitam illam aquam ?

[1] Gen. I, 1. — [2] Ibid. 5. — [3] Isaï. XL, 22. — [4] Ibid.

RESPONSIO.

Per fidem apprehendi dogmata Christianorum [illegible] Nam ubi vult Deus, subjicitur natura, præter naturam serviens. Sic aqua in vinum convertitur in Cana Galilææ. Sic in Ægypto rubrum colorem accipit Nilus. Sic præter naturam instar terræ permeabile fit mare Rubrum, instar murorum sectorum constabilita aqua, et in arido fundo non madente pertransit populus. Sit vero tibi incredulitatis castigatio exosus. Deo Pharao, aquis marinis immersus. Nam qui illum in eodem transitu submersum obruit fluctibus, idem olim velut pellem aliquam cœlum extendit, supra terram quidem convexum ipsum elevans, super abyssum autem fundans, quemadmodum docet divinorum Carminum auctor : « Extendens cœlum velut pellem, tegens aquis superiora ejus [1]. » Atque hic venit ad nos, inquit, temporibus extremis carnem gestans, et humidum instabileque mare siccis pedibus transiens.

INTERROGATIO LXVII.

Atqui jam ante in præcedentibus rogavimus te, quî nos toleres, dum interrogamus, non ut incredulî, sed quasi qui aliorum vocibus utentes, per te velimus ædificari.

RESPONSIO.

Ego vero non abs re vestram eximiam subtilitatem oro, ne claudicetis gressu mentis in cognoscenda veritate. Dabimus autem verbi gratia similitudinem, quasi centum cubitis terram excedat aqua. Cum autem dixisset Deus :

[1] Psal. CIII, 2.

« Fiat firmamentum in medio aquæ, et dividat inter aquam »et aquam [1], » constabilitum rursus fuisse crystallum, quod dimidium aquarum sustineat, quemadmodum in vitro videre est, ex quo alius sit separatus calix, qui discernat dupliciter quod infusum est. Major autem omni humana cogitatione est absolutissime sapiens operatrix illa vis Dei. Animadverte vero evidentius exemplum de firmamento, non arte mortalium, sed divino consilio constitutum, et quasi doctrinæ gratia nobis propositum, unum ex quatuor fluminibus de paradisi fonte fluentibus, quod Phison a doctrina nostra, apud Græcos vero Isther, apud Romanos Danubius, et apud Gothos Dunabis appellatur, si hyeme congelet, et in lapideam duritiem mutetur mollis illa fluminis natura, ut ferre possit incedentes in eo armatos, et ad Romanorum, Illyriorum Thracumque fines transeuntium multitudinem. Ita sane etiam illud ex aqua stabilitum firmamentum. Subtus quidem alluitur subterlabente flumine, sed supra se fert equum et vectorem, aliquoties (ut cernitur) numero decies mille. Fit etiam aliquando, ut asperitate hyemis invalescente, et perseverante frigore, vehemens aqua e nubibus depluat, et per valles, aut montium vertices, aut colles manans, ad fluminis firmamentum feratur, quod diremptum respectu ejus quod superne fluit, quasi intercepto ex aquis firmamento, absque commixtione confusioneque manet cum eo quod subest. Consimilia per nivem discimus, quæ excipitur a firmamento de quo dicimus, ita ut sit ipsum intermedium septum crystallinum, separans inter aquam et aquam, instar cœlestis firmamenti ab infernis et terrestribus superna et ultramundana discernentis. Dico autem infinitis modis fortius, quam hyems possit, divinum illud mandatum stabilivisse impositum capiti nostro firmamentum.

[1] Gen. 1, 6.

INTERROGATIO LXVIII.

Sed quare sunt aquæ supernæ, ut aliquis hauriat, bibat, aut naviget, aut potum præbeat alteri, aut quemnam propter alium talem usum ?

RESPONSIO.

Quia crystallum esse dixi firmamentum, recepturum erat subjectorum luminarium splendorem, solem inquam et lunam, et reliquum astrorum cœtum, ex igne naturam habentem. Ne igitur illorum ardore resolveretur quod fixum est, per id ab illo discrevit infinitam illam aquam, veluti positam super humeros ejus ad refrigerandam inflammationem, et ad levigandam rotationem, ut illa humiditate crassius redditum resistere possit igni luminarium.

INTERROGATIO LXIX.

Quomodo vero fieri potest, ut glacies resistat igni, quæ nullo modo fert ignis propinquitatem, neque manus contrectationem, neque auram calidiorem, neque ut veste tegatur?

RESPONSIO.

At non sunt illa ultramundana terrenis per omnia subjicienda. Nam aliter, quam pro nostra infirmitate, divina virtus omnia dispensat atque gubernat. Ex iis igitur rebus, quarum apud nos usus est, facilibus exemplis utentes, loquemur de iis quæ supra nos sunt. Lucernæ omnium minimæ in domo maxima lucenti conferimus regem luminarium solem, ad cœleste corpus comparatum. Prorsus ac

si quis in disco permagno exiguum carbonem ponat, aut lucernam succendat, non solum comburere aut inflammare illum non poterit, verum ne vas quidem ipsum calefacere quiverit. Quomodo igitur imbecillis lucerna poterit abyssum constabilitam solvere aut comburere? Et quî calix attingendo lædere poterit frigus hyemis enitentis, extinguere per gelu lucernæ ellychnium, et in lapidem convertere aquam, quæ in eo est, et oleum, supra modum frigore lampadem debilitante? Quomodo vero amianthus herba ignem sustinere potest, in medium ipsius flammæ posita, omnisque adustionis expers manens? Sed et salamandram vile animal, diversa ab igni natura, scimus per medium caminum in ignem insilire, atque pertransire, nihil tamen prorsus per edacem naturam ignis lædi. Proinde neque sol læserit cœlum sub quo currit, cujus matutinos exortus describens divinorum Carminum auctor inquit: « Ipse velut sponsus egrediens ex thalamo suo, » exultabit ut gigas ad currendam viam suam; a summo » cœli egressus ejus [1]. » Vides hic poni verba « Summi » et « Egressus, » non sphæræ et ascensus circularis, ut aliquibus videtur vanas conjecturas sequentibus. « Et occursus ejus, » inquit, usque ad summum cœli. » Vide rursus occursum et summum, non descensum et occasum. Sed enim ad sponsalem pulchritudinem hujus luminaris accedamus. Inquit enim de eo Davides: « Et ipse velut sponsus egrediens » ex thalamo suo: » verbis hisce alacritatem et temperamentum aspectus ejus matutini exprimens. Nam cum sol meridionale cœlum percurrit, sæpenumero refugium quærere tentamus, igneum calorem ejus non ferentes. Simul autem in exortu jucundus est omnibus, et velut sponsus aspicitur, et a tempore matutino ad vesperam usque perpetuo per radiorum suorum reflexiones dissolvit hac suæ

[1] Psal. xviii, 8.

facis luce injucunditatem aëris, aut cum terra ad excitandam fertilitatem quasi coït, eamque fovet, ad proferenda semina provocans.

INTERROGATIO LXX.

At quomodo non solvitur glacies per solis inflammationem, cum tantus sit calor, ut plerique in meridie non ferant ejus flammam?

RESPONSIO.

Quia tuum illud, quomodo, compesci non vult, jure et ego ex te quæsiverim, quomodo rubus circa Mosem ardens non comburebatur, sed quasi rore aspersus magis etiam viridis cernebatur? Quomodo cæsaries et pallia sociorum Ananiæ in fornace Chaldæorum, elevata ad quadraginta novem cubitos flamma intacta et illæsa manserunt, magis quam ignis lucentia? Ne vero putarent ii, qui illam augebant stupa, et pice, et naphtha, atque sarmentis, ipsos per præstigias aut imaginarie cohibuisse vim ignis edacem: idcirco quæ cum eis intus exultabat Divinitas, facit ut per os camini elevata flamma in terram excurrat, et eos qui procul ad quadraginta novem cubitos ab incendio sedebant, ministros et spectatores combureret, et in pulverem cineresque redigeret. Aut quomodo Elias in igneis quadrigis in cœlum subvolans, ab igni mansit illæsus, etiam ad suos usque pilos? Vel quomodo ex Amianto herba ellychnium in lucernam positum, ad viginti annorum circuitum sufficit, solo oleo semper per lucernæ ignem evaporante, ipsa manente incorrupta! In Deo igitur quiescat illud, Quomodo: « Vox Domini perrumpentis flammam

» ignis [1], » inquit Carminum divinorum auctor. Ad hunc enim modum in rubo deserti, et in fornace Babylonis, et in Elia vate, aliisque prodigiis edacem vim ignis mandatum divinum resecat, separans ea, quæ apud nos inseparabilia sunt, et innuens futuri divini judicii integritatem : ubi illuminatio quidem ignis æterni justis tribuetur, inflammatio autem adversariis. « Nam dies illa in igni revelatur, » uniuscujusque opus quale sit ignis probabit [2], » inquit eximius ille Apostolus. Cum hoc autem consentiens Petrus divini ministerii princeps : « Qui nunc cœli sunt, ait, et » terra igni reconditi servantur in diem judicii et retribu- » tionis [3]. » Servorum autem suorum sermones obsignans Dominus, inquit in Evangelio : « Tunc Filius hominis » mittet Angelos suos ubique per terrarum orbem, et con- » gregabunt peccatores e medio justorum, et projicient ipsos » in fornacem ignis [4]. »

INTERROGATIO LXXI.

Quid igitur? an nunquam adolebuntur cœli, nec luminarium illorum erit interitus?

RESPONSIO.

Erit quidem creaturæ dissolutio, non omnimoda tamen sublatio, sed in melius transmutatio, quemadmodum ex Davide divino vate discimus, in hunc modum canente : « Ab initio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum » tuarum cœli sunt : ipsi intereunt, tu autem permanes [5]. » Et rursus de regeneratione subjiciens, inquit : « Et omnes » ut vestimentum veterascent, et velut pallium circumvol-

[1] Psal. xxviii, 7. — [2] 1 Cor. iii, 13. — [3] 2 Petr. iii, 7. — [4] Matth. xxiv, 32, et xiii, 49, 50. — [5] Psal. ci, 26, 27.

» ves eos et mutabuntur [1]. » Deficientibus igitur ultra cœlestibus aquis, omnia simul liquescent abundantia ignis : « Nam stellæ cadent, ut de vite folia [2], » inquit eximius ille inter Vates Esaïas. In catholicis autem Epistolis Petrus inquit: « Elementa æstuantia solventur [3]. » Quod autem ad melius, et in statum deinceps non amplius desiturum omnia corroboranda sint, tradit tam præsentium quam futurorum divinus ille Vates his verbis: « Emittes Spiritum » tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ [4]. »

INTERROGATIO LXXII.

Num et mare desinet aliquando in consummatione, cum tam magnum sit? num etiam ultra-cœlestes aquæ? de quibus inquit Deus: « Existat inter aquam et aquam fir- » mamentum [5]. »

RESPONSIO.

Atqui satis, ut apparet, ab eximio Esaïa docemur mare deficere et evanescere in consummatione. Inquit enim ad Deum sanctus ille Vates : « Qui dicis abysso : Desolaberis, et » flumina tua siccabo [6]. » Intelligantur autem metaphorice : Abyssus quidem malitiæ, diabolus; flumina autem ex ipso et in ipsum fluentia, dæmones : quando illius quidem alluvies nobis letifera est; hi vero fluctuum instar elevantur, et semper insultant nobis per tentationes. Porro naturam aquarum creator condidit, quæ solummodo sufficeret universi hujus constitutioni. Non solum autem ad refrigerium ultramundanarum aquarum reservatum est firmamentum, sed et flammam Deus et luminarium ad inferiora mittit,

[1] Psal. ci, 26, 27. — [2] Isai. xiii, 10. — [3] 2 Petr. iii, 10. — [4] Psal. ciii, 30. — [5] Gen. i, 6. — [6] Isai. xliv, 26.

propinquo suo corpore sursum tendentem ignem ad inferiora cogens, et in radios diffundens reflexionem, perinde ac si lampadem in manibus nostris tenentes, superne premamus flammam tabula vel patella, et in radios ac ejaculationes frangamus. Idcirco sublimem solem fecit ipso prior sol Christus, et hinc estivum, illinc hybernum ortum, ne diutius in eodem immorando tractu, corrumpatur circumferentia firmamenti, aut aliqua pars orbis comburatur.

INTERROGATIO LXXIII.

Quidnam igitur statuendum de aquis ultramundanis? num similes marinis sunt, amaræ et salsæ, et graves et muscosæ?

RESPONSIO.

Dimidium est universæ aquæ, id quod supernas in partes est secretum: excepto, quod non habet nimium illum amarorem, aut gravitatem, aut fœtorem, qui est in aqua marina. Nam illam quidem non attingit subter ipsam currens sol, hanc autem perpetuo suo splendore permeans, per vapores haurit et subvehit quidquid omnium dulcissimum et potabile et fluminibus et torrentibus in mare excernitur. Videmus enim sæpenumero regiones aquarum copia inaccessas uno meridie aridas et siccas relinqui, per vapores aqua separata, et per elevationem nubibus immixta, unde rursus terræ quasi ex spongiis exprimitur, et in pluviam convertitur.

INTERROGATIO LXXIV.

Num igitur imbres ex mari suppeditati nubibus, rursus

super terram disperguntur ? Atqui quomodo potest tantum pondus et multitudo aquarum in nubes subvehi ?

RESPONSIO.

Audi Davidem de Deo canentem : « Adducens nubes » ab extremitate terræ, fulgura in pluviam fecit [1]. » Alius autem Prophetarum inquit : « Qui advocat aquam maris, » et effundit ipsam super faciem terræ, Dominus Deus om- » nipotens nomen ei [2]. » Nam collisione nubium per ventos impulsarum, quæ pluviam ferunt, fulgura fiunt.

INTERROGATIO LXXV.

Quomodo vero, cum tam multis annis exhauriatur per elevationem pluviarum, et omnium participationem, non deficit aqua vel fontana, vel marina ?

RESPONSIO.

Aqua fontana non deficit ex mari reddita, et in id rursus defluens per flumina atque torrentes. Propterea illud ne- que exundare potest, dum quod ex se est, in se recipit : quemadmodum docet rerum divinarum peritus ille Salo- mon : « Flumina cuncta in mare tendunt, neque mare » impletur [3]. » Marina rursum non attenuatur propter re- tributionem, quæ fit e supernis, quia id quod evaporavit per solem auctum destillat cœlitus, et exundat per rorem exha lationum aëris quotide sursum tendentium excrescens, ut fit in cubis balneorum per aëris evaporationem madefactis, et vicissim guttas in solum dejicientibus. Etiam sæpenu- mero videre est aëra crassum ex mari, fontibus, et fluviis exhalare, qui nihil aliud, quam aqua videtur esse.

[1] Psal. CXXXIV, 7. — [2] Amos. V, 8. — [3] Eccl. I, 7.

INTERROGATIO LXXVI.

At quomodo ex mari potest esse fontana aut potabilis aqua, cum illa quidem amara et salsa sit, hæ vero dulces, et potabiles, et paulo leviores?

RESPONSIO.

Nihil horum officere potest iis, quæ hactenus dicta sunt. Nam per expressionem meatuum et obliquos exitus in scaturiendo, pondus illud cum amarore deponitur, et sal sugo extenuatur, veluti si vinum aquæ mixtum super spongiam vel purum panem fundatur, vinum quidem tanquam crassius inter panis meatus retinetur: aqua vero tanquam magis tenue quiddam et pellucidum, per meatus excolatur. Idem ostendit oleum aquæ mixtum supra materias prædictas fusum. Nam hic etiam quod pinguius et crassius est remanet, eo quod magis est tenue transeunte ac excreto.

INTERROGATIO LXXVII.

Quod si res ita se habet, quare non ubique aqua de abysso sursum tendit, sed puteos fodientes haud vulgarem suscipimus laborem, interdum et miserrimam mortem reportantes, in fodinis obruti?

RESPONSIO.

Imo verisimiliter ex puteis conjicere licet, fontanas aquas ex abysso esse per laxiores sinus terræ redditas. Nam procul ex abysso tendentes, et tortuose per meatus manantes, fervidæ factæ amaritudinem amittunt, et salsu-

ginem deponentes, dulcescunt. Porro putealis, ut par est, gravior et subsalsa, et parum potabilis est, propterea quod fundum abysso propinquum habet, et tanquam cadus aut dolium innatat abysso. Quo fit, ut propter propinquiorem ascensum, et breviorem exitum amaram aquæ marinæ salsuginem æquare nequeat, sed medio quodam modo affecta sit, gravior quidem quam fontana, marina levior.

INTERROGATIO LXXVIII.

Quomodo ferunt in sublime nubes marinam aquam? aut quomodo sublata non mox effunditur in terram? quomodo item in quibusdam locis pluit, in quibusdam non pluit?

RESPONSIO.

Audi de Deo canentem Davidem: « Qui congregat quasi » utrem aquas maris[1]. » Alium dicentem (4): « Qui ligat » aquam in aëris nubibus[2]. » Ante hos autem Jobus certaminum divinorum magister, turris et propugnaculum, inquit: « Et non est rupta nubes sub ipsa[3], » scilicet aqua. Intelligatur autem idem etiam de deifi. et humanitatis Servatoris assumptione. Nubes enim subiit sub pedes ejus, non adjuvans ascensionem: sed ut ostenderetur illum esse, qui per turbinem et nubes olim quidem ad Jobum, post ipsum vero ad Mosem locutus esset: impletis vero nubibus velut utribus aut siphonibus, loco vinculi, aut digiti, aut siphonis premendo retinentis aquam, divinum ipsis incumbit mandatum, perinde ac mercatores facere solent, cum dimittunt in profundum vas siphonem; eoque impleto, opposito pollice reducunt, et per totam domum

[1] Psal. xxxii, 7. — [2] Job. xxvi, 8. — [3] Ibid. 8. juxta LXX.

quasi per mundum ferunt plenas quasi nubes, et refertur in usus aqua sumpta, prout visum fuerit ei qui hausit, idque per impositionem et subtractionem digiti.

INTERROGATIO LXXIX.

Cum omnia primum continerentur aqua, et abysso tegerentur, ubi congregata est, et quo concessit, dicente Deo, « Congregetur aqua in congregationem unam, et appareat » arida[1] ? »

RESPONSIO.

Universi effectrix illa divina vis quando constituit aquam secernere ad congregationem et locum unum : mox et locum ipsam recepturum condidit. Nondum enim erat illud extra Gadira situm mare, neque magnum illud quod exhorrent nautæ pelagiis, quod Britannicam insulam et Hesperios Iberas ambit : sed condita tunc divino mandato certa regione, ad ipsam simul aquarum multitudines confluxerunt.

INTERROGATIO LXXX.

Est-ne unum mare sive congregatio, vel multæ ?

RESPONSIO.

Una quidem est congregatio totius elementi, plures vero partes principaliores. Nam stagna, quæ ad Arctum, et quæcumque ad Græciæ spectantur mare, quæque Macedoniam, et Bithyniam, et Palæstinam obtinent, congregationes

[1] Gen. I. 9.

utique sunt, quas multitudinem aquæ habere nullus contradixerit : non tamen proprie maria esse dicimus, licet propemodum cum mari ob amaritudinem et salsuginem mixtæ sint, qualis est Asphaltites lacus in Judæa, et Serbonites inter Ægyptum et Palæstinam, ad desertum Arabicum extensus, itemque Hyrcaniam et Caspiam. Et videmus a nonnullis ipsos esse descriptos. Oportet enim attendere descriptionibus geographicis eorum, qui et viderunt, et scitu dignas res memoriæ prodiderunt. Nam occulte conservantur inter se et conjunguntur uno eoque maximo mari : quemadmodum Rubrum declarat mare, parte superiore cum Gadirico occulte conjunctum.

INTERROGATIO LXXXI.

At quomodo congregationes aquarum maria vocavit Dominus ?

RESPONSIO.

Sinus, qui secundum suas species a circumjacente terra comprehensi sunt, maria Dominus appellavit. Hoc est, mare Boreale, mare Australe, Eoum mare, et Hesperium mare alterum. Præterea pelagi hujus vel illius peculiares appellationes, pontus Euxinus, et mare Hellesponticum, Ægæum et Ionium, Sardoum pelagus, et Siculum alterum, et Tyrrhenicum, et infinita marium nomina, quæ ut a nobis cuncta recenseantur, præsentis non est temporis.

INTERROGATIO LXXXII.

Quare Moses in principio Genesis terram nominat, inde rursus aridam ? Annon enim aliud est arida, et aliud terra?

RESPONSIO.

Nihil omnino mihi videtur ab arida differre terra : verum ne causam arefaciendi tribueremus soli, antiquiorem solis ortu ariditatem terræ opifex Deus declaravit, mox a principio desipientes ab ea vanitate revocans, ne solem Deum facerent.

INTERROGATIO LXXXIII.

Quid est, quod Moses inquit : « Et vidit Deus quod esset » bonum [1] ? » Quomodo omnium præscius post quam fecisset, vidit quod bona esset lux? Nam si homines antequam quid faciant, sciunt bonum-ne vel malum sit futurum quod perficitur, quomodo Deus post quam fecisset, tunc demum vidit quod esset bonum, quasi non præcognoscens id quod facturus erat?

RESPONSIO.

Non hoc volunt ista verba, delectabilem maris aspectum Deo visum fuisse. Nec enim opifex rerum intuetur oculis pulchritudinem creatorum : sed ineffabili sapientia contemplatur ea quæ fiunt, qui ad Hieremiam inquit : « Ante- » quam te formarem in utero, novi te, et antequam egredereris » ex alvo materna, sanctificavi te [4]. » Ad Nathanaëlem autem, « Antequam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, » videbam te [2]. » Qui dicit Abrahamo : « Ad tempus illud » habebit Sara filium [3]. » Judæis autem, « Ante Abraha- » mum ego sum [4]. » Pulchrum enim spectaculum mare albicans, cum ipsum constans tenet tranquillitas. Jucun-

[1] Gen. i, 4, 10, 12, 18, 21 et 25. — [2] Jerem. i, 5. — [3] Joan. i, 48. — [4] Gen. xviii, 10. — [5] Joan. viii, 58.

dum item est, quando ad auras matutinas horridum dorso purpureo cæruleove spectantibus objicitur, neque violenter propinquam terram pulsat, neque penitus quiescens, sed pacificis quibusdam amplexibus littora sua salutans, ad semetipsum resilit. Pulchrum item, quod divinum præceptum reveretur, « Huc usque venies, et non transgrediere, » sed in temetipso collidentur tui fluctus [1]. » Idem ad reprehensionem temeritatis stoliditatisque nostræ inditum sibi metum ostendit, ne paululum quidem fluctibus ultra terminum excurrens, conspicuam littoribus lineam imprimens, quasi lingua mandat ne transgrediatur terminum mandati divini. Pulchrum quoque, quod cum fluminum sit mater, ipsa eadem rursus suscipit, hinc quidem quasi in lucem proferens, illinc vero recipiens quasi hospites. Pulchrum vero, quod et plurimum inter se dissitas continentis terras et urbes præ se conjungit, ac ferens in sua summitate naves, nullumque præbens impedimentum nautis, partim quidem nautis, partim vero cæteris commercium præbet. Sed et eorum quæ ignorantur, variæ cognitionis beneficium largitur, et in rebus necessariis subvenit indigentibus, exportandi et vicissim reddendi commoditatem civitatibus præstans. Non tamen sic et Deo putandum est, quod bonum vel pulchrum et jucundum illi visum sit mare : sed bonum de quo ibi habetur, ratione opificii judicatur. Ad eumdem modum et de luce et cæteris existimandum est.

INTERROGATIO LXXXIV.

Quomodo scripsit Moses, quod dixerit Deus, « Progerminet terra herbam graminis, quæ seminet semen secundum genus et secundum similitudinem suam, et lignum » fructiferum, cujus in se sit semen secundum genus [1] : »

[1] Job. XXXVIII, 11. — [2] Gen. I, 11.

cum tamen videamus multas plantas prorsus infrugiferas, quæ neque semen habent. Quemnam enim fructum habet alnus, aut abies, aut pinus sylvestris, aut arundo? Quale item semen habet allium, aut rosa, aut crocus, aut vitis, aut myrica alia innumera infrugifera?

RESPONSIO.

Si quis diligenter et accurate explicet res divinas, inveniet omnia absque defectu divina voluntate producta. Alnus enim fructum præbet in ramis ad uniuscujusque nostrum necessitatem: folium repositum facit ad nutrienda in hyeme pecora: ex fruticante stolone oleum quod præbetur infirmis, quod a multis oleum alni nuncupatur. Vice autem seminis rami alni defossi radices agunt. Ad eumdem vero modum et abies et arbor picea ramusculis et defractis surculis genus augent. Rosa autem, aut allium, aut crocus, partim quidem ad odoris fragrantiam conducunt, partim ut commisceantur degeneranti vino siceræ potoribus, unguentariis item ad conficiendum artificiose suffitum, et medicis ad collyria, in cibo sumptum. Sed et aquæ potoribus aquam innoxiam præstant. Arundo vero fructum fert, comam quidem ad spongias, reliquium vero ad instrumenta scriptoria. Utrumque autem radicum suppullulationibus genus augent.

INTERROGATIO LXXXV.

Quare quasi naturaliter cohærent cum bonis mala, corruptibilia cum vita nostra, cum tritico zizanium, et cicuta: cum rosis spinæ: cum cæteris nutrimentis helleborum, et aconitum, et mandragora, et succus papaveris, quæ nostram vitam tollunt?

RESPONSIO.

Num igitur relicta pro utilibus gratiarum actione, crimen intentabimus opifici, quod quædam nobis ad discrimen, quædam vero utiliter nascuntur? Aut non reputabimus illud, quod non omnia propter ventrem nostrum condita sunt? Atqui nobis quidem deputati cibi omnibus in promptu et cognitu faciles sunt. Unum quodvis vero nascentium peculiarem quamdam in creatione rationem implet. Ne enim læderet venenatus taurinus sanguis, non debuit id animal produci, vel carere sanguine, cujus robore in tam multis indiget vita nostra? Atqui ad cavenda perniciosa tibi ratio sufficit. Annon enim oves et capræ norunt refugere quæ vitæ suæ perniciosa sunt, solo olfactu noxia dijudicantes? Tibi autem cui et ratio adest, et ars medicinæ, quæ quod est salubre suppeditat, et præcedentium experientia, perniciosorum fugam suggerens, difficile erit declinare mortifera? Nihil autem horum inutiliter aut abs re natum est, sed aut nobis aut pecoribus ad utilitatem tributum. Nam cicuta quidem sturni pascuntur, helleboro vero coturnices, utriusque noxæ immunes quadam dispositione naturæ. Per mandragoram autem somnum infirmis inducunt medici. Succo papaveris corporum vehementes dolores sopiunt. Jamvero et cicuta quidem rabiem appetituum sustulerunt, et helleboro multos diuturnos morbos extirparunt. Quare quod putamus inimicum esse nostræ naturæ, id nobis in augmentum gratiarum actionis accessit.

INTERROGATIO LXXXVI.

Quare de herba et arboribus, « Progerminet terra, » inquit, de pecoribus autem et bestiis, « Producat? » Annon

aliquam dissonantiam habet, utrisque ex eodem provenientibus ventre ?

RESPONSIO.

Quandoquidem germina et fructus quotannis germinatura erant, et in terra remansura, in ipsam, velut in sinu matris defluentibus floribus desinentia, et ex ipsa rursus enascentia: animalia vero semel ab ipsa producta, non amplius ex ipsa, sed a succedentibus procreantur.

INTERROGATIO LXXXVII.

Quare non cœlum tanquam primum a se creatum exornavit, sed ejus quæ post illud condita est, terræ priorem curam habuit, cum tamen secundum consequentiam creationis deberet addita fuisse cœlo primum exornatio ?

RESPONSIO.

Propter errorem de multitudine Deorum, qui oriturus erat, qui etiam nunc apud multos obtinet, qui solem pro Deo colunt, cum noctu ad illius occasum sint impii, ne existimaretur fructus calore solis productos a terra digeri, et non ab omnium moderatrice divina potentia unumquodque perfici ad eam, quæ ab illa definita est, magnitudinem, vel etiam, ne auctorem et patrem lucis solem putarent aliqui, eam ob causam terra prius, quam cœlum, est exornata.

INTERROGATIO LXXXVIII.

Et quare non die primo, abysso adhuc obtinente cœles-

tia, nondumque congregata aqua ad congregationem unam, fecit solem et lunam, et stellas ?

RESPONSIO.

Eo quòd nondum erat firmamentum in quo luminaria erant reponenda ; « In principio enim, inquit, fecit Deus » cœlum et terram [1]. » Non id quod cernitur, sed supra id quod cernitur, constitutum.

INTERROGATIO LXXXIX.

Num et multitudinem dicis cœlorum esse supra firmamentum ?

RESPONSIO.

Numerum quidem nullus sanctorum unquam pronuntiavit, excepto eximio Apostolo, qui « Ad tertium » se pervenisse clamat [2]. Non tamen in eo numerum ipsorum collocat : nam quod inquit se « Raptum in tertium cœlum » usque ; » per articulum, « Usque, » subinnuit etiam alios supra tres constitutos esse. Et Davides divinorum auctor Carminum, « Laudate Dominum ex cœlis [3], inquit. » Et socii Ananiæ divini : « Benedicite, inquiunt, cœli Domini » Dominum [4] : » utrique numerum per spiritum subticentes. Quid enim nos juvabit summum, et numero superius scire cœlum, cum ne id quidem quod est ante, et super capita nostra, conscendere mente velimus, materie crassa gravati et affectibus : id quod mente percipi potest obscurantes, inferioribus et humi positis semper inhiantes.

[1] Gen. I, 1. — [2] 2 Cor. XII, 2. — [3] Psal. CXLVIII, 1. — [4] Dan. III, 59.



INTERROGATIO XC.

Quid igitur? num aliud secundum naturam putas id, quod supra positum est, ab eo, quod cernimus, et firmamentum dicimus?

RESPONSIO.

Subtilioris illa esse substantiæ dico ab eo quod secundum est, tanquam superiora, et leviora, velut bullæ in glacie enascentes. Id autem quod cernitur densius, propter gestationem ultramundanorum; « Laudate enim Deum » in firmamento virtutis suæ [1], » inquit Davides. Cum hoc autem consentientes Ananiæ socii canunt: « Sis benedic- » tus, inquiunt, in firmamento cœli [2]. » Ante hos autem Moses indicavit, aliud quidem esse quod initio mundi factum est cœlum primo die, aliud vero quod secundo firmamentum. Nam illic quidem, « In principio, inquit, fecit » Deus cœlum et terram [3]; » hic autem, « Et dixit Deus, » Fiat firmamentum [4], » alterius et naturæ et usus.

INTERROGATIO XCI.

Quomodo vero non delabuntur per præruptam compagem firmamenti aquæ, quæ supra ipsum sunt?

RESPONSIO.

Non omnino concavæ sunt summitates, sed æquales et planæ, velut balneorum tectum, et sub antris structuræ docent; quæ infernæ quidem aspectæ, convexæ visuntur,

[1] Psal. cl, 1. — [2] Dan. III, 56. — [3] Gen. I, 1. — [4] Ibid. 6.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

superne vero apparentes, declives et planæ et habitabiles sunt. Ad eumdem modum et divinæ protensiones, inferne concavæ videntur in supernis esse, superne supinæ et æquales sunt, ad se recipientes præclaros in Ecclesiis viros. Non enim eo modo, quo mortales, operatur Deus, neque eadem ratione, aut nunc hoc, nunc aliud fundamentum ponit, sed supra molle concameravit gravius, instabili autem et diffluenti crassum et materiale prævalet. Atqui sub cœlo quidem aëra et eminentiam abyssi expandit, terræ vero aquas inseruit, sub levioribus graviora conspici imperans. Utraque vero ex divinorum Carminum auctore discimus : « Qui stabilit in aquis superiora ejus, qui ponit in nube » ascensum suum [1]. » Et post alia : « Confitemini, inquit, » Domino, qui firmavit terram super aquis [2]. » Atque architecti quidem pro magnitudine domorum in altum ædificantes proportione altitudini respondentia fundamenta subdunt : et navium structores decem millium capacem navem fabricantes, congruentem ponderi merciumcarinam conglutinant. At Deus meus primo fastigium superne extendit, atque sic demum fundamentum supposuit : primum vela expandit, ita demum navem hujus creaturæ subtus fabricatus est, quasi in ponto ferentem procellosam hanc et instabilem vitam, quæ neque læta durabilia, neque tristia possidendo perseverare potest, usque quo tranquillum consummationis portum subierit ex præsentis turbinis procella. O miraculum ! Quomodo solubili innatat terra ? Quomodo per liquidum non penetrat grave? Quomodo montes in molli non submerguntur ? Oblitus sum mei ad Deum dicens, Quomodo ? Quis enim intelliget quo pariete contineatur abyssus, aut quis extremus ejus fundus et angiportus inferiora continens ? ad immensa enim et infinita deficit meus intellectus, dum sic procedit, præter inventas sedes

[1] Psal. ciii, 3. — [2] Id. cxxxv, 1 et 6.

imas et bases insuper alias excogitans, ultra quas quod succurrat nihil est, Salomone inclamante: « Sublimiora » te ne quæras, et profundiora te ne scruteris. Quæ tibi man- » data sunt, illa cogita [1], » credens conservatricem universi divinam potentiam omnia sustentare et conservare, et omnia penetrare, ad gubernandum in universa omnia.

INTERROGATIO XCII.

Unde facta sunt luminaria sol et luna, et astrorum cœtus? Quod Dei quidem sit opificium scimus, sed de substantia quærimus.

RESPONSIO.

Ex primigenia luce mihi videntur luminaria esse. Nam materiam lucis producens Deus, inquit, « Fiat lux et facta » est lux [2]. » Transmutans autem in varias species materiam, inquit, « Fiant luminaria [3]. » Veluti si quis primum promat massam auri, quam in numismata secans, duo præcellere magnitudine faciat, et in orbe permagno conjungat, domusque tecto applicet, oblectans quidem aspicientium oculos, immortalia vero faciens monumenta suæ industriæ; ipsaque procul a firmamento removens, deinceps illi subjecit. Inquit enim ipse divinorum enarrator Moses: « Et fecit Deus duo luminaria magna [4]. » Hic mihi attentas aures præbe, o præclare. Nam ex ipsa elocutione manifestum faciam, luminarium creationem extra firmamentum esse. Inquit enim Moses, « Et posuit ea in cœlo [5], » inferiora significans, aut extra tectum orbes ipsorum describens, sicque deinde ei subjecta esse.

[1] Eccli. III, 22. — [2] Gen. I, 5. — [3] Ibid. 14— [4] Ibid. 16.— [5] Ibid. 17.

INTERROGATIO XCIII.

Num simul illa duo constabilivit, aut a se invicem disjunxit ?

RESPONSIO.

Etiam post terræ exornationem sol productus est, ne ipsum aliqui lucis auctorem nominarent, neve de terra nascentium opificem. Primum enim lucis natura producta est. Quarto vero die solaris corporis currus primigeniæ luci paratus est, velut aliqua lucerna propter impositum sibi ignem. Quemadmodum autem aliud quidem est albedo, aliud vero dealbatum corpus : sic et hæc diversa cum sint, unita sunt, licet discreta sint. Enimvero quæ opinione nostra sunt separabilia, operatione differunt, virtute ejus qui fecit. Qui et urendi vim in igne a splendore separavit, velut in rubo, et in fornace trium puerorum, cujusmodi et in terribili judicio audimus ignem fore, qui justos quidem illuminet, comburat vero peccatores. Quemadmodum testatur Davides, « Vox Domini perrumpens flammam » ignis[1]. » Eorum vero quæ de passionibus lunæ quæruntur, brevis comprehensio est, quod decrescens non toto corpore suo consumatur, sed circumjacente luce deposita, rursusque assumpta, decrementi et incrementi species præbeat. Potest enim in aëre puro videri ejus obscuratio tanta circumferentia circumscripta, quanta in pleniluniis est. Idem intelligas et de sole : Nisi quod hic quod semel accepit, id inseparabile habet, illa vero assidue induitur et exuitur. Et hæc de sole dicta creduntur. Porro situm eorum ex Mosaïco scripto intelligamus. Inquit enim, « Et fecit

[1] Psal. XXVIII, 7.

» Deus duo luminaria magna, et posuit ea in firmamento. » Luminare magnum in dominium diei, et luminare minus » in dominium noctis [1]. » Ergo sibi invicem e regione opposita locavit, illum quidem in regione matutina, hanc vero in vespertina. Et illum quidem qui diei præesset : hanc vero quæ nocti. Ut sibi ex opposito currentes, ille quidem per diem nocturnum, hæc autem per noctem diurnam, ad eumdem pertingat ortum. Ut inclinante die, hæc in summum ortus matutini veniat, agens veluti regina, splendoribus noctem exhilarans. Ille vero tenebris ingravescentibus ad idem centrum appellens, veluti rex præsidentia sua regionem omnem quæ sub cœlo est, illustret. Ut sit illius quidem ortus, hujus occasus, et hujus præsidentia, illius subtractio. Ut perficiatur illud, « Domi- » nentur diei et nocti [2]. »

INTERROGATIO XCIV.

Quomodo cum elapsi essent dies ab ortu rerum quatuor, plena erat luna, et totum mundum illustrabat, non aliter ac si dies quindecim elapsi fuissent? Quomodo vero hodie cum itidem quatriduana est, non similiter per noctem illuminat mundum?

RESPONSIO.

Quatriduana quidem respectu præcedentis conservorum ortus dicitur, non quasi quatriduana fuerit, quæ postmodum creata apparuit. Enimvero, cum condita est, perfecta erat. Non enim debuit mutilatum aut semiperfectum esse divinum opus. Quod autem nunc talis conspicitur, quando quatriduana est, ne quidem quæstione dignum

[1] Gen. 1, 16, 17. — [2] Ibid. 18.

arbitror, si nostram imaginem consideremus. Perfectus enim primus pater noster Adamus creatus, perfectam quoque vitæ consortem accipit. Atqui videmus illorum posteros non eamdem servare æqualitatem magnitudinis, neque item ad generandum progredi, nisi prius processu temporis ad debitam pervenerint magnitudinem. Posteaquam autem hanc assecuti fuerint, interventu mortis in terram rursus desinunt. Paulo post vero per resurrectionem renascuntur, deposito et denuo induto corpore, juxta lunæ similitudinem. Undecim autem dies, quibus superavit solem, non substantia, sed natura rependit ei, per quemlibet mensem dies viginti novem et dimidium numerans, et trecentos quinquaginta quatuor dies absolvens per anni circuitum, secundum Hebræam supputationem. Non enim norunt illi menses Romanorum, qui apud nos sunt, solam sequentes lunam.

INTERROGATIO XCV.

Quid est est hoc, «Sint in signa et in tempora, et in »dies, et in annos[1] ?» Siquidem asserunt aliqui multa ex principiis istis judicari de humana nativitate.

RESPONSIO.

Circumscribunt quidem suam nativitatem astrologis supputationibus vani homines. Quod vero ex astris non possint quidquam portendere de mortalium vita, testatur Esaïas dicens : « Surgant astrologi cœli, qui stellas intuen»tur, et annuntient tibi quid futurum sit[2]. » Sed paulo post latius illorum fabulas explicabo. Signa vero cœli et astrorum merito recenseantur, imbres, flatus, tempes

[1] Gen. I, 14. — [2] Isaï. XLVII, 13.

tates, ver. Hæc ex astris discimus per Dei erga genus humanum bonitatem, ut in mari nauta signum videns, ad portum navem dirigens, naufragium effugiat : ut agricola anniversarium etesiarum signum secutus, fodiat arvum : ut viator in diversorio minus diu moratus, effugiat ingruentem imbrem aut grandinem. Fiunt signa et belli et pacis, quæ ad Judæos concionans confirmavit Servator.

INTERROGATIO XCVI.

Quid igitur? Num idem putas esse temporis articulum et signum, et tempus? Atqui quomodo Scriptura differentiam indicans, inquit, « Et sint in signa, et in tempora, » et in dies, et in annos ? »

RESPONSIO.

Aliud quidem est tempus, aliud vero temporis articulus. Nam illud quidem prolixioris spatii significationem habet, hoc vero opportunitatis. Neque enim dicimus : Instat spatium temporis messis, aut vindemiæ, sed opportunitas : neque spatium temporis ut nubat puella, sed tempestivum est : quæ quidem nos sapiens ille docet Salomon. Signa autem astrorum illa dico, ortum quidem Pleiadis initium messis et navigationis, occasum vero, diversum. Nam ille quidem congregat, hic vero spargit in arvis semina. Illud autem, in diem, quæ periodo septimanæ constat, diem sabbatismi dicit. Omnia enim festa laborum intermissionem habentia, sabbatum apud Hebræos appellantur, quorum ab ipsis præter hebdomadarium cyclum tria in anno perficiuntur. Aliquoties etiam præter quam proprie dictum sabbatum. Dies enim sabbati erat et tempus quo vescebantur infermentatis : similiter et Pentecostes : ad cum-

dem modum et scenopegiæ. Et extra proprie sabbatum dictum, si temporis periodo incidat ipsis festum, sabbatum diem appellant, quod declarans eximius apostolus Matthæus, « Sabbato secundo primo[1], » inquit (5) ; eum diem significans, qui post sabbatum proprium ipsum per festum otio vacabat. Proinde menses luna perficit, annos autem sol : illa quidem per periodum dierum plena facta : hic autem ex periodo mensium in eodem centro ortus matutini constitutus, conversiones servans æquinoctii, æstatis et autumni.

INTERROGATIO XCVII.

Est-ne sphæra cœlum, aut hemisphærium, quod actum circulari motu solem sub terram ferat, aut alio modo cursum ei tribuat?

RESPONSIO.

In his utrisque ab eximio Esaïa instituamur, qui clamat : « Qui constituit cœlum velut laquear, et extendit ipsum » velut pellem[2]. » Quod igitur consistit, non movetur circulariter : quod expansum est, non subtus fertur. Principium igitur habet cœlum et terminum. Non enim inquit Scriptura : « Ascendit sol ; » sed, « Egressus super terram, et Lot » ingressus est Segorem[3]. » Non globum, sed laquear esse confirmans. Et Davides inquit in Carminibus : « A vertice » cœli egressus ejus, » non ascensus ; « Et occursus ejus » usque ad summum cœli[4], » non autem descensus ejus aut occasus : ne ipsum percurrentem circulariter moveri faciat. Et iterum, « Et ipse, inquit, velut sponsus, » non,

[1] Luc. VI, 1. — [2] Isaï. XL, 22. juxta LXX. — [3] Gen. XIX, 23. — [4] Psal. XVII, 1.

ascendens, sed, « Exiens ex thalamo suo[1]. » Ipse vero concionatur Dominus : « Mittet, inquit, Angelos cum tuba et » voce magna, et congregabunt electos ab extremo cœli » usque ad extremum ejus[2]. »

INTERROGATIO XCVIII.

Quomodo igitur occidit sol, si non fertur sub terram, et quinam locus est, qui radios ejus inumbrat?

RESPONSIO.

Peragratis celeri cursu cœlestibus terminis, post quam latus quoddam, boreale nempe clima, subierit, elevante se Cappadocum solo, inumbratur quidem radiorum fulgor per sylvas et aquas ex superna repressione firmamenti, perfractis ad latera radiis, et per eminentiam terræ luce ipsius exclusa, idque secundum prius exhibitam similitudinem lampadis, cujus apud nos usus est; si testa fax comprimatur, et aliqua ex parte inumbretur, ad aliquod liberum latus lux recedit. Hoc modo etiam sol pervenit ad Orientem, occulte borealem plagam permeans. Estque nobis illustris testis in rebus divinis sapiens ille Salomon : « Oritur, inquit, sol, et occidit : ortus per occasum gra- » ditur, et gyrans circulariter fertur ad aquilonem, et in locum suum redit[3]. » Aspice proinde ipsum per meridiem currentem, et plagam borealem circumeuntem, ut intra præscriptum ab Oriente feratur.

INTERROGATIO XCIX.

Si absque intermissione cursus ejus est, quomodo æs

[1] Psal. XVII, 6. — [2] Matth. XXIV, 31. — [3] Eccl. I, 5, 6.

tate quidem majores nobis dies efficit, hyeme vero minores.

RESPONSIO.

Eo quod non ab eodem centro semper procedit, sed prope meridiem constitutus, non altam, sed obliquam incedens viam, breviores nobis dies efficit. Occidens vero in summo plagæ vespertinæ ambit per noctem omnem Occidentem, et Arctum, et Orientem, quo perveniat rursus ad summum meridiei, inde rursus diurnum celerem cursum incipiens. Unde, ceu constat, accidit ut nox longior, dies vero brevior efficiatur. Quando vero æqualiter per medium agit æthera, æquinoctium perficit. Æstate vero rursus ad borealem vergens plagam elevatur, ac nocti quidem aufert, addit vero diei per breviorem noctis circulum. Luna autem non prorsus per imminutionem deficere deprehenditur, sed ex parte orbis inumbratur: ipsamque aspicere licet decrescentem atque deficientem sub nube obscuratam, quæ veluti veste bombycina rursus induta luce, attracto complemento, instar reginæ procedit. Estque evidens imago nostræ naturæ, nascens, crescens, plena, decrescens, imminuta, occidens, non tamen prorsus intercidens. Consimiliter et nos nascimur, crescimus, ad plenitudinem evadimus in senectute : ita deinde deficimus vigore faciei, decrescimus elegantia coloris, et gratia floris in vultu, rubori pallorem introducentes. Imminuimur corporis robore, incipientes incedere curvi, et inniti baculo, ad terram inclinati, et ipso habitu ipsam obtestantes : Ecce adsum. Morimur, et in ipsam desinimus corpore, non tamen intercidentes spiritu, sed paulo post, deposito carnis pallio, rursus anima vestitur. Non enim ego sum corpus, sed ego quidem anima; meum autem hoc corpus,

et quæcumque ex terra nascuntur : unde et hoc rursus post interitum nascitur, ut luna quæ veluti reviviscens, sub aspectum omnibus venit. Quandoquidem et nos in sepulcro intereuntes, rursus resurgemus, quasi renati secundum verbum illud divinum : « Quando venerit Filius hominis in regeneratione[1] : » quo nostræ resurrectionis tempus significatur.

[1] Matth. XIX, 28.

DIALOGUS II.

INTERROGATIO C.

Quandoquidem audivimus heri te ad eos, qui quæsiverant, dicentem, inanimatam esse terram : si inanimata est, quomodo generat animata, bovem, ovem, leonem, draconem, et cætera genera pecorum, et reptilium, et bestiarum?

RESPONSIO

Nihil horum animatam terram esse demonstrat. Siquidem hoc modo concedemus omnino et vitem cum botris delitescentem, confestim proferri : et palmam arborem fructum plenum proferentem sub terra mox exilire ut appareat : aut ut triticum plenam spicam et ad messem paratam subtus protendat, rursusque divino præcepto oriatur. Verum non habet rationem similitudo. Nam si terra animata ex eo est, quod animata profert, se ipsam anima destituit. Nam qui animam educit, sive suam, sive paoximi, mortuus omnino, et exanimis est, vitalem causam ejiciens.

INTERROGATIO CI.

Num igitur, quandoquidem homines viventia et animata generant, edito in lucem infante, inanimus relictus est?

RESPONSIO.

Verum nihil aliud quam organum homo generat, animam autem immittit Deus. Nusquam enim in Scriptura dictum est : Producat mulier animam viventem; neque quod Eva concipiens, aut Sara, aut Elizabetha produxerit animam, sed quod genuerit infantem puerum. Cur cæteroqui plurimæ matres generant sola corpora, anima destituta, siquidem poterant animatum producere fœtum? Aut quare fœtum mortuum enixæ, super eo lugent et plorant, et non mox animam indunt mortuo : siquidem denuo fas erat animam generare? Quomodo vero quodvis animatum ferro dissectum aut laniatum, mox sanguinem profundit instar torrentis, et circumquaque rubefacit subjectum? Terra vero arata, pastinoque dissecta, et in puteum effossa non clamat, non reddit sanguinem, non rubefit, non contradicit percussoribus, ut animata omnia solent? Quomodo vero allium et cepæ, ut aliæ plantæ cultro vel falce amputatæ sanguine non perfunduntur, siquidem animatæ sunt, secundum Manichæos vaniloquos et stultos, qui fœtidam maledicentiam in suis animabus circumferunt? Omne autem animatum terrenum et marinum omnino erit, et sanguinem habens. Non igitur animata terra est, neque quidquam plantarum, aut luminarium. Nusquam enim de his inquit Pagina sacra, quod inspiraverit ipsis flatum vitæ, quemadmodum inquit de homine. Absit igitur a te procul, quæso, illorum dementia et delirium. Omne enim animal sibi simile generat, bos bovem, similiter et equus equum, et caprea, et tigris, et oneribus portandis destinata jumenta, bestiæque crudivoræ, unumquodlibet suam naturam, eamque solam generat. Quomodo igitur terra cum unius naturæ sit, tot queat animas generare al-

terius generis et inæqualium animalium, nisi divino mandato animarentur, quæ inde producuntur? Quomodo vero et aquæ eidem divino jussui obnoxiæ, cum sint unius naturæ mollis et fluxæ, innumera genera natatilium animatorum, cæterorumque et aliorum piscium cartilagineorum in uno temporis momento consimiliter cum terra excreverunt? Quî res mollis et fluida produxit corpora animata, solidaque et lapidea, in abysso fluitantia, adæquata montibus magnitudine, cujusmodi sunt phocæ, balænæ, priones, gauri, etc., horribilia dictu et aspectu in profundo degentia animalia, quorum non est præsentis temporis expositio? Quomodo igitur, siquidem una natura animata est aqua, innumera effluxerunt genera natatilium et volatilium, aliter nascentia, et aliter viventia, et quidem diverso victu viventia : nunc quidem super terram, nunc vero in aquis victum quærentia? Niliaci sunt in Ægypto crocodili, ad occidentalem Phisonem canes fluminei : Euphratæi gryphes, palustres ranæ, et apud nos echini et cygni. Atque innumera quis invenerit amphibiorum genera, quæ nunc quidem in pratis et medimnis semina colligunt, aut herbas comedunt, una cum terrestribus animalibus : nunc vero in aquis natantia leviores fluviatilium cibos comedunt : quod et crudivora ex terrestribus facere solent. Sed ad propositum sermonem gubernacula vertamus, prophetica secuti dogmata. Nusquam enim terram animatam pronuntiant, sed divina virtute et spiritu animari ex ipsa pullulantia : divino quidem Davide canente, « Emittes Spiritum tuum, et creabuntur[1] : » Esaïa vero velut in persona Dei manifesto clamante : « Ego Deus, » qui feci cœlum et terram, et qui dat flatum vitæ omni» bus calcantibus eam[2]. »

[1] Psal. CIII, 30. — Isaï. XLII, 5.

INTERROGATIO CII.

Nihil quod mugit, aut rugit, inanimum esse dicimus: quomodo igitur rugit terra, siquidem inanimata est, et quomodo mugit quando concutitur ?

RESPONSIO.

Similiter et mare subterraneis spiritibus intumescens, quasi stridorem aliquem aut mugitum reddit. Etenim illud sæpenumero evaporante profundi æstu commotum et exundans, sonitum efficit, allidens semetipsum procellis vehementioribus. Quiescente vero flatu, velut inanimatum haud clamat, sed sopitum profunditatis tranquillitatem habet. Cæteroqui num putatis aquaria vasa vel dolia animata esse, quæ audimus stridentia et mugientia, cum penetrat aërius spiritus? occisa vero capra et excoriata, cuivis constat ipsam pellem inanimam esse. In utrem vero cute commutata, et spiritu distenta, deinde rursus compressione manuum nostrarum emisso flatu, quomodo stridorem quemdam, aut mugitum reddit inanimata? Quomodo item musico serviens instrumento, ductu hominis varie illo utentis quodvis carmen efficitur, ac tam lugubriter quam remisse per fistulas resonat? Num igitur animatas dicemus quod inflatæ musicis insonant instrumentis hominum excogitatione? Item citharārum chordas, et tympanorum pelles tinnitus et sonos edunt, perque tactum ejus, a quo tenentur, strepunt. Ad hunc modum cogita et terram, per alterius alicujus operationem, mugire et concuti.

INTERROGATIO CIII.

Quomodo igitur tres illi pueri omnem creaturam animatam innuunt, canentes in fornace : «Benedicite omnia »opera Domini Dominum, celebrate et exaltate ipsum in »sæcula. Benedicite Angeli, cœli, terra, sol, luna, astra, »rores, pluviæ nivales, glacies, nives, lux, tenebræ, »noctes, dies, montes, colles, mare, flumina[2], »et omnia, quæ sequuntur? Nam per hoc, esse illa animata significatur.

RESPONSIO.

At non omnia animata ostendit esse illorum Sanctorum hymnus, præter homines, etiam bestias, et cetos et cætera terrestria et aquatilia. Angeli enim benedicunt ut rationales spiritus, et ministeriales : cœli autem, non sermone et voce, sed suppeditatione imbrium et firma constitutione. Sol autem et luna, exortu, et mutua vicissitudine cursus et radiorum ejaculationibus. Præterea processione ordinata Lucifer quidem diem annuntiat. Hesperus vero diversum. Pleias conspecta securitatem navigantibus pollicetur; occidens vero diversum..... aliquando quidem ad matutinas, aliquando vero ad vespertinas partes axem flectens, noctem et lumen significat. Terra vero fructibus benigniter fovens mortales, laudat Dominum. Mare prosperitate profectionum, et lignis permeabile, piscesque nobis proferens et conservans, Dominum laudat. Animalia autem bruta, et homines : nos quidem cum ratione laudes offerimus, illa autem portantia laudantes, et vota facientes, ordinate ab illis gubernata, et in timore

[2] Dan. III, 57, et seqq.

cohibita, Dominum prædicant. Nil enim minus quam pro nobis ipsis, etiam pro jumentis orare consuevimus.

INTERROGATIO CIV.

Si in firmamento fixa sunt astra et luminaria, consistit autem immobile, ut dicitur, cœlum, quomodo currit per ipsum sol et luna, non secantes ipsius substantiam? Quomodo item in glacie figi potest ignis, ita ut non solvatur?

RESPONSIO.

Non sunt fixa, sed sub firmamento aptata, et feruntur quidem in æthere levitate naturæ, currunt vero sub firmamento : illius quidem refrigeratione secundum proportionem ad inferiora compulsa, verum aëris subjecta crassitudine sublata. Omnibus enim creatis levior est ignis natura, ideoque Angeli etiam hanc sortiti sunt. « Qui facit » Angelos suos spiritus, et ministros suos, ignis flammam[1],» inquit in Melodiis Davides. In Epistolis autem Paulus : « Aëra superant luminaria levitate ignis (6). » Penitus autem ad firmamentum appellere, aut ejus aliquam partem inflammare non possunt, propter aspirans desuper frigus cœlestium aquarum.

INTERROGATIO CV.

At quomodo ventorum violentia in astra non impingunt, aut impediuntur cursu?

[1] Psal. CIII, 4.

RESPONSIO.

Spirant inferne flatus, et sub sole feruntur nubes, ut in alto meridie videre licet, quomodo nubibus agitatis supervolans inumbretur sol. Flatus autem violentia terræ contermina cum sit, merito commovet abyssum, et in aëra spargit pulverem. Quomodo vero flatuum vis exiguam aliquam domum aut lapidem movere cum non possit, movebit aliquando vel transferet solem quavis civitate majorem, aut ad astra collidet?

INTERROGATIO CVI.

Si nihil ad hominum nativitatem conferunt stellæ, neque possunt inde indagari quæ nobis accidunt, quomodo in nativitate Christi exorta est, quæ Magis dux viæ fieret? Aut quomodo illi regalem agnoscentes stellam, ad iter suscipiendum moti sunt, ad adorandum puerum per stellam deducti?

RESPONSIO.

Quia Samaritani et Sadducæi Angelos non recipiebant, merito stellam Angelum divus Evangelista vocat. Sed et cultum astris impensum ad Christum trahens, a multorum Deorum errore mortales reducendo, velut stellam ponit Angelum, viæ adorationis ducem. Non enim alia re Magi ad adorationem excitati sunt, quam opinione sui cultus. Cum autem remissior et infirmior magis facta fuisset per deificati hominis nativitatem, qui stellas fundaverat, et ordinem ipsis præscripserat : re intellecta errantes illi Chaldæi, confirmato ad supplicandum animo, expiato er-

rore, sua eunt sponte, tanquam Evangelistæ et primi præcones gentium de divini hominis adventu. Surgentes igitur prophetia eximii Esaiæ audita, clamant : « Puer natus est » nobis, et filius datus est nobis, et vocabitur nomen ejus » Magni consilii nuntius, Deus fortis, Dominator, Princeps » pacis, Pater futuri sæculi [1]. » Hoc autem cum ante quingentos annos ab illo viro sancto prædictum fuisset, licet illi non audivissent : tamen re ipsa demonstrarunt, legi et Prophetis vacantes, Judæos intelligentiæ expertes esse, atque ita in fide pergunt. Quod vero non stella, sed intellectilis quædam et rationalis potestas fuerit ille Magorum dux, ex ipsa discimus tum motione tum institutione. Nam stellarum illæ quidem quæ semper sunt mobiles, nunquam a motu quiescunt : quæ vero fixæ sunt, non moventur. Hæc autem utrumque recipere videtur, nimirum quæ et mobilis esset, et fixa, atque etiam ab iis qui ducebantur, sese subduceret : ita ut interrogantibus ipsis, « Ubi est natus ille » rex Judæorum [2] ? » turbatus sit rex Herodes, et tota Hierosolyma, et divulgatus divinus partus, lateque sparsus a Magis, propter ademptum viæ ducem. Rursus autem apparens, constitit supra antrum, ubi infans erat, inquit eximius Matthæus. Nam nisi per intermissionem apparuisset, non fuisset commota Hierosolyma interrogatione Magorum, neque irritatus fuisset Herodes, de rege audiens. Nisi intellectilis aliqua et rationalis potentia illa stella fuisset, non utique ejus qui natus erat, ministram se declarasset. Nunc autem quod circa reges fieri solet, vocat quidem, et præcedens divinus hic cursor deducit ad regem aliquos : post quam vero ad portam latioris plateæ venerint, vocatos ad limina stare jubet, usque dum adventum ipsorum regi significaverit, sicque deinceps ad ipsos reversus, ad tectum aureum, et ad regem intus sedentem deducit. Ita

[1] Isaï. IX, 6. — [2] Matth. II, 2.

hic stella quidem conspicitur, Angelus autem esse intelligitur, et gentium dux. Quænam cæteroqui vobis videtur esse maxima stella? Num sol? Omnino dices maximum esse sidus solem. Quis igitur, cum est in medio cœlo constitutus, dicere queat, quamnam urbium aut virorum præcise ostendat, aut quamnam domum quasi digito designet? Compara igitur stellam cum sole, velut muscam vinariam ad elephantem, et astrum divinum ad omnium maximam civitatem, veluti cum camelo culicem. Si igitur non scimus quam maximarum urbium designet superne imminens ille luminarium rex, quomodo stellam exiguam ostendere speluncam dicam, si non Angelus fuit, propinquum terræ in sublimi iter faciens, et Dominum indicans? Facessant igitur hinc cum sua dementia, qui stellam una cum uniuscujusque nostrum nativitate oriri putant, fabulosi nugatores, cum eodem moriente stellam quoque deficere delirantes. Cum enim duo tantum homines essent in mundo, Adamus, inquam, et Eva, plenum erat astris cœlum. Rursusque sublatis per aquas tempore gigantum omnibus animatis naturis, præter eos octo qui cum divino Noa servati sunt : non simul ablata sunt astra cum illis, qui aqua delcti sunt, neque vel paululum a suo recesserunt ordine.

INTERROGATIO CVII.

Quomodo vero Scriptura astrologum dicit Abrahamum? aut quomodo et alios invenimus plurimos, qui ex astris multa quæ fiunt apud nos prædicunt, veluti quod hic infans adultus, in homicidam evasurus sit, aut adulterum : ille vero in sobrium, et modestiorem, et fortunatum, beneficio sideris?

RESPONSIO.

Patriarcham quidem Abrahamum historia astronomum vocans, nusquam ponit ipsum pro diis habuisse vel coluisse stellas. Verum ad agriculturam, et imbres, et siccitates tempestatesque ipse observasse Patriarcha creditur, ut qui patre genitus esset gentili Thare, et cum Chaldæis versatus, qui multitudinem deorum credebant. Non enim juxta leges siderum, sed juxta pietatem in Deum primum sibimetipsi, et deinceps Isaaco filio circumcisionis acutum cultrum adhibuit. Neque secundum astronomiam, sed divinam promissionem ex sterili et decrepita consorte sobolem se procreaturum credidit, cum qua ab adolescentia et florenti ætate usque ad ipsam canitiem, et extremam senectutem versatus erat. Nunquam certe astronomiæ paruit, ne tunc quidem, cum astrorum opifex per tentationem filium immolare præcepisset. Neque astra sequens, sed Deo obediens, Chaldæam cum Mesopotamia Syriæ permutat. Obsecro autem acumen illud tuum, præclarissime Constanti, ut in præsenti sacro cœtu paululum auscultandi gratia tacente, astronomicam genesim nostram, quam tu statuis, explices mihi, quænam siderum sit tam mixtio, quam conjunctio : donec divina virtute ac sapientia subversis, quæ a te agitantur, dogmatibus, rursus per sobrietatem et doctrinam melioribus in te excitatis, quemadmodum et ab excelso Apostolo dicitur, demolitis legalibus, et vicissim exaltatis evangelicis, nequitia fracta, et in melius restituta, paceque cum meis dogmatibus reconciliata, et illis qui una ad audiendum hunc sermonem excitati sunt, illæsis abeuntibus, nec improbitatis gentilitiæ quidquam secum asportantibus, Davides quidem auctor ille divinorum Carmi-

num subjiciat : « Hæc est mutatio dexteræ Altissimi [1] : » eximius autem vates Esaïas acclamet in persona Dei : « Ego » sum Deus, ille, qui facit pacem, et mala in melius re- » vocat [2]. »

INTERROGATIO CVIII.

Facta mihi dicendi potestate a sanctitate vestra, orationem auspicabor, non ut corrumpam præsentes, sed uti rem perniciosam abjecturus. Quando igitur Mars (7) centrum tenens in domo sua, quadrato aspectu cum Mercurio centrum Lunæ, quæ plena esse incipit, in generatione diurna intuetur : efficit homicidas et interfectores, juramentorem usurpatores et potores sanguinis, ebrios, effœminatos, dæmoniacas notitias absconditorum mysteriorum scrutantes, magos sacrificos, et quæ sunt istis similia : si præsertim nullius alterius beneficæ stellæ aspectus sit. Rursus idem Mars intuens Venerem aspectu quadrato, si non sit aspectus alicujus stellæ beneficæ in centro, adulteros efficit, rem cum sororibus et matribus habentes. Venus cum Luna in finibus et domibus Saturni, accedente Saturno, approbante Marte, efficit mulieres agrorum cultrices, et architecturæ omniumque virilium operum gnaras, consuetudinem habentes et concumbentes cum quibus voluerint, nihil impedientibus in hoc eas maritis. Viriles autem efficit mulieres in Capricorno, in Aquario, sed in re venerea infelices. In viris autem efficitur contrarium, si cum Marte sit in Ariete. Quo fit, ut nequeant vel metu, vel alicujus minis, vel arte continere libidines, propter inclinationem astrorum.

[1] Psal. LXXVI, 11. — [2] Isaï. XLV, 7.

RESPONSIO.

Admodum scite gentilitii erroris enuntiasti fabulas. Vicissim igitur et ego audacter aggrediar ea, quæ a te dicta sunt, et fundæ vel arcus vice sermone utens refellere conabor, ne ad Martem et Venerem, nostras stellas, cædium causas referas. Prius autem obsecro ut discere velis, posse hominem, siquidem velit, libidines et actiones vel castigare, vel penitus excutere. Atque equidem excutere soleo per conscientiæ flagella, et per memoriam inevitabilis judicii, quod vitia prohibet. Sed et principum leges, ante tentata tormenta, et angustias, atque catapultarum supplicia, solo auditu rerum terribilium, quæ sunt in compensatione delictorum, modestum reddere possunt hominem intemperantem, et obtundere lascivientem vigorem juventutis in qualibet regione, sive scriptæ sint, sive non scriptæ, tam apud nos, quam gentes. Nam apud aliquos lex scripta, apud alios vero consuetudo valet. Legibus enim qui destituti sunt patrios mores pro legibus ducunt. Quorum primi Seres sunt, qui terræ extrema habitantes, pro lege habent patriam consuetudinem, ne quis scortetur, neve prædetur, ne quis adulterium committat, ne statuas adoret, ne dæmones veneretur, ne prorsus apud ipsos imago sit, aut scortum, aut adultera, aut prædo, aut homicida, aut fur. Et tamen nullius horum liberam potestatem coëgit illa, de qua tu dicis : Lucens igne Martis stella : neque vi compulit quemquam ipsorum interficere gladio proximum, aut lapide percutere. Non Venus cum Marte persuasit ipsis ut furiose ruat in uxorem vicini. Si vel toto die medium cœli Mars obtineat, nihilominus prævalet apud Seres astrorum necessitati lex patria. Lex autem et Bactrianis est sive Brachmanis, a majoribus accepta disciplina : Ne quid mac-

tent, neque inanima gustent, ne vino simpliciter, aut (8).... utantur, Deum meum reverentes, licet vicini sint ipsis Indi, cædibus polluti et vino dediti, qui porcorum sylvestrium aut suum instar cum insania fœminas deperire solent, et affectibus indulgere. In Hesperiis autem regionibus ultra Indos, habitant quidam qui hospites devorant, et advenas interficientes comedunt. Neque ulla stellarum beneficarum a cæde ipsos avertere potuit, usque in hodiernum diem.

Alia Chaldæis et Babyloniis consuetudo est, ut matres in uxores ducant, sorores violent, erga suos liberos insaniant, eosque polluant. Et si procul a patria sint, suis utuntur legibus, aperte, et privatim admoniti. Ex quibus aliqui etiamnum degunt inter Medos et Parthos, et Elamitas, et Ægyptios, inter Phryges et Galatas, in quibusdam pagis impie viventes, etiamsi nunquam Venus cum Luna in finibus et mansionibus Saturni, adjuvante Marte, in omnium ipsorum nativitatibus inveniri queat. Alia item apud Gelas lex, ut mulieres agros quidem colant et ædificent, et opera virilia faciant, sed consuetudinem habeant cum quibuscumque velint peregrinis, nulla increpatione virorum, qui ipsis præsunt, neque æmulatione impeditæ. Non unguntur autem odoramentis, neque fuco in facie inficiuntur, ut genas pingant; quemadmodum apud nos uxores alienæ quæ facici medicamenta quædam adhibent. Viri vero induuntur ad pedes demissa veste molli, et tincto amictu. Sunt autem inter ipsas etiam bellicosissimæ, et venantur feras, quibus vix aliæ sunt fortiores. Quomodo igitur non omnes Gelarum mulieres sortitæ sunt Capricornum aut Aquarium, infausto loco posita Venere? Aut vice versa, cur non ipsorum viri sortiti sunt in Ariete cum Marte Venerem, ubi viriles et molles aiunt esse, qui cum Chaldæis sentiunt? In Babylonicis autem Susis mulieres omnis generis unguento pretioso, et ornatu utuntur, ministris instructæ hilariter

in publicum procedunt, cum immodestia vultus et hilaritate magna. Cum omnibus eædem advenis absque timore et pudore concumbunt imperantes potius propriis viris. Neque tamen in omni nativitate Susidum mulierum, medium cœli cum Jove et Marte in finibus Jovis Venus tenet. In orientali autem plaga prædicones sunt, qui apud Christianos, si deprehendantur ab ipsis consanguineis, nullo parcente, supplicio afficiuntur. In Britannia plurimi viri cum unica concumbunt muliere. Similiter et multæ mulieres uni junguntur viro.

Utuntur denique patriis moribus gentes, veluti lege, citra morsum animi et molestiam. Amazones ne viros quidem habent, sed animalium brutorum ritu semel in anno circa vernum Æquinoctium suis finibus egressæ, et cum viris qui sunt in vicinia coëuntes, quasi conventum aliquem publicum et festum tempus coïtus ducent. Ex quibus post quam prægnantes factæ sunt, domum simul omnes remeant. Tempore vero partuum edendorum, prolem quidem masculam interimunt, femellam vero conservant, et lactant accurate. Absurdum autem est credere, in conceptione quidem masculini seminis Martem cum Saturno ea hora æqualiter sortiri, in fœminini autem nunquam. Quo cæteroqui pacto in eodem noctis dieive momento seminibus in alvos excipientes jactis, rursusque simul quasi ex eodem utero progredientibus, alii quidem fœtus interimuntur, simul atque vitam degustarunt, ab homicidis matribus leto dati, antequam lac traxerint, aut vocem ediderint : alii vero in vita manent, et mala legibus præscripta amplectuntur? Aut quomodo eodem tempore mulieres apud nos et concipiunt, et pariunt plurimæ, gemelloque partu edito, ambos infantes conservant, nullo astro cogente ut interimant, aut solo allidant, ut eos e vita tollant, velut Amazones miseros fœtus suos necant : sed suam

potius cervicem pro illorum cæde objiciant, lactentiumque infantum vitam magis quam se ipsas ament?

Quod si Mercurius, ut dicitis, cum Venere in suis mansionibus existens efficit fictores, pictores, nummularios : in mansionibus autem Veneris, unguentarios, cantores, mimos, poëtas : quî fit, ut apud Helios (9) et Saracenos, et apud eos qui sunt in Lybia superiore, apud Mauros item, qui juxta littora et ripas Oceani habitant, et in ulteriore Germania, et in Sarmatia superiore, et in Scythia, et apud omnes nationes, quæ a Ponto procul dissitæ sunt, inveniri non possit nummularius, aut fictor, aut pictor, non architectus, non cantor, non actor poëmatum, ut apud nos? Quare Mercurius et Venus id non contulerunt etiam apud ipsos nato, ut assequatur ea studiorum et morum exercitia, quæ apud eos non sunt? Medi data opera omnes adhuc spirantes ægrotos canibus escam citra commiserationem objiciunt. Atque hi Medi anne cum Luna, Martem, ut vos loqui soletis, in diurna nativitate in Cancro sortiti sunt? Indi cadavera mortuorum igni in cineres redigunt, et cum eis quorumdam uxores comburunt. Atqui nequaquam omnes igni absumptæ uxores Indorum, aut adhuc viventes, sortitæ sunt tempore nocturni parentum suorum coïtus, cum Marte Solem, in partibus Martis noctu non lucentem. Germanorum complures strangulatione se vita spoliant, non tamen omnino major pars Germanorum lunam, et horam interceptam a Saturno et Marte habent. Verum in omni gente si interdiu homines nati fuerint, non meliores peiorosve erunt, secundum astrorum conjunctionem, uti vos dicitis, sed in unaquaque regione leges quædam et patriæ consuetudines prævalent, ex quibus proprium jus, et quid nobis omnibus faciendum sit omnes discimus. Non enim potest de vestra sententia, genesis cogere Seres ut interficiant, aut Brachmanes ad vorandum carnes, sice-

tamve potandum, aut Persas ne cum matribus matrimonia jungant et sorores violent : aut Indos , ne igni mortuos tradant : aut Medos, ne canibus objiciant morituros : aut Parthos, ne multa conjugia contrahant : aut Mesopotamios, ut sint valde temperantes : aut Græcos, ne corporibus exercendis occupati sint : aut barbaras gentes, ut cum illis quæ a Græcis prædicantur, commercium habere velint. Verum ut dixi jam ante, quivis hominum suæ legis libertate utitur, et quæ ex astris secundum Græcos fabulose ficta sunt, propter legum metum omittit, aut propter consuetudinem patriam gentis a vitiis abstinet. Nam virtutum aliæ sunt ex liberæ voluntatis electione, aliæ vero ex circumstantiis ejus, qui necessitate coactus accedit ad melius, utpote legibus ita poscentibus.

INTERROGATIO CIX.

Atqui cum sint septem uniuscujusque nostrum nativitati deputatæ stellæ in septem plagas terram divisam esse dicimus, atque quamlibet plagam gubernari ab una stellarum illarum et secundum illarum conjunctionem duci et perfici subjectos, quam efficacitatem stellæ aliqui legem vocant.

RESPONSIO.

Si in septem plagas dividitur orbis, quomodo in una parte multas atque diversas leges invenimus? Neque septem modo , secundum numerum stellarum, neque duodecim, secundum Zodiaci signa, neque item triginta sex secundum decanos(10) : sed innumeræ commemorantur leges, quæ olim mutatæ sunt, et nunc vigent. Quomodo veroin eadem sectione anthropophagos Indos , et ab animatis omnique mactatione abstinentes Brachmanes habitare cernimus? Quomodo Babylonii mixti pollutis nuptiis

consanguineorum delirant? Aut quomodo in sectione alia ejusdem tractus Sclaveni et Physonitæ, qui et Danubiani appellantur, alii quidem ubera mulierum libenter comedunt, quod plena lacte fuerint, instar murium infantes saxis allidentes : alii vero etiam a legitimo et irreprehensibili carnium esu abstinent? Qui eorum alii præfracti sunt, suo jure viventes absque cujusquam imperio, ac nonnunquam comedentem secum, vel iter facientem principem suum interficientes, vulpes et sylvestres feles porcosque comedentes, et luporum ululatu se provocantes : alii vero a voracitate abstinent, et cuivis principi se subjicientes obediunt?

Multa certe commemorantur de Longobardis, et Noris, et Gallis occidentalibus, tanquam ignaris Mercurialis et Saturninæ de astris scientiæ. Quot reges et principes sustulerunt male latas leges, ipsi sua placita sancientes? aut e diverso, meliores repudiarunt ab his diversi, a nullo astro in decretis sibi placitis impediti? Unum autem proferam, quod incredulorum omnium ora quasi alapa cædet. Judæi omnes lege quam Moyses tulit recepta, omnem fœtum marem particeps rationis ipsis natum, octavo die circumcidentes, sanguine perfundunt. A sæculo autem nullus Græcorum aut Christianorum circumcisionem recepit, licet plurimi Judæi, et Græci, et Christiani iisdem mensibus et hebdomadibus, et diebus, et horis nati sint. Nihil ergo Mars facit aut Mercurius, aut Venus, aut reliqua Græcorum fabula, uno circulo complectente omnia : nullusque ab astris vi cogitur. Annon enim Græci, aut Judæi, aut Christiani eadem die vel hora, in maternum jacti sunt uterum, et simul in lucem editi? Quomodo igitur plurimis ipsorum Christo adjunctis, patrio abnegato errore, non potuit ei terrenæ parti dominans stella ipsos arcere ab vera in Deum pietate?

INTERROGATIO CX.

At nobis dum de astris loquimur, non est sermo de fide : sed de moribus, et ratione vivendi, et inde pendente actione, præterea de constitutione corporis. Nam quorum sub Ariete nativitas est, crispis sunt crinibus, gratiosi et magnanimi, quia principis officio fungitur Aries : etiam liberæ voluntatis electionem habent, siquidem et Aries deposito absque dolore vellere, rursus a natura vestitur. Subjectus autem Tauro, ærumnosus est, et servilis. Taurus enim sub jugo est. Qui vero est sub Scorpione, percussor est, propter eam, quæ ab illis bestiis sumitur, similitudinem. Nam et Libræ subjectus, est justus : propter nostrarum librarum æqualitatem.

RESPONSIO.

O gentilitiam dementiam! Quid enim istis fuerit magis ridiculum? Nam Aries, unde deliri nativitatem hominis repetunt, cœli duodecima pars est, in quo sol means, verna signa ingreditur. Sed et Libra, et Taurus, et Scorpius, et similiter horum quodvis duodecima portio est, et pars cœli in Zodiaco, quem vocant, circulo. Quomodo igitur inde mortalibus præcedentes causas existere dicunt, dum ex iis, quæ apud nos balant, mores ipsis designantur? Animal enim ad impartiendum facile, Aries est. Non quod Arietis sonum edat ea pars cœli, sed quod ovis a creatore talem naturam accepit. Atque ex astris quidem fatagis ostendere genesim nostram, id vero per balatus persuadere conaris. Siquidem a talibus animalibus cœlum gestatum tales habet morum causas : omnino et ipsum subjectum est alienis potestatibus, nimirum potestatibus astrorum,

astra vero animalium, pendentes ab ipsis causas habentia. Si vero ridiculum hoc est, magis ridiculum illud erit, ex iis quæ nihil inter se commune habent, inducere velle probabilitatem eorum, quæ de nativitate dicuntur. Quomodo enim quotidie innumerabiliter mutantur stellarum aspectus? Nam planetæ, ut sunt, semper mobiles appellantur. Atque alii quidem citius assequuntur se invicem, alii vero periodos eadem hora faciunt tardiores. Aliquoties etiam se invicem aspicientes, mox occultantur. Quod si ex natura ipsis bonum et malum adest, omnino ad opificem causa mali a nobis refertur. Quod si liberæ voluntatis electione moventur, primum quidem erunt animalia prædita libera voluntate, solutis et liberæ potestatis motibus utentia : id quod extremæ insaniæ atque dementiæ fuerit, cum blasphemia conjunctum opificis, et cum mendacio de inanimatis.

Quomodo autem, qui ad Arietem suam nativitatem referunt, crispi et gratiosi, et liberæ voluntatis, et divites sunt? Videmus multos quidem crinibus crispis, qui tamen cæci sunt et minime divites, neque libera prædíti voluntatis electione, sed improbi, ad quæstum faciendum inepti, et sordidi, et pannosi, et circumforanei, qui januam cum janua mutant quotidiani victus adipiscendi gratia. Quomodo autem qui calvi sunt, vel etiam crine simplici, aut hebete visu, diversum habent, divitias nimirum et abundantiam, atque quietem, raro cum amicis consanguineis congredientes? Quoties autem die vel nocte regiarum nativitatum perficiuntur figurationes, quare non qualibet vice reges nascuntur? Aut quomodo patriæ ipsis intercedunt regni successiones? Nimirum non quivis rex regiam astrorum figurationem per coïtum cum consorte tori, filio applicandam observare potuit. Neque enim quisquam eam rem habet in potestate sua. Quomodo igi-

tur Ozias rex genuit Joathamum regem, Joathamus vero Achazum, Achazus autem Ezechiam? Hic veroManassem, et is Amosum, ille vero Josiam, hic autem Joachazum, unusquisque rex regem? et quidem nullus eorum in servilem nativitatis horam incidit. Deinde si et vitiosarum et virtuti consentaneorum actionum non ex nobis principia pendent, sed ex necessitatibus nativitatis, superflui sunt legumlatores qui sectanda fugiendaque nobis definiunt, superflui judices, qui virtutem quidem honorant, improbitatem vero puniunt. Neque enim furis, aut homicidæ ea injuria est, qui ne quidem, si velint, manum cohibere possunt, propter urgentem ipsos ad ea facta astrorum legem, et propter impositam sibi ex fato necessitatem.

Refutabo autem ipsos etiam ex universalium rerum mutatione. Nam cum ante adventum divini illius hominis omnes gentes cultui astrorum deditæ essent, et in omni incederent impietate, post accessum divini hominis, per evangelicam prædicationem, ad pietatem facta transitio est, amolito quidem errore, virtute autem in pretio habita, eodem astrorum manente cum aspectu tum constitutione : ex Græcis, et Judæis, et gentibus quamplurimis conversis, et Christo adjunctis. Ubi igitur priores stellæ, quæ cogebant ante idola suppliciter procumbere? Ubi latitare videbantur, quæ nunc ad pietatem ipsos pertrahunt? Si vero neque ademptio, neque additio regioni astrorum contigit, vel inviti fatebuntur, non ex aliquo fato vel necessitate, virtutem improbitatemve viventibus inseri, aut decerni : sed ex uniuscujusque libera potestatis electione unumquemque se ad ea quæ elegit conferre. Id quod manifeste eximius ostendens Esaïas, luculenter clamat in persona Dei : « Si volueritis et auscultaveritis mihi, bona » terræ comedetis : si vero nolueritis, neque auscultave- » ritis mihi, gladius vos devorabit. Nam os Domini locu-

» tum est ista[1]. » Ipse vero in Evangelio concionans Dominus inquit : « Hierosolyma, Hierosolyma, quæ occidis » Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties » volui congregare vos sub alas meas, quemadmodum » gallina congregat pullos suos, et noluistis [2] ? » Ad voluntatem uniuscujusque referens sequenda aut vitanda, et non ad necessitatem fati aut legis astrorum. Non enim peccatores nos esse duceret, si illorum insidiis essemus expositi.

INTERROGATIO CXI.

Quod si nullo vel beneficio vel injuria ex astris afficiuntur homines, quomodo Evangelium lunaticos vocat epilepticos, spumantes et sese lacerantes ?

RESPONSIO.

Lunaticos vocat secundum vulgarem multorum sententiam, qui id quod altius est audire non possunt. Quandoquidem enim lunæ et soli et astris venerationis cultum exhibebant homines vani, volens ipsos a sua tanquam perniciosa opinione revocare, etiam dæmoniacorum causam ostendit lunam, ut illi supplicantes languidiores facti, ab ejus veneratione resilirent. Non enim in perniciem mortalium luminaria universitatis architectus extruxit Christus, sed immundus spiritus observans in ipsis talem speciem, ad seducendum aliquos subduxit, ut inconstantes et parum frugi mortales ad præstigiatores et ad eos abeant sponte, qui a Jove nutriti videntur, nimirum per incantationum occasionem, et spem levandi malum. Sæpenumero autem videmus et canes latenter in nos irruere, neque tamen dicimus lunam causam esse morsus, aut mo-

[1] Isaï. I, 19, 20. — [2] Matth. XXIII, 37.

tus animalis. Et servi sæpenumero cum toto luna lumine splendet, at capiendum fugam surgunt, et ejus auxilio ad celeritatem utuntur. Num igitur causam temeritatis fugitivi dicemus lunam? Sæpenumero item et effœminatus homo nocturnas tenebras veritus domi dormire cogitur? Luna vero per noctem lucente, citius ad prostibulum instar equi lascive prosiliens, hinniens, et currens, ad scortum lætus venit. Num igitur itineris scelerati causa est luna, quæ divino præcepto terras cœlo subjectas illustrat? Cohibe, quæso, temetipsum a lunatica dementia : dæmones enim iis, qui faciles captu sunt, tacite in animos inserere consueverunt, ut non solum luminaria malorum causas esse asserant, sed ipsum etiam opificem velut malorum et exitiosorum factorem calumnientur. Qui vero fidem illis adhibent, non Deum, sed cinerem adorant in parricida, eo qui liberorum suorum matrimonia corrupit, atque in sepulcro apud Cretenses computruit (11) : id quod non est Dei. Nec hoc contenti, etiam ex illo natos liberos inter deos retulerunt impii et vani : Hermupoli quidem Mercurium, cujus exponi oratione facinora nequeunt, in pulverem nunc redactum : in Cypro vero Venerem et stercore veluti sepulcro sitam : in Thracia Martem, ab execratione cognominatum, ex qua nobis, velut ex immorigero Esaü, Dionysius Areopagita ortus est, divorum Apostolorum discipulus. Apud Caucasios autem montes Saturnus, imo vero asinus ab asinis adoratus, rudens et clamans adversus ipsos ethnicos. Thebis Bacchus, colentibus se tam animæ quam corporis morbus insanabilis et fœtens. In Tyro Hercules, potius abominabilis, qui igni consumptus propter improbitatem, ab impiis inter Deos refertur. In Epidauro Æsculapius mente puer, ab insipientioribus et imperitis Deus appellatur. Et Syri, qui nomine conveniente fæces potius sunt, orci cognominem Adonim male inter Deos retulerunt;

Ægyptii repentem humi et terræ affixum Osirim ; Elienses miseri Hectorem, ne quidem gallum gallinaceum bonum. Qui in insula Leuca sunt, Icachum Achillem. Pontii parricidam Patroclum inter deos retulerunt. Rhodii temerarium pugnatorem Macedonem, et alii alios, pulverem scilicet in sepulcro jacentem colunt, prorsus impie agentes. Nullus enim ipsorum in Deo vitam finiit. Quorum vesaniam enumerare non est præsentis temporis. Si vero quis illorum nugas audire cupit, quærat Orphea et Hesiodum de illorum fabulis : mihi vero reliqua tacendi facultatem concedat.

INTERROGATIO CXII.

Non pro Græcis depugnans adversus te contendo, mi Pater, sed armis adversus illos per tuam multiplicem doctrinam indui volo. Quomodo igitur inquis nihil fortuito fieri, neque extra divinam potestatem? Ecce cœlesti arcu apparente(12), absolutam habet is circumferentiam, et undique æqualem, cujusmodi revera ne mens quidem describere queat : et tamen videmus ipsum a nullo condi, sed fortuito existere.

RESPONSIO.

Non potest casum fortuitum inducere Iridis constitutio. Nam in figura firmamenti veluti coccineus funis in orbem extenditur. Quippe si est fictrix mens, sua quædam effingens : utique qui fictricem hanc fecit, etiam intellectilem fabricavit, in eo diffusurus aut subacturus, quæ ipsi placent. Neque enim igne liquefactum plumbum, aut cera, aut calx, si alicujus rei formæ infundatur, et fiat id quod artifici visum fuerit, idcirco fortuito casu existere videbi-

tur, quando manu artificis per formam id quod placuerat effectum est. Ad hunc sane modum intelligatur et Iridis ortus in vehementioribus tempestatibus, quasi signum securitatis mundo exhibitæ, quod non amplius sint submergenda aquisque tollenda quæ sub cœlo sunt. « Ponam » enim, inquit Deus, in nube mea arcum meum vobis in » signum [1]. » Sol quidem instar cucurbitulæ sanguisugæ radiorum ejaculationibus humidum ex nubibus, velut ex aliquo corpore ad se trahit, et sursum vehit pluviam veluti fluxum quemdam, qui supra bases fertur. Est autem Iris triformis. Nam partim quidem rubra, partim cærulea, partim instar herbæ viridis est, et pacem, et sapientiam et potentiam, et Verbum et Deum universitatis rerum omnium, in sanguine et aqua, et spiritu in mundum venire significans : baptismi quidem aqua omnem creaturam per Jordanis fluxus a turpitudine abluentem : Spiritu autem sancto eos qui mente intelliguntur submergentem gigantes. Cæterum post terrestrem idolorum et dæmonum suffocationem et diluvium, sanguinis signum salutaris nobis datum est, veræ illius conciliationis et pacis Dei ac Verbi, velut ante in figura, sic nunc carne extenti, ut qui sit evidens signum propitiationis et securitatis a dæmonum diluvio nobis factus, ex illorum procella nos ad se trahens, cum inquit : « Postquam exaltatus fuero a terra, » in cruce videlicet, « omnes traham ad me ipsum [2]. » Et iterum in- » quit : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpen- » tes et scorpiones, et super omnem potestatem inimici [3]. Tres » item hujus testes esse, inquit eximius illi Joannes, sangui- » nem, et aquam, et spiritum, et hos tres unum esse [4]. » Circiter horam enim nonam emisso clamore Jesus emisit spiritum animæ. Nam divinus ille spiritus inanimo corpori unitus erat, et similiter animæ inhabitanti contemperatus.

[1] Gen. IX, 13. — [2] Joan. XII, 32. — [3] Luc. XX, 19. — [4] 1 Joan V, 8.

Nam si aërius spiritus utrisque adest, multo magis divinus utrique parti aderat, cum sit inseparabilis et expers qualitatis. Lancea vero percusso ipsius latere, « exivit sanguis »et aqua, et qui vidit, testimonium perhibuit, et verum »est testimonium ejus [1], » inquit eximius ille Joannes. Sanguis autem et aqua de hoc divino et perenni fonte scaturit, propter judicantem Pilatum et alios acclamantes : « Tolle, tolle, crucifige ipsum [2]. » Nam Pilatus quidem amovebat a se mortis Domini sanguinem, Judæi vero damnationem ex ea secuturam in se transferentes clamabant : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros [3]. » Quod et nos peramanter dicimus non eodem cum ipsis affectu. Nam illi velut hominem intuebantur, qui a nobis Deus universi hujus adoratur : prorsus ut periti medici non recidunt a vertice delatum ad oculos fluxum, ita per Iridem aquarum infusionem velut in forma quadam extentam in subjecto sole instar cucurbitulæ per radios nubes congregante, ac veluti calido cauterio aquam fundentes venas exsiccante.

INTERROGATIO CXIII.

Tenebras quidem primigenias dixisti per separationem cœlestis corporis esse factas, quod quidem recte dicitur. Quomodo vero noctem videmus sponte fieri, nulla forma expressam ?

RESPONSIO.

Supra quidem de nocte rationem reddidi, et nunc obscura similitudine utens demonstrabo non fortuito ipsam extitisse, neque extra divinam manum. Quemadmodum

[1] Joan. xix, 34. — [2] Ibid. 15. — [3] Matth. xxvii, 24.

turres ab ædificantibus extruuntur, et sculpta vel conflata per artificis manum perpoliuntur; ab ipsis autem umbræ redditæ non ab artifice fieri solent, sed per ea quæ ab illi facta sunt efficiuntur. Proinde si alia quædam cum aliis existere solent, forma alicujus expressa, utique et formæ ab initio manu opificis factæ sunt. Ideoque nox quoque non per se existit, sed umbra terræ est, quemadmodum paulo post demonstrabo: quando nos modo ratio temporis ad peragenda sacra mysteria, sancto cœtu nos expectante, compellit.

DIALOGUS III.

INTERROGATIO CXIV.

Quia tempus heri plus æquo nos urgebat, hodie nobis illius mensæ reliquias exponito, qùæque de nocte tractanda veniunt, latius nobis edissere: et quare dies illa primigenia non sit prima sacris in Litteris dicta, sed una [1]. Id quod mihi minus convenire videtur ad eas quæ post ortæ sunt; nam si secunda et tertia fuere, quæ post istam nominantur, convenientius erat eam, quæ harum erat exordium, primam, non unam, dici.

RESPONSIO.

Diem cum nocte conjunctam, diem vocat auctor historiæ, potiorique parti totius intervalli viginti quatuor horarum, primas partes tribuit. Sic enim multis in locis divina Pagina loqui consuevit, in supputatione temporis dies numerans, non noctes. Audis quid dicat divinorum ille Carminum auctor : « Dies annorum nostrorum annos septuaginta » continent [2]. » Ante hunc autem Jacobus ille patriarcha inquit: « Dies vitæ meæ pauci et mali [3]. » Rursus idem auctor divinorum Carminum inquit: « Ut habitem in domo » Domini omnibus diebus vitæ meæ [4]. » Quin et divus inquit Evangelista : « Ante sèx dies Paschæ venit Jesus in » Bethaniam [5]. » Et Dominus ipse divinitus suos alloquens ait: « Scitis post biduum actum iri Pascha [6]. » Quapropter

[1] Gen. I, 5. — [2] Psal. LXXXIX 10. — [3] Gen. XLVII, 9. — [4] Psal. XXII, 6. — [5] Joan. XII, 1. — [6] Matth. XXVI, 2.

quæ nunc in specie narrationis tradita sunt, pro lege in sequentibus habeantur : « Et fuit, inquit, vesper, et fuit » mane, dies unus [1] : » cum dies jam ante præcessisset, extitit vesper, ex vespere vero nox, ex nocte autem mane, ubi jam unius diei finis est, quæ per viginti quatuor horas diei potiorem partem sibi vindicat, subaudita videlicet nocte sub appellatione diei, per viginti quatuor horas. Quo fit ut etiam tempore conversionum solis æstivarum, quæ solstitia vocant, noctem dies intervallis excedat. At tempore, quod æquinoctio destinatum est, prorsus oportet utrasque æquales esse, vicissim a se invicem auferentes id, quod deest. Sed et cœli facies, rursus ad eamdem reversa constitutionem, unà dies merito appellatur : quemadmodum in terra fieri solet, ut interjectum ab uno florum proventu ad alium, tempus, annus vocetur. Quamobrem quoties vesper et mane secundum solis circuitum mundum occupat, non in tempore majore, quam unius diei spatio, significetur dies una cum nocte conjunctus, et luminarium ad priorem constitutionem reversio. Vel potius tribui plus debere mihi videtur illi rationi, quæ secreto traditur. Quod nimirum qui temporis naturam fecit Deus, in mensuras ejus et signa, dierum intervalla ordinaverit, ipsumque per hebdomadem dimetiens, semper hebdomadem in semetipsam revolvi jubet, temporis hoc modo dinumerans motum, sicut hebdomadem rursus explet dies, septies in semetipsam revoluta. Id autem circularis est figura, a semetipso incipere, et in semetipsum desinere : quod scilicet etiam ævi proprium est ; et in semetipsum reverti, nusquam terminatum. Propterea caput temporis non primam dierum, sed unam nominavit, ut ipsa appellatione cognationem cum ævo haberet. Quandoquidem enim unitatis, et ejus, quod communionis ad aliud expers est, notam nobis ostendit,

[1] Gen. 1, 5.

proprie et convenienter appellata est una, cum ipsa in se ipsa per omne sæculum in se ipsam revolvatur.

INTERROGATIO CXV.

Et quonam pacto Litteræ sacræ multa esse sæcula demonstrantes, sæcula vocant sæculorum? Et Davides in fine Psalmi dicit: « Confitemini Domino cœli, quoniam » in omnia sæcula misericordia ejus [1]. » Et rursus idem, « Exaltabo te Deus meus, rex meus, et benedicam nomen » tuum in sæculum, et in sæculum sæculi [2]. » Ecce tria sæcula in centesimo quadragesimo quarto Psalmo. Sed et in iis, quæ dicuntur a sacrorum ministris, Deo gratiarum actionem offerentibus, et imperum in omnia tribuentibus, hæc proferri audimus: « Imperium et regnum, et potestas, » et gloria Patris, et Filii, et Spiritus sancti, nunc et sem- » per, et in sæcula sæculorum. Amen.

RESPONSIO.

At ex istis non docemur multa numerare sæcula, sed et mutationes rerum et statuum, non circumscriptiones et terminos, aut successiones sæculorum. « Dies enim Do- » mini magnus et illustris [3], » inquit Vates. Et iterum: « Ad » quid vobis prodest quærere diem Domini? etiam ipsa » erit caligo, non lux [4]. » Caligo scilicet iis, qui sic merentur. Siquidem absque vespere ac successione diem illam fore scimus, quam et octavam divinorum Carminum auctor appellavit, pro octava Psalmos suos [5] inscribens. Alium item Psalmum inscribit, « Pro ea quæ hæreditatem acci- » pit [6]: quasi hæc sola reliquarum dierum sit hæres, per

[1] Psal. CXXXV, 26. — [2] Id. CXLIV, 1. — [3] Joël. II, 1. juxta LXX. — [4] Amos. V, 18. — [5] Psal. VI, 1, et XI, 1. — [6] Id. V, 1.

infinita et expertia sectionum ullarum spatia cunctarum rerum imperio redimita : propterea quod superior sit, et extra septenarium hunc circulum posita. Quamobrem sive diem appellavero, sive sæculum et ævum, eodem utrumque proferetur intellectu. Sive enim dies fuerit, una erit, et non multæ : sive sæculum appelletur, unicum quid fuerit, et absque termino. Ad futuram igitur vitam subducens nostrum intellectum, unam diem dixit interpres ille rerum sacrarum Moses, ut quæ sit imago totius æternitatis, primitiæ dierum, coæva lucis, divina denique ac veneranda illa dominica, quæ etiam ex Domini resurrectione honorem peculiarem est consecuta.

INTERROGATIO CXVI.

Quomodo dicunt aliqui, incantamentis et præstigiis lunam cœlo detrahi ? Maxima certe generis humani pars hujus rei fama persuasi et occupati, ferrum et æs pulsando, tanquam e potestate egressam per strepitum ab errore liberari putant.

RESPONSIO.

Fabulæ quædam ridiculæ ab aniculis somniantibus ubique disseminatæ sunt, quarum delirium est, imposturis quibusdam propria sede lunam moveri, et ad ipsam terram ferri, et contrectari. Id quod omnis absurditatis et extremæ dementiæ plenum refutare mihi, divinorum ille Carminum auctor videtur, cum canit : « Lunam et stellas » tu fundasti[1]. » Qualis autem locus, quæso, detractam ipsam unquam excepit ? cujus exili quadam imagine magnitudinem vanis illis hominibus demonstrabo. Quæ per orbem

[1] Psal. VIII, 4.

terrarum sunt urbes, plurimum a se invicem secundum orientalem, et occidentalem plagam dissitæ sunt, ac diversis viarum sectionibus editisque locis sejunctæ. Nihilominus æqualiter omnes lunare lumen suscipiunt. Id quod cordatis sufficit, omnibus ipsam urbibus obversam, et eximiæ magnitudinis esse. Nisi enim sic comparata res foret, omnino eos illustraret solos, qui recta ipsi opponerentur : qui vero ad latus siti essent, eos inclinatis depressisque radiis oblique prætercurrens tantum attingeret. Non minus etiam alia ratione eadem de hac declarabuntur. Si quando igitur ab excelso montis vertice campum conspiceres ingentem et planum, quantæ obsecro magnitudinis esse tibi viderentur boum juga? quantæ, aratores? quantæ, bubulcus aliquis cum mille boum armento, aut innumerus agnorum grex ad paludem balans? quantæ, ferociens equorum armentum, et in pratis exultans? Annon tibi formicis exiliores viderentur? Quod si etiam e specula vel aliquo colle ad amplissimum pelagus conversus, defixos in mare oculos conjiceres, quantæ tibi magnitudinis esse viderentur insulæ vel maximæ? quantæ, onerata quæpiam infinitis mercibus navis cum albis velis cæruleo invecta mari? Annon quavis columba exiliorem tibi speciem aspectumque exhiberet, visu in aëre assumpto, et evanescente ob intervallum, quominus accurate ipsam oculus comprehendat? Itidem nonnullis in locis montes sunt maximi, qui in profunditatibus ambiuntur per convalles, et torrentium alveis cinguntur, ad quorum eminentias levis fluxusque visus fertur, et solam attingit superficiem : cum interjacentes concavitates penetrare et inspicere propter imbecillitatem nequeat. Annon etiam quadratæ, et ad nubes altitudine pertingentes turres, humiles et rotundæ multis videntur ratione intervalli? Proinde nisi eximie magnum sit lunare corpus, non sane similiter omnibus

ubique simili luce conspiceretur, amplitudine sua universæ terræ non cedens, simulque manifestam et his, qui procul a terra in mari navigant, magnitudinis speciem præbens et radiis suis lucens.

INTERROGATIO CXVII.

Quid igitur sibi vult, quod sanguinea fit aliquoties, et variatur atque dissipatur ?

RESPONSIO.

Equidem hoc aspectu puto bellicas effusiones sanguinis significari aut per subvectionem obfuscati a terra aëris turbidam reddi ejus lucem et splendorem, variarique per pulverem hunc speciem ipsius, donec provecta pulverulentum fuliginosumque locum evaserit : partim enim pinguis et densa, partim adusta et cinerea est terra : nonnullis in locis denique crassior et gravior est. Unde mihi videtur, pulvere circumdatam lunam mutari. Sæpe quidem fieri videmus, ut fumi exhalatio, vel pulvis nimius aliquid apud obscuret, et procella vel nebula solares radios hebetet. Vel potius causa omnium est evidentissima, quod cum soror sit solis, et ejusdem matris Sapientiæ filia, nempe Christi, non ferat quæ inferuntur ipsi ab impiis contumeliæ : quemadmodum et sol idem in suo diurno cursu demonstravit caligine puniens vesanam Judæorum et Deum necantem phalangem, contractioneque radiorum fugiens, ne aspiceret creatorem suum ligno clavis affixum ratione assumpti, et hasta vulneratum. Idem ergo mihi videtur agi a luna fratrem imitante, dum tempore nocturni cursus ejus ad sepulcra et aras eunt præstigiatores, et illic perpetrantur cædes ac puerorum mactationes, et viscerum

propriorum dissectiones, quorum sanguine palpitantibus adhuc jecinoribus impii parricidæ polluuntur. Quorum impietatem non abs re tragice velut exponens Davides ille divinus, inquit : « Et mactaverunt filios suos, et filias suas » dæmoniis, et effuderunt sanguinem innoxium. Sangui- » nem filiorum suorum et filiarum, quem immolaverunt » sculptilibus Chananæorum [1]. » Et post alia, messem ejus sementis ipsis indicans, ait : « Et iratus est furore Dominus » super populum suum, et abominatus est hæreditatem » suam [2]. » Quandoquidem igitur nunc quoque plurimi gentilitia caligine involuti, clanculum majorum suorum errori se submittunt, priscam cogitationum cædem in collibus, aut sepulcris, aut monumentis noctu exercent, nidoribus et sanguine dæmonas venerantur, quos ipsos etiam domi supplices adorant : idcirco luna, quanquam se non demittat, præ dolore tamen æstuat, exhorret, abdit sese, nubem induens, fratris exemplo splendorem suum indignis largiri dedignatur, cœlitus velut ex aliqua specula vel sublimi loco, per ipsam immutationem sui clamans, et caligine puniens atque coërcens homicidas ab impio facinore.

INTERROGATIO CXVIII.

Si non est inæqualis Dei Filius Deo et Patri, sed par in omnibus, et ejusdem honoris, ejusdemque naturæ, quomodo inquit ipse, « Ego sum vitis, et Pater meus agricola [3] ? » Non enim eadem natura est vitis et agricolæ, cum hæc quidem sit rationalis et animata, illa vero rationis expers et inanima.

[1] Psal. cv, 37, 38. — [2] Ibid. 40. — [3] Joan. xv, 1.

RESPONSIO.

Non laudo tuam inconstantem sagacitatem, quæ multum et extra propositum exorbitat, et aliena quæstione me distrahit. Et siquidem volens id facis, agnoscito me hoc animadvertere. Sin vero simpliciter in mente genita profers, veniam tibi dari scito, quam et mihi vicissim benigne largieris. Christianorum quidem certe dogmata fide continentur et fulciuntur, non ratiocinationibus, per quas plurimi prorsus mentem amiserunt. Num enim diversæ Paulus et Apollo erant, respectu Ecclesiæ, naturæ? Scribit enim sacro cœtui Ecclesiæ mentis intelligentia sublimi præditus ille Apostolus? « Ego plantavi, Apollo rigavit, » Deus incrementum dedit [1]. » Num igitur inanima et rationis expers erat Ecclesia a Paulo plantata, et ab Apollo rigata, per irrigationem et insitionem præceptorum?

INTERROGATIO CXIX.

Quare Deus diabolo Jobum tradidit, cum tamen ipse testimonium illius justitiæ perhibeat, et veræ atque irreprehensibili vivendi rationi? Simul da veniam non cohærenti cum superioribus interrogationi. Non enim tentandi gratia hoc facio.

RESPONSIO.

Non ipsum, sed quæ ipsius erant: non tradidit, sed concessit: exercens Jobum ipsum ad fortitudinem, et abducens per res luteas carnis expertem adversarium a tentatione hominis justi.

[1] 1 Cor. III, 6.

INTERROGATIO CXX.

Recte dixisti, non ipsum, sed quæ ipsius erant, tradita fuisse. Quid igitur? annon ipse erat qui vermibus perfodiebatur, et ab eis comedebatur, et saniem testa radebat?

RESPONSIO.

Minime per coporea vulnera lædebatur animus : nec vermes, licet utrem perforarent, intus repositum thesaurum adoriri poterant. Non enim corpus Jobus erat, sed Jobus erat ipsa vis animi rationis particeps : Jobi vero, corpus : corporis, res aliæ terrestres cognatæ. Nam in anima rationali mens est scientiæ rationalis capax. Quod autem rationis est expers, sensu caret et luteum est. Nihilominus propter commixtionem eorum, quæ diversi sunt generis, et unionem animalium rationalium, merito appellatur homo. Concedit igitur Deus hosti externa, ut innotescant omnibus interiora regis sceptra, suis fulgoribus obscurantia purpuram aspectabilem et diadema. Præerat enim solus regioni Usitarum cum imperio, prius quam a vermibus perforaretur carnis ipsius domicilium, et illustraretur orbis per declaratam in ipso patientiam. Denudatur ergo strenua viri virtus, cum existimaret hostis eum copia facultatum mirifice delectari, ac illarum cura velut assentando corruptum, Deo dicturum convicium. Quapropter exposcit ipsius facultates, quibus postquam spoliasset ipsum, et a scopo aberrasset, concutit charissimis liberis una cum ipso convivium celebrantibus totam domum, ac repente mensam in sepulcrum tumultuarium commutat. Infecta autem re, cum turpitudine sic etiam repulsus, alias admovet divinæ civitati machinas, cujus cives cogitationes erant,

iterum adversus hostem in aciem progredientes. Nam postquam omnibus spoliasset hominem justum diabolus, neque flexisset ad blasphemiam : (hoc enim erat, quod summo studio quærebat) ipsummet deinceps exposcit, et ad Deum inquit : « Mitte manum tuam, et tange carnes » ejus, et ossa ejus, ac vide num in faciem tibi non tam » benedicturus sit, quam maledicturus [1]. » Confidens autem viro justo, qui corda scrutatur Deus, et omnem affectum misericordiæve prætextum deponit, ne putaretur a diabolo parce tangendus justus. Simulque fretus pugile suo, et illius adversarium vituperans, quasi carne et sanguine inferior ille foret, qui carnis erat expers, et gloriabatur atque dicebat : « Robore meo faciam, et » manu mea destruam terminos gentium, et orbem terra- » rum totum capiam, et tollam veluti derelicta ova. Ascen- » dam supra sidera, ponam supra nubes solium meum, et » ero similis Altissimo [2]. » Quasi ergo ridens ipsius arrogantiam Deus, inquit: Quid, o miser diabole, gloriaris? Ecce unus est hic servorum meorum, isque luteus, pulvereus, vilis a natura mortalisque homo, non Angelus. (Turpe nimirum fuerit, cum Angelo te certare, qui ne quidem luto superior eris.) « Ecce, inquit, trado ipsum in manum tuam [3], » quasi vinctum et prostratum. Vide num excelsum illius animum superare possis, expugnans ipsum, et in corpore jaculis configens. Quid secundum hæc fit? veluti jaculum validius invectus, repulsus est infecta re superbus et arrogans ille, quique se Deum esse putabat, a carne superatus est et sanguine. Non enim potuit oppugnando sagittisque feriendo divinam corporis illius civitatem, aut aliquem civium, nempe cogitationum, capere : neque quemquam in portis oris occidere. In omnibus enim illis, quæ acciderunt ei, non admisit ullum peccatum Jobus labiis suis adversus

[1] Job. II, 5. — [2] Isaï. XIV, 13, 14. — [3] Job. II, 6.

Dominum, sed hoste impellente, ut Deo convicium faceret, diverso se modo gerebat, dicens : « Dominus dedit, Domi-» nus abstulit ; ut Domino placuit, ita factum est : sit no-» men Domini benedictum in sæcula [1]. » Non proditur igitur, sed proponitur ut pugil et magister fortitudinis, et gratiarum actionis in adversitatibus hujus vitæ.

Quatuor igitur modos castigationis scimus. Nam alia quidem propter peccata nobis ad correctionem adhibetur. « (Multa enim flagella sunt peccatoris [2], » inquit Davides). Alia vero superbiam et fastum dejicit, hoc est, elevationem ac tumorem animi comprimit. « Superbis enim Dominus » resistit [3]. » Alii autem latentem virtutem et fortitudinem ostendunt, ut eam spectatores imitentur. « Nullus enim » accendit lucernam, et ponit eam subter modium aut lec-» tum, sed super candelabrum : ut luceat omnibus, qui » sunt in domo [4], » inquit Dominus : quasi dicat: Propter hoc instar facis accendi Jobum, et extra civitatem super candelabrum stercoreum posui, ut luceat omnibus in orbe terrarum. Alia denique castigatio est, in universum a Deo deseri propter extremam nequitiam et improbitatem, cui nihil omnino admixtum est boni : quod et Pharaoni, et Nabuchodonosori, et Judæ contigit, ut in exitium traderentur propter inemendabilem malitiam. « Avertam enim ab » ipsis faciem meam, et ostendam quid cum ipsis futurum » sit in novissimis [5], » inquit Deus per linguam Mosis. Verumtamen Nabuchodonosorem per disciplinam cautiorem redditum, et ex temulentia sobrium factum non rejicit qui rejectus ab ipso erat, Deus : sed rursus illi regnum restituit, purpura exhilarans ipsum et diademate.

[1] Job. I, 21. — [2] Psal. XXXI, 10. — [3] Jac. IV, 6, et 1 Petr. V. 5. — [4] Matth. V, 15. — [5] Deut. XXXII, 20, juxta LXX.

INTERROGATIO CXXI.

Quot dies in paradiso exegit Adamus? Siquidem multi, qui ejus gesta memoriæ produnt, partim quidem tradunt dies sex, ideoque, ut aiunt, sexto die venit Servator. Alii vero sex tantum dicunt horas, ideoque sexta hora crucifixus Servator. Alii quadraginta dies asserunt, quos in paradiso habitaverit, et in deliciis egerit, unde propter transgressionem expulsus sit: quos aiunt retulisse Christum et compensasse, quo tempore per quadraginta dies neque comedit, neque bibit, in deserto a diabolo velut homo tentatus.

RESPONSIO.

Quod quadraginta dierum tempus attinet, id vero et ipse jam antea tradidi: ac videtur mihi haud absimile vero esse. Nam hoc imitans sacer Ecclesiæ nostræ cœtus, semel per totum anni ambitum, cum abstinentia severissima tam ciborum quam rerum jejunat, pristinam paradisi patriam, et desiderabilem illius victum desiderio maximo expetens. Nimirum vicissim cunctis primi parentis nostri debitis Christus se subjecit. Cum ille dicto non fuerit obediens, vicissim hic obediit usque ad crucem et mortem. Ille tentatus per Evam, cum illa jam a tentatore superata esset, gustavit de vetitis: hic tentatus jejunat, compensans quadraginta exactos in paradiso dies a primo parente nostro Adamo, et pro deliciis ad inopiam nos excitans. Ille Deus fieri volens, frustratus spe sua, etiam id mutatus amisit, quod prius erat, ex immortali mortalis factus, et ex beato damnatus: hic pro illo mortalis fit, manens Deus, ratione naturæ non mutatus, neque factus alius ratione Di-

vinitatis. Ille ex paradiso in hunc ærumnosum laboriosumque locum expulsus est : hic ejus causa de cœlis adveniens, illius assumit vitam, pro luce inaccessa tenebrosam hanc et obscuram speluncam habitans; vice intellectilium et ratione præditorum animalium, animalibus ratione carentibus circumdatus : loco potestatum omnium, a quibus gestabatur, in ulnis sanctæ quidem mulieris, et cujus intacta perpetuaque virginitas esset, communis tamen nobiscum naturæ portatus : pro angelicis hymnis et canticis, petitus calumniis, quasi dæmonium haberet, et per dæmoniorum principem dæmonia ejiceret, et populum seduceret, cæteroquin a pueris Hebræorum celebratus, clamantibus : « Benedictus qui venit in nomine Domini [1]. » Pro loco virginis, nimirum Evæ, perpetuam Virginem sanctam Matrem suam suscitavit; pro illius pœna, huic salutem per proprium servum Gabrielem misit, in hac sanans, quæ illa deliquerat. Pro ligno transgressionis lignum resurrectionis in medio terræ, salutarem crucem suam fixit. Quemadmodum inquit ille Carminum divinorum auctor Davides : « Deus noster, qui est ante sæcula, salutem ope» ratus est in medio terræ [2]. » Pro non illo quidem naturaliter, sed per trangressionem letifero cibo, naturam suam divinam nostræ uniens, cibus vivificus medio in aëre pendens omnibus propositus est, et ab omnibus percipitur, ipse nihilominus æternus manens. Pro damnatis damnatus est sua sponte, tanquam Deus et idem homo. Quemadmodum igitur felle pastus aceto rigatur, ejus cibi causa, quem Adamus sumpserat, dum homo divina natura illius debita dependit : ita mihi videntur et hi quadraginta dies pro totidem diebus rependi. Sed tamen pro illorum numero senario, et meo quadragenario profectam ad nos a quibusdam haud obscuris senibus de hoc rationem,

[1] Matth. XXI, 9. Marc. XI, 10, et Joan. X, 10. — [2] Psal. LXXIII, 12.

cujus fundamentum eximii Apostoli verbis nititur, recipere malo ; quod nimirum longiore temporis spatio in paradiso beate primus ille parens noster vixerit. Nam in ejus persona divus Apostolus aperte clamat : « Ego vero vivebam » absque lege aliquando [1]. » Non fuit utique Paulus ante legem, qui fuit omnium discipulorum legis postremus. Neque item aliquando absque hac erat aut fuit. Nam et Evangelium prædicans legalia testimonia ubique adducit. Nimirum in Adami persona merito conqueritur, dicens : « Ego vero vivebam absque lege aliquando. » Manifestius autem declarat hæc in persona se Adami proferre, cum ad illustrandum horum verborum intellectum, non amplius inde legem, sed præceptum vocat, quod Adamo datum erat, hæc nempe subjiciens : « Veniente vero mandato, » (quasi dicat, dato,) peccatum revixit, ego autem mor- » tuus sum [2] : » videlicet per inobedientiam excidendo beata vita. De quo jam perspicuum est, non mox atque factus erat Adamus, præceptum datum fuisse : sed post aliquod tempus, quod tamen minime definitum habemus.

[*Quæ sequuntur, usque ad interrogantis personæ verba, non Cæsarii sunt, sed Gregorii Nysseni, amici et cœtanei ejus : inserta huic libro per aliquem, qui suæ memoriæ consulere vellet, et uno loco duorum scriptorum explicationes habere. Deprehendimus consimilia deinceps quoque occurrere, ubi nos suis locis, quæ inserta sint, indicabimus. Sunt autem hæc descripta ad verbum e libro Nysseni, qui est* de hominis opificio.]

Porro datum illud Adamo præceptum in paradiso divinitus, spectabat fruitionem omnis ligni, et abstinentiam a ligno vetito. Hoc illud est lignum, quod complectitur omne bonum, cui nomen est Omne. Hoc nimirum illud

[1] Rom. VII, 9. — [2] Ibid. 10.

vere bonum est, de quo Davides inquit : « Oblectare in Do-» mino [1]. » Et Salomon Sapientiam, quæ est Dominus, « lignum vitæ [2] » nominat. Proinde idem est cum ligno vitæ illud : « Omne lignum [3], » ad cujus fruitionem Deus exhortatur. Ex opposito vero discernit ab hoc aliud lignum, cujus fruitio non est proprie boni vel mali, sed commixta : quam prohibet quidem princeps vitæ, suadet vero serpens, ut morti aditum paret. Mixtus est autem per contraria fructus ligni vetiti, hac ratione; quod non nude nobis propositum est malum secundum propriam naturam apparens : nam irrita foret malitia, nullo colorata bono, quod hominem deceptum ad concupiscentiam sui pelliceret. Nunc autem mixta est, in fundo habens absconditam perniciem, in apparente vero parte speciem quamdam boni ostentans. Ita peccata occultum interitum intra se habentia, incautis accepta fiunt, studiose usurpata pro bono ex deceptione : et inter bona multi quæ sensus exhilarant, referunt : propter communionem nominis tum ejus, quod revera bonum est, tum quod bonum esse putatur. Qua propter tam ad malum quam ad bonum facta concupiscentia, boni et mali cognitio nominata est. Neque absolute malum dicitur, eo quod bono ornatum sit, neque pure bonum, eo quod subtus malum sit absconditum. Nam quod vere bonum est, simplex est : malum autem, varium, dum aliud atque aliud putatur, et per experientiam deprehenditur. Propterea ostendit serpens pravum peccati fructum, non monstrato manifeste malo, sicut a natura habebat. Alias enim homo evidenti malo deceptus non fuisset. Itaque cum per quamdam speciem id quod apparebat, splendide exornasset, apud quam fidem mereri posset, mulieri se conspiciendum præbet. « Et vidit, inquit » Moses, mulier quod bonum esset lignum in cibum [4]. »

[1] Psal. xxxvi, 4. — [2] Prov. iii, 18. — [3] Gen. ii, 16. — [4] Id. iii, 6.

Cum vero manducatio illa mortis sit mater facta, sic est cognitio boni et mali lignum illud nominatum, quod per malam letiferorum compositionem adjunctum mel habuit, quia quatenus quidem suaviter afficit sensum, bonum esse videtur : at quatenus perdit attingentem ac fruentem, prorsus postremum fit malum.

INTERROGATIO CXXII.

Peccatum inobedientia omnisque vitiositas nominatur. Ante Adamum autem nullus hominum peccavit. Neque enim erat. A quonam igitur perpetratum prius, « Erat mor- » tuum, et revixit veniente mandato[1] ? » Nam duorum illo- rum necessarium erit sequatur alterum, aut statuere te peccati naturam quamdam esse : aut perpetratum ipsum fuisse ab aliquo ante Adamum.

RESPONSIO.

Apage cum dictione naturæ malorum. Peccatum mihi videtur esse omnis adversus virtutem resistendi conatus et repugnantia. Id autem dico diabolum esse, non natura, sed voluntate ad deterius conversum. Nam ab eo quod calumniatur apud Deum Angelorum choros, convenienti nomine vocatus est diabolus, cum prius esset Angelus princeps. Ex ultramundanis autem locis præcipitatus, re- ipsa Dei fuit inimicus, nondum adhuc facto hoc aspecta- bili mundo, cumque nondum esset homo, qui postea ab ipso seductus est. Post quam autem homo conditus est, mox Deum apud Adamum calumniari cœpit, invidiæ cri- men ipsi impingens, Adamoque relicto, primum tanquam infirmiorem, Evam aggreditur, et inquit : « Quid est quod

[1] Rom. VII, 9.

» dixit Deus; Ne comederitis de omni ligno paradisi [1] ? » Simulatas affert quæstiones ille pestifer, ut ex illa disceret, qualis ea foret arbor, cujus cibum prohibuisset Dominus. Neque enim sciebat, de quanam arborum, ac cujus gratia præceptum datum esset. Illa vero simplicissima, et antehac natura minime vel vitiata vel adulterata, quidnam ille spectaret ignorans, letalem sibi plagam infert. Inquit enim : « De omnis quidem ligni in paradiso fructu comedimus, » de ligno autem in medio paradisi non comedimus [2]. » Tum ille Deum incusans, ait : « Novit Deus, quod quo- » cumque die de eo comederitis, aperientur oculi vestri, » et eritis tanquam dii, scientes bonum et malum, ideoque » prohibuit [3]. » Hoc modo persuadet miseræ, ut quod vetitum erat comederet, et per illam capit virum : appetentem utrumque Divinitatem. Post quam igitur spoliavit ipsos etiam iis quæ habebant, nimirum immortalitate, incorruptibilitate et beatitudine : reipsa reviviscit hostis ille Dei et homicida, moxque apud Deum hominem, qui transgressus erat, accusat. Exponit autem Moses ille Dei spectator, et legislator divinus, ipsa calumniæ diaboli verba, fraudulentum illum tragice describens. His enim diabolus apud ipsum verbis Adamum coram Deo incusans utitur. « Et comedit Jacobus, et saturatus est, et recalcitravit » dilectus. Impinguatus enim est, inquit, et incrassatus » est, dilatatus est, et dereliquit Deum conditorem suum, » et recessit a Deo servatore suo [4]. » Hoc enim et Jacobi posteris fecit, cum eos ad saturitatem carnis et vinolentiam flexisset, ac deinde ad idololatriam præcipitasset, de quibus Moses, cum armasset Levitas, viginti tria millia Jacobitarum uno die in deserto graminis instar demessuit. Nihilominus humani generis amator Deus, erga eum qui accusatus erat, haudquaquam mutatus, ad nos venit ut

[1] Gen. III, 1. — [2] Ibid. 2, 3. — [3] Ibid. 5. — [4] Deut. XXXII, 15.

hostem caperet in ejus forma, qui deceptus erat, vere natus. Atque ne hosti occasionem daret dicendi, mortales oppugnans a Deo superatus sum : ipse mortalis fit, manens Deus, et venit ut pro mortalibus hominibus pugnet. Id quod jam ante quingentos annos prædixerat Vates ille dinorumque Carminum auctor Davides : « Benedictus enim, » inquit, qui venit in nomine Domini [1] : » Quisnam est ille, Vates divine? « Domine Deus, et apparuit nobis [2]. » At cujus gratia Deus mortalis fit, mi Davides? « Ad destruen- » dum, inquit, inimicum et exactorem [3] » diabolum. Criminatur enim apud Deum omnia, et apud alios illum, et utrisque ultionem suggerit. Id quod et erga Jobum, et erga Deum utrinque malitiose facit. Ad Deum quidem dicens : « Num gratis colit Jobus Deum? aut in multa facul- » tatum possessione fovetur atque deliciatur [4] ? » Ad Jobum autem inquit : « Ignis de cœlo decidit, et assumpsit omnes » facultates tuas [5]. » Iterumque inquit ad Deum : « Non tan- » tum hoc, sed mitte manum tuam, et tange ossa ejus, et » carnes ejus [6]. » Et iterum ad Jobum per vitæ consortem : « Quandiu perseverabis sub dio in stercore? quin dic » verbum aliquod ad Dominum, et morere, ut libereris a » malis, quæ te detinent [7]. » Hunc igitur inimicum et exactorem tollens Dominus per Divinitatis in carnem adventum, inquit : « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super ser- » pentes et scorpiones, et super omnem potestatem ini- » mici [8]. »

INTERROGATIO CXXIII.

Quod si sustulit inimicum Dominus, quis nostrum quemlibet oppugnat, et tentationibus improvisis atque peccatis involvit?

[1] Psal. cxvii, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Id. viii, 3. — [4] Job. i, 9. — [5] Ibid. 16. — [6] Id. ii, 4, 5. — [7] Ibid. 9. — [8] Luc. x, 19.

RESPONSIO.

Atqui licet Deus omnimodam ejus extinctionem atque sublationem facere posset, noluit hoc tamen, ne nos inhonorati relinqueremur in futura sempiterna vita, si non esset aliquis nobis hic adversarius, adversus quem decertantes velut in stadio præsentis vitæ, remunerationis tempore coronas assequeremur. Percusso autem capite draconis, totum qui post ipsum trahitur comitatum leto dedit, saltem exiguo quodam in ipso motu relicto, ad exercitium nostrum, et virtutis declarationem. Aliquoties enim et nos percusso serpentis capite, arrepentem tractum corporis pueris feriendum relinquimus, simul ipsos ut audaces et adversus feras alacres sint, condocefacimus. Neque enim vel adversus porcos potestatem dæmones habent, quemadmodum sacra Evangelii Scriptura docet [1]. Nam ante divinam Christi permissionem, non sunt ausi tangere gregem porcorum Gergesinorum. Permittit autem ipsis Dominus non ut una cum subulcis submergerent gregem, sed ut iis omissis, quo capessere fugam possent, in bruta ingrederentur, evidenter nos docens, quod nisi per ipsius divinam et omnia complectentem potestatem custodiremur, vel consimiliter, vel etiam pejus, quam erga porcos, erga nos affecti dæmones forent, qui in hujus vitæ mari periculose navigamus.

INTERROGATIO CXXIV.

Cum nosset Deus, quod Adamus præceptum transgressurus esset, cur illud ei dedit? vel denique quare transgressorem damnavit morte?

[1] Matth. VIII, 30-32.

RESPONSIO.

Atqui nisi præceptum, velut præmium certaminis et luctæ statuisset, ac permisisset in arbitrii sui potestate adversarium, non coronaretur, neque deprædicaretur victor. Quod si non mandásset præcepti observationem, et mortem trangressionis pœnam non minatus fuisset : merito in eum, qui legem posuit, culpam retulisses. Si vero post mandatum lapsus est, et cecidit factus inobediens , superatum accusa, non eum qui certamen proposuit. Item secundum aliam rationem : Quemadmodum Adamum præcognoscebat transgressurum, similiter præsciebat posteros ejus præstatione præceptorum ab ipso velut victores deprædicatum et coronatum iri : alios quidem tempore pacis per declarationum probatæ cum virtute vitæ, alios autem tempore persecutionem per perseverantiam pro ipso usque ad mortem. Præcognoscebat enim Abelum justum fore, similiter et Sethum : Enochum transferendum, ne videret mortem : Noam justum futurum : Abrahamum radicem fidei fore, ac patrem multarum gentium. Præterea quod Isaacus servus suus strenuus declarandus esset, præsciebat; quod Jacobus ipsum velut hominem in lucta superaturus esset, et quod torpore soluturus esset latum nervum tacto ejus femore. Quod propter temperantiam in custodia carcereque Josephus habiturus esset : quod factis suis regnum obtenturus. Quod ad ducendum exercitum et ferendam legem Moses idoneus futurus esset. Quod Jesus Nave filius hostium trophæa capturus, et in servitutem redacturus esset Gabaonitas. Quod Davides propugnatorem alienigenarum armatum, tibialibus, et galea gigantea circumdatum, scutum et hastam habentem, totum undique ferreum, jactu lapidis unico ex funda in terram prostraturus, et

paulo post regnaturus, et multa de se vaticinaturus esset. Præcognoscebat Apostolorum, Prophetarum, Martyrum, Doctorum, cæterorumque ad Ecclesiam pertinentium ex illo germinaturum sacrum cœtum. Et ut breviter omnia dicam, non oportebat propter unius ignaviam et defectionem omnibus claudi stadium, et aboleri certamina, fortitudinemque occultari, et victoriæ cessare præmia.

INTERROGATIO CXXV.

Quî fit, ut cum dicat Servator, « Quod quemadmodum » Pater excitat mortuos et vivificat, sic et Filius quos vult » vivificat[1], » ad Lazarum veniens, non excitet ipsum potestate propria, sed invocet Patrem, dicens : «Pater, glori» fica Filium tuum, » sicque revocet ex mortuis Lazarum[2] ?

RESPONSIO.

Nihil horum ipsi quidquam potestatis vel auctoritatis adimit. Inquit enim, « Propter astantem turbam dixi, ut » credant[3]. » Quid vero rursus subjungit ? « Ut et Filius te » glorificet. » Numquid igitur indiget gloria, quam consequatur a Filio Pater ? Nequaquam. Sed glorificavit Pater Filium, et Filius Patrem, manifestantes nobis suum consensum et æqualitatem gloriæ. Quomodo vero in majoribus prorsus auctoritate sua faciens omnia Filius, in minoribus paterna indiget, ut ais, permissione vel auxilio ? Puniens enim et benefaciens nusquam Patrem invocat. Nam, « Ve» nite, inquit, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis » regnum, inde usque a jactis fundamentis mundi[4]. » Ad alteram autem partem, « Discedite a me maledicti in ignem

[1] Joan. v, 21. — [2] Id. xi, 41. — [3] Ibid. 42. — [4] Matth. xxv, 34.

» æternum[1]. » Ad paralyticum inquit : « Surge, tolle tuum » grabbatum, et abi in domum tuam[2]. » Alibi rursus, « Tibi » dico, adolescens, surge ex mortuis[3]. » Similiter et filiæ principis Synagogæ defunctæ inquit : « Puella, surge[4]. » Leproso autem a vertice ad pedes usque ulceribus pleno, extenta manu : « Volo, inquit, mundus esto[5], » ubi recedit morbus, divina voluntate fugatus. Cum increpatione item inquit : « Tibi dico malo dæmoni, exi ab eo[6]. » Cohibet etiam increpatione tumidam abyssum. Et cum viris urbes condemnans cum potestate inquit : « Væ tibi Chorazin, » væ tibi Bethsaïda : et tu Capernaum quæ es in cœlum » usque exaltata, usque ad inferos descendes[7]. » Et veterem tollens Hierosolymam, inquit : « Non manebit in ea lapis » super lapidem[8]. » Id quod factum cernimus. Quomodo igitur in majoribus istis, nusquam invocato Patre, aut indigens ab ipso collatis viribus, in minoribus a Patre beneficia quasi mutuo sumens, medetur laborantibus? Absit igitur procul a te, o præclarissime, talis de Christo cogitatio. Non enim secundum defectum auctoritatis aut roboris in quibusdam locis Patrem alloquitur, sed ubique is ei propositus scopus est, ut ad humilitatem nos instruat, et superbiæ fastum nobis adimat; utque nobis nullo modo permittamus, ut quæ agenda sunt, ante ipsius ductum inchoemus : sed omnis tam sermonis quam actionis ab ipso primordia capiamus.

INTERROGATIO CXXVI.

Quomodo vero dicit Apostolus, ipsum Patri subjiciendum, ut majori videlicet? Nam « Qui omnia, inquit, sub-

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Id. ix, 6. — [3] Luc. vii, 14. — [4] Marc. v, 41. — [5] Matth. viii, 3. — [6] Marc. i, 41, et Luc. v, 13. — [7] Matth. xi, 21. — [8] Matth. xxiv, 2, et Marc. xiii, 2.

» jecit ei, tunc et ipse subjicietur illi, qui ipsi omnia sub-» jecit[1]. » Quomodo igitur potest æqualis esse Patri, cum constet minorem subjici majori?

RESPONSIO.

Ille ipse nobis eximius et divinus Præco inspiciendus est, qui hoc loco magis carnaliter disserit ad rudiores, nec adhuc animæ sensibus exercitatos ad dijudicationem sublimiorum doctrinarum. « Quicumque in Christum bapti-» zati estis, inquit, Christum induistis[2]. » Quibus in verbis ecclesiasticum intelligit cœtum, qui Christum gestat. Cum autem modo subjiciantur ei per fidem gentes, nondum integram esse subjectionem Ecclesiæ gentium admittit. Necdum enim plenitudo gentium ingressa est, ut ipse ait Apostolus[3] : sed quotidie sanctus ille cœtus accessione credentium subjectionem recipit, non aliter ac si Christus ipse recipiat. Quando autem plenitudo gentium ingressa fuerit, et absolutam integramque subjectionem habuerit Ecclesia, quæ est Christus secundum carnem, tunc et ipse totus exercitus subjicietur ei, qui subjecit ipsi (nimirum Christo secundum carnem) omnia. Itaque per dictum hoc, quod scripsit ad rudiores, non omnem revelat ipsius Christi propriæ potestatis auctoritatem et divinitatem, quæ nihil agit contra Patrem. Quando vero apud eos disserit, qui perfectiores sunt intelligentia, quasi solidiorem quemdam præter lacteum et puerilem cibum, quo lactentes infantes cibantur, apponit : et a rebus divinioribus institutionem contexens, paulatim adimit auctoritatis potestatisque Christi velamenta, et æqualem gloria, æqualem potentia, liberumque prorsus ex se Deum esse ipsum demonstrat, luculenter clamans : « Expectamus Filium ejus e cœlis, qui trans-

[1] Cor. xv, 27, 28. — [2] Galat. iii, 27. — [3] Rom. xi, 25.

» formabit corpus humilitatis nostræ, ut fiat conforme » corpori gloriæ suæ, per efficaciam potestatis ejus, ut » possit et ipse subjicere sibi omnia[1]. » Et alibi inquit : « Quoniam Deus erat in Christo, mundum sibi ipsi recon- » cilians[2]. » Ecce ambobus istis in locis, quod sibi ipsi subjiciat, indicatur. Segregato igitur temetipsum a tali dementia, cum semet declaret Apostolus, nec omnia tradat eodem scripto, sed pro ratione uniuscujusque scribat et quasi manu ad perfectionem ducat.

INTERROGATIO CXXVII.

Cum igitur Deus sit Christus et æqualis Patri, cur hic ipse Apostolus Patrem quidem scribit esse Deum, Filium autem Dominum? Nec parum huc mihi facere videtur, quod inquit : « Quoniam Deus erat in Christo, mundum » reconcilians sibi. » Non faciebat hoc Christus, sed inhabitans in ipso Deus.

RESPONSIO.

Equidem aio Christum esse Deum supra omnes Potestates et Dominatus, æqualem gloria Deo et Patri. Neque enim propterea quod Dominus a sublimi dictus sit Apostolo, Divinitas ipsi adimitur. Neque item alterum illud a Deo fuisse ipsum inhabitatum indicat : quemadmodum per hunc ipsum Apostolum, prout ex hoc ipso, et per ætate priorem ipso sublimem Esaïam docemur. Nam hic olim de Christo vaticinans, inquit, « Et viri Seboïm eximii ad te » transibunt, et erunt servi tui et post te sequentur vincti » manicis, quoniam in te Deus est[3]. » Tollensque eam de qua tu dicis inhabitationem, rursus subjungit, « Et non est

[1] Philip. III, 20, 21. — [2] 2 Cor. V, 19. — [3] Isaï. XLV, 14.

» Deus præter te : tu enim es Deus noster; et alium igno-» ramus, extra Deum Israëlis, Servatorem[1]. » Et rursus idem Vates ante..... annos inquit : « Puer natus est nobis » et filius, et vocabitur nomen ejus Deus fortis, dominator[2].» Sublimi autem mente præditus Paulus inquit : « Christus qui » est super omnia Deus, benedictus in sæcula. Amen[3]. » Illud autem, quod Dominus dicitur, Psaltes divinus Davides ostendit non extra Divinitatem esse. Nam conjuncti cum Deo hominis, Dei et Verbi in carne adventum in suis prædicens carminibus, inquit : « Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus et apparuit nobis[4].» Ubique autem in Scriptura veteri patrem Dominum Prophetæ divini vocant. Esaïas quidem ille eximius cum ait : « Hæc dicit » Dominus sabaoth[5].» Hieremias vero multa perpessus, « Hæc » dicit Dominus omnipotens[6]. » Ezechielus autem enarrator ille Cheruborum : « Hæc dicit Dominus Adonaï[7]. » Similiter et Danielus, et cæteri Vates. Neque enim Paulus cum inquit, « Unus est Deus Pater[8], » ipsum extra dominationem ponit, vel vice versa, cum inquit, « Unus Dominus Jesus » Christus[9], » ipsum extra Divinitatem esse significat. Neque item cum ipse Filius concionatur, « Super hanc petram » ædificabo Ecclesiam meam[10], » expertem Ecclesiæ Patrem ostendit. « Omnia enim mea, inquit, tua sunt, Pater, et tua » mea sunt[11]. » Nimirum ubique sacris in Litteris hæc duo vocabula, nempe, « Deus et Dominus, » juncta sunt. Ejusdem vero nominis ejusdemque gloriæ et divinum atque sacrosanctum Spiritum esse ex divo discimus Apostolo, scribente in hæc verba : « Dominus spiritus est[12].» Illis igitur, qui divinis in Litteris perspicaces sunt, nunquam eæ vide-

[1] Isaï. XLV, 15.— [2] Id. IX, 6. — [3] Rom. IX, 5. — [4] Psal. CXVII, 27. — [5] Isaï. V, 9. juxta LXX. — [6] Jerem. XXXII, 14. juxta LXX. — [7] Ezech. XII, 28. juxta LXX. — [8] 1 Cor. VIII, 6. — [9] Ibid. — [10] Matth. XVI, 18. — [11] Joan. XVIII, 10. — [12] 1 Cor. III, 17.

buntur a se dissentire, vel sibi repugnare, cum nunc quidem diviniora, nunc autem humiliora prædicantes, auditoris intellectui sese accommodant, veluti liberorum facit amans mater, conveniente quadam ratione liberos educans, quæ alios quidem adhuc teneros, velut infantes lacte potat, eos vero, qui infantiæ statum egressi sunt, oleribus nutrit, perfectioribusque panem porrigit. Nam ad utrosque inquit eximius ille Apostolus. « Lacte potavi vos, non cibo. Non- » dum enim hoc vesci poteratis, imo ne nunc quidem po- » testis[1]. » Ad alios autem sermonem dirigens : « Qui infirmus » est, oleribus vescitur[2], » inquit, quæ veluti media quadam, quod attinet cogitationes, ratione affecta sunt, cum talis pane vesci nequeat, quemadmodum ii qui jam perfecti sunt institutione, propter tenerum et infirmum adhuc intellectum.

INTERROGATIO CXXVIII.

Quomodo vero terminis subjiciens Apostolus regnum Christi, scribit : « Oportet ipsum regnare usque dum po » suerit inimicos ejus sub pedes ejus[3] ? » Quod quidem aliqui interpretati tradiderunt, quod post hujus mundi finem, prætereunte regno Christi, ipsoque in Patrem redeunte, futurus sit « Omnia in omnibus Deus[4], » sicut inquit Apostolus.

RESPONSIO.

Illos mihi videtur deplorare Hieremias dicens : « Quis dabit » aquam capiti meo, et oculis meis fontem lacrymarum ? et » lugebo nocte et die vulneratos populi mei[5], » qui clauserunt aures, nullam divini sermonis rationem habentes, qui aperte clamat ? « Filius manet in æternum[6]. » Adversabitur eis

[1] 1 Cor. III, 2. — [2] Rom. XIV, 2. — [3] 1 Cor. XV, 25. — [4] Ibid. 8. — [5] Jerem. IX, 1. — [6] Joan VIII, 35.

acerbus dementiæ refutator Danielus, vir exoptatissimus, dicens : « Contemplabar in visione nocturna, et ecce in » nubibus cœli velut Filius hominis veniebat. » Et paulo post inquit : « Potestas ejus potestas æterna est, quæ non » præteribit, et regnum ejus non interibit[1]. » Similiter et Davides divinorum auctor ille Carminum : « Thronus tuus, » o Deus in sæculum sæculi. Virga rectitudinis, virga regni » tui[2] : » Et post alia : « Ab initio tu, Domine, terram fun- » dasti, et opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi interibunt, » tu autem permanes, et es idem, et anni tui non deficient[3]. » Quæ de Domino exponens sublimis ille intelligentia Paulus, ipsum ubique scribit opificem, et regem, et Deum ante sæcula et in sæcula. Præterea Moses Dei spectator et legislator divinus in fine Cantici Mariæ scribit : « Dominus reg- » nans in sæculum et sæculum[4]. » Christum denique jam Dominum esse profitemur. Ne igitur ex eo quod hic dicitur, « Usque dum, » et « Usquequo, » aliquando finem habiturum regnum Christi nugentur, male intelligentes quæ bene sunt dicta. Nam ex ipsa Apostoli voce redarguitur ipsorum vanitas. « Regnavit enim mors ab Adamo ad Mo- » sem usque[5], » inquit. Num igitur ad illum usque tantum regnavit, aut etiam ultra? Nimirum in multas illa generationes imperium suum extendit, quam denique omnem rationalem ætatem pervadentem, Christus evertit, adversus illam robore mortales circumdans : ipse morti mors factus. Et quia de Mose magnifice sentiebant Judæi, præ illo cæteros contemnentes, ipsumque Deum esse putantes, quod ne sepulcrum quidem ejus inveniatur usque in hodiernum diem, quodque una cum Elia propheta in cacumine montis astiterit Christo transformato, ita ut ipsi putent eum adhuc vivere, et in carne, quemadmodum et

[1] Dan. VII, 13, 14. — [2] Psal. XLIV, 7. — [3] Id. CI, 26-28. — [4] Exod. XV, 18. juxta LXX. — [5] Rom. V, 14.

Eliam, translatum: horum inflationem contrahens tumoremque vanæ de hoc viro opinionis, mortalem ostendit ipsum et ejusdem nobiscum naturæ, quasi digito demonstrans eum, et dicens : « Mortuus est Moses[1], » qui mortalis erat, quid gloriamini, o Judæi? Rursusque idem inquit redarguens ipsos : « In hodiernum usque diem, quando legitur » Moses, velum ipsorum cordi impositum est[2]. » Num igitur usque ad tempora Pauli tantum, an ad ipsam consummationem usque Judæi cæcutiunt? Rursus idem ad Corinthios scribens, inquit : « Etiam usque ad vos pervenimus » cum Evangelio Christi[3]. » Num igitur tantum Corinthum usque, an ab Orientalibus ad Occidentales usque pervenit, velocique cursu circumiens Illyricum, Romam usque delatus prædicavit? Et iterum idem inquit : « Exhortantes » vos invicem quotidie, quoad hodiernus dies vocatur[4]. » Id quod antea quoque vates divinus Davides protulerat : « Hodie si vocem ejus audiveritis, » nempe Dei, « Ne indure- » tis corda vestra sicut in exacerbatione, in die tentationis » in deserto[5]. » Num igitur illis tantum, qui fuerunt ad tempora Davidis, necessaria fuit divinæ vocis obedientia? O dementia vanorum sapientum ! Nos quidem qui ipsius Christi sumus opificia, post præsens sæculum incorruptibiles et immortales resurgentes, semper manemus : ipse autem totius universitatis architectus et gubernator, in Patrem reversus, non amplius erit? Quomodo vero regnum ipsi æternum et immortale inter homines promittitur, siquidem hoc spoliatur, ac post certos quosdam temporis terminos id deponet, quemadmodum homines illi vana mente præditi volunt? Sed a te procul, obsecro, absit talis absurditas. Redarguet enim ipsos in Veteri quidem Testamento Davides de Christi regno canens : « Confiteantur

[1] Deut. xxxiv, 3. — [2] 2 Cor. iii, 15. — [3] Id. x, 14. — [4] Hebr. iii, 13. — [5] Psal. xcv, 8.

» tibi, Domine, omnia opera tua[1]. » Opus autem Christi sunt in universum omnia, quemadmodum inquit sublimis ille Joannes : « In principio erat Verbum, et Verbum erat » apud Deum, et Verbum erat Deus Christus : qui qui- » dem caro factum est, et habitavit in nobis. » Item, « Om- » nia per ipsum facta sunt[2]. » Et rursus Davides inquit, « Regnum tuum regnum omnium sæculorum et dominium » tuum durat in omnem generationem et generationem[3]. » Cum hoc autem consentiens Gabrielus, illius nunquam finiendi regni Christi minister diserte clamat : « Et regnabit » super domum Jacob in sæcula, et regni ejus non erit » finis[4]. » Non igitur temporum determinatorum est, quod consueto more multis in locis sacræ Scripturæ dictum est, « Usque, donec, et hodie. » Apud Deum enim vespere carens, et unicus dies est tota æternitas. Similiter et omnibus intellectilibus ac rationalibus illis potestatibus, quoniam a nulla sequente nocte ultramundana lux excipitur.

INTERROGATIO CXXIX.

Atqui si Patri æqualis est, quomodo inquit ipse : « Nihil » potest Filius facere a semetipso, nisi quod viderit facien » tem Patrem[5]. »

RESPONSIO.

Ejusdem dementiæ est, ad hunc modum erga Dei Filium unigenitum affectum esse. Sequetur enim omnino duplicem statuendam esse creationem. Aliam quidem Patris jam perfectam, aliam vero Filii, quæ adhuc perficiatur, et paulatim progrediatur, ac ad imitationem creationis paternæ condat. Ostendant igitur nobis Arianæ insaniæ

[1] Psal. CXLVI, 10.— [2] Joan. I, 3, et 14.— [3] Id. CXLIV, 13. — [4] Luc. I, 32 — [5] Joan. V, 19.

sectatores, duos soles et duas faces lunares, et discernant nobis quinam sol Patris sit, aut qui sit Filii : quæ sit luna Patris, quæ Filii. Similiter autem et de terra, et mari merito quæsiero. Quomodo item vera dicet filius ille tonitrui Joannes, qui doctrinam de Verbo incarnato ex ipsius sinu per derivationem hausit, et quasi divinus calix impletus ex perenni fonte, verbum illud, « Omnia per ipsum facta » sunt[1], » in omnem soli subjectam terram pluit, quasi dicere vellet ad nullum exemplar aut simulacrum respicientem Filium omnia facere. At quem obsecro filium? Qui nostræ naturæ unitus est in utero perpetuæ virginis Mariæ, adeoque unigenitus ille Dei Filius missus a Patre, qui nasceretur e muliere, quemadmodum divinus ille docet Apostolus. Ubi igitur, aut quando conspexerat Patrem incarnatum, et natum, et crucifixum, et sepultum, et ex morte resuscitatum, ut hæc ipsius exemplo ageret? Ubi vero Patrem audiens, consimiliter inquit : « Potestatem habeo ponendi » animam meam, et rursus sumendi eam[1] ? » Item : « Quia » nullus adimit eam mihi, sed ego pono eam ex me ipso[2] ? » Ubi vero Patrem conspexit jumento vectum, et ad illius imitationem Hierosolymam asino insidens venit? Ut summatim dicam, ad nihil respiciens Filius, ea quæ dicta sunt facere solitus fuit. Neque enim Adamum formans, et ex illo Evam faciens, alium quempiam rationis participem, masculum aut fœminam, a Patre condi viderat, ad quem suum fabricaret : sed cum esset opifex per se, adeoque liberrimus universitatis hujus Deus, ante incarnationem et post illam idem, qui et velle et facere omnia poterat, ne ipsum Dei adversarium Patrisve oppressorem arbitrarentur, qui erga ipsum cæcutiunt, inquit : « Nihil potest facere » Filius a se ipso, nisi quod videt Patrem facientem[4]. » Simul et de amore parentibus debito nos commonefacit.

[1] Joan. I, 3. — [2] Id. x, 8. — [3] Ibid. — [4] Joan. v, 19.

INTERROGATIO CXXX.

Quomodo autem Jacobo et Joanni, Zebedæi filiis, consessum cum ipso petentibus, inquit : « Sedere a dextra et » a sinistra non est meum dare, sed quibus paratum est a » Patre meo[1] ? » Quare non tanquam propria præditus auctoritate, dixit : Quibus paravi, aut, quibus voluero : sed ad Patrem ipsos relegat? Id autem non est alicujus libere agentis.

RESPONSIO.

Non quasi præstando non esset, denegavit; sed prudenti quodam prætextu ad modestiam revocat ipsorum fastum, et adversus condiscipulos elationem; per illos etiam reliquos castigans, et accensum in ipsis absurdum amorem primatus extinguens terrore denegationis. Non enim dicit : Omnino largitur id vobis Pater : sed quibus paratum est laborantibus, extimulans ipsos ad virtutem et fortitudinem, ut primum benevolentiam demonstrarent, ad certamina semet accingerent, pro ipso ad mortem usque constanter perseverarent. Nondum enim, inquit, aliis mea prædicastis, et quo tandem pacto voces annuntiare desideratis, nondum pro me colaphis cæsi? Proinde expedimini ad certamina in stadio, descendite in theatri caveam, alacres incedite, invicti manete, et quamprimum præsentis sæculi theatrum solutum fuerit, ego mox vobis illa solia tanquam præmia certaminis largiar. Nunc autem vos merito rejicio. Dabuntur iis, quibus Pater jusserit. Neque enim alio modo vestra mater et vos cum hac vestra molestia repelli potestis. Aut agit eo modo, quo solent qui

[1] Matth. xx, 23.

aliquid ante tempus præstare nolunt, sed alii alicui potestatis auctoritatem esse simulant, ne quando receperint, segniores ad alacritatem et fortitudinem fiant, contenti eo quod datum est, non amplius laborare volentes. Sic enim et qui in terris regnant, facere consuevere, quando ab ipsis aliqui dignitates præsidum, et officia, vel imperia rei militaris efflagitant, licet penes ipsos sit, ante tempus tamen dare nolentes, alius ad alium id potestatis referunt; expectatione dignitatis ministros pro regno excitantes, utque inter se certent, et enitantur acriores adversus hostes fieri, eos præparantes. Vel etiam alia ratione, quia putabant ipsum temporale regnum in terra administraturum, ait illis : « Nescitis quid petitis[1] : » quasi dicat : Evigilate, quæso, Discipuli mei, ascendite mente in meum regnum : non ex iis, quæ instar nocturni spectri circumvolitant, neque de sordibus humi jacentibus voluptatem capite, ne quando a Patre quoque meo audiatis : Non est meum simpliciter dare, sed a vobis vicissim exigere certaminum et sudorum compensationem. Malo enim vobis debere propter benevolam alacritatem, quam accusare socordiam. Non est meum dare, at neque Patris mei simpliciter petentibus, siquidem obscuri, et adulteri, et quivis flagitiosus et intemperans, si petant, mecum sessuri essent. Non est nostrum dare temere, et depravare quod justum est. Justi enim judicis est, unicuique pro dignitate meriti tribuere, non negligere laborantes, ac ignavis aliquid largiri. Proinde si thronos amatis, nolite ignorare certamina, ad quæ capessenda debetis expediri. Neque pallio tantum, et barba, baculoque convenit vos delicate gloriari : sed laboribus thronos redimite, judiciumque placate.

[1] Matth. xx, 22.

INTERROGATIO CXXXI.

Quod si perinde ac Pater, potens et sui juris est Filius : quomodo terretur cruce, Patremque rogat, dicens : « Pa- » ter, si fieri potest, transeat a me poculum hoc[1] ? » Nimirum non ejus est, qui suo agat jure, neque spontaneæ voluntatis, ad alium confugere in necessitatibus, ac velut indigum illius auxilium implorare.

RESPONSIO.

Letale vulnus et hinc infligi divina manu illis vana mente præditis puto, cum ejusdem potestatis etiam nunc cum Patre Filium esse demonstratum sit, nec quidquam prorsus ejus auctoritati adimi per eas voces, quæ ab ipso per simulationem editæ sunt. Quandoquidem enim ægre recipiebatur unitæ cum Deo humanitatis ipsius adventus, propter nimiam humilitatem et erga homines benevolentiam fidem superans, propositum illi fuit non Divinitatis potentia propulsare malignum dæmonem, neque principali potestate evertere ipsius aciem : se mansuetudine potius et diuturna patientia condemnare adversarium reluctantem. Nam si venisset usurus potestate naturali, nihil admiratione dignum facere visus fuisset, si adversus Angelum defectorem decertasset Deus, imo diversum potius accidisset, et in arrogantiam extulisset diabolum, quasi Deo par fuisset adversarius. Merito igitur humana utens humilitate, deprimit ipsius elationem, et victoriæ trophæum nobis asserit. Nam si, cum ab initio seductus fuerit homo, non per aliquem, qui homo esse videretur, tametsi reipsa Deus foret, captus esset ipse vicissim prædo : præ-

[1] Matth. xxvi, 39.

clarum hoc facinus humano generi tributum non fuisset. Nunc cum in natura tam divina quam humana sanctum illud Verbum ad nos venerit, et in forma capti hostem ipsum ceperit, tanquam Deus imperium nobis in ipsum dedit, divinitus illa verba pronuntians : « Ecce dedi vobis » potestatem calcandi super serpentes, et scorpiones, et » super omnem potestatem inimici[1]. »

INTERROGATIO CXXXII.

Quis est igitur, qui crucifixus est, imo qui deprecatur, et inquit : « Pater, si fieri potest, transeat a me poculum » hoc[2] ? »

RESPONSIO.

Nec Deus, nec homo seorsum. Nudus enim homo nos servare non potuisset, Deus vero nudus pati nequit. Quamobrem fecit hoc unus ex ambobus, per concursum et unionem naturarum ex perpetua Virgine natus ille Homodeus, qui nihilominus quod erat servavit. Idem Deus, idem homo, neutra separata natura, crucem conscendit. Ideoque alias quidem divino, alias vero humano more loquens, convenienter se tempori accommodat. Nunc quidem hoste se extollente per verba et signa Deum se subjectis declarat : rursus vero ipso accedente et attentius inspiciente, num vere Deus esset, qui aliquatenus esse apparebat, et ..... ad certamina et luctam, rursus mortalia præ se fert, ne forte expavescens adversarius refugeret usque ad crucem et mortem ipsum oppugnare : in quo uno tota Homodei victoria sita erat.

[1] Luc. x, 19. — [2] Matth. xxvi, 39.

INTERROGATIO CXXXIII.

Et quare veniens non manifeste crucifixus est, confisus sua ipsius fortitudine, sed aliquando quidem inops, aliquando vero splendidus est? Quare item formidinem præ se fert, cum Deus esset?

RESPONSIO.

Quoniam neque ipse inimicus manifeste primos parentes nostros in paradiso aggressus est, qui cæteroquin a depravatione ac lapsu sibi cavissent : sed occultabat in serpentis specie suam naturam, illi unitus : et dicebat ad miseram : « Quocumque die comederitis de arbore vetita, » eritis tanquam Dii[1]. » Et ut breviter omnia proferam, quæ ibi sequuntur : dolose ipsos ab illa beata vita seduxit. Proinde qui verbis dolosis decepit, verbis divinis deceptus est infelix hostis. Non igitur illic nudus erat serpens, neque diabolus nudus : neque hic homo nudus, nec Deus nudus. Nec item formidolosus est, sed aperte stulti dolum inutilem reddit. Vide mihi libertatem et robur timoris, quem præ se ferebat, cum ipsum invaderent eum comprehensuri Judæi. Nam cæcitate percussos interrogat : « Quem quæ- » ritis[2] ? » Illi vero postquam dixissent se Jesum quærere, rursus ostendit ipsis spontaneam voluntatem, et ait : « Ecce » ego sum[3]. » Atque confestim sequitur se quærentes. Quis impedire potuisset, quominus celeritate avolandi superaret vultures? Quis prohibuisset, quominus eludendo excæcatos evaderet, qui de se aiebat : « Potestatem habeo po- » nendi animam meam, et rursus sumendi eam[4] ? » Quomodo vero et Petro se objurganti ad animum revocat

[1] Gen. III, 5. — [2] Joan. XVIII, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Joan. X, 18.

crucem a se expeti? Inquit enim ad eum cæteroqui dilectum : « Abi post me, Satana : quoniam non sapis ea, quæ » Dei sunt, sed quæ sunt hominum [1]. » Quasi dicat : Sequere me, et noli resilire, ignorans dispensationem, specie carnis deceptus. Quomodo enim formidabo mortem, qui sum aliud nihil, quam vita immortalis? Quomodo passionem deprecabor, qui a passionibus libero? qui tactu manus sanavi cæcos, qui nudo verbo firmavi paralyticos, et feci ut ferrent grabbata, quibus antea gestabantur? Qui fontes sanguinum fimbriis siccavi, et a leprosis maculam abstersi? Qui legiones dæmonum mandato fugavi : abyssum instar terræ calcavi, ipsamque tumidam et elatam silere ac obmutescere feci : qui ad ventos manum pro tranquillitate extendi, per quos etiam fluctus procellamque sustinebam; qui quinque panibus quinque millia ad satietatem cibavi, et inde reliquiis sublatis duodecim cophinos implevi : qui Lazarum diebus quatuor fœtentem, ad reviviscendum ex monumento vocavi illæsum : qui omnium opifex et Deus, vita et resurrectio sum? Præ me fero metum et humilitatem, per assimilationem carnis captare volens draconem, et a me quidem illusum, mortalibus autem illudentem diabolum. Piscator enim cum sim, etiam hamum, nempe me ipsum demisi in profundum hujus vitæ, circumdatus veluti verme, assumpta mortalium carne, ipse per me ipsum consimilis ipsis, citra mutationem tamen factus Adamus. Et velut piscator, nunc quidem blande demitto, et subtraho in profundo datum hamum, nunc vero quietum teneo, appropinquante pisce homicida, quem observo, ne qua territus resiliat. Quapropter et per servum meum Davidem inquam : « Ego vero sum vermis et non homo [2]. » Quemadmodum enim ille ex terra absque aliqua conjunctione carnem accipit, et in vitam producitur : consimi-

[1] Marc. VIII, 33. — [2] Psal. XXI, 7.

liter et ego ex ea quæ semper est Virgo absque aliqua commixtione et conjunctione viri incarnatus, naturaliter factus sum homo, manens Deus. Quapropter ait, multa pericula perpessus ille vates Hieremias, videns prophetica visione decipiendum deceptorem, et quasi deridens ipsius fremitum et arrogantiam, ante annos quingentos, et longius etiam, de me : « Homo est, et quis cognoscet eum[1] ? » quasi dicat, quod qui Deus est, per dispensationem propter nos homo factus sit, sapienter deludere in malitia sapientem volens, implens prophetiam generosi Jobi dicentis : « Duces draconem hamo[2]. » Idem rursus ait : « Semitas » abyssi perambulasti, subterranea percurrens, et illic » captos liberans[3]. » Et iterum idem inquit : « Aperientur » tibi terrore portæ mortis : janitores inferni te videntes in » horruerunt[4]. »

INTERROGATIO CXXXIV.

Num igitur illusorem dicis Christum, et quod dolo superaverit diabolum ?

RESPONSIO.

Nihil id præter decorum. Siquidem et ipse antequam unitus homini Deus esset, conspectus ab interprete rerum divinarum Mose, inquit : « Vides in quam multis illuserim Ægyptiis[5] ? » Similiter illudit incarnatus intellectili Pharaoni cum toto exercitu suo Ægyptiacorum dæmonum, invisibiliter flagellato et submerso ipso, per id quod inquit : « Pater, si fieri potest, transeat a me poculum hoc[6]. »

[1] Jerem. xvii, 9. juxta lxx. — [2] Job. xl, 20. juxta lxx. — [3] Id. xxxviii, 16. juxta lxx. — [4] Ibid. 17. — [5] Exod. x, 2. juxta lxx. — [6] Matth. xxvi, 39.

O poculum diabolos vulnerans, dæmonas fugans, peccata ventilans, peccatores expians, æternam vitam operans! Homo igitur reipsa Deus, Verbum factus, immutabiliter omnia cum veritate prosecutus est humana, « Excepto pec- » cato[1]. » Sic tempore passionis deprecatur poculum, non metuens id quod jam antea voluerat, sed nos instruens, in pericula non insiliendum esse, sed adventantia fortiter ac viriliter esse excipienda. Ideo crucem per meditationem æstimatam certo consilio deprecabatur quidem, exhibitam vero super humeros tanquam victor tollens, ibat sponte, in ea clavis affigendus. Simul autem omnibus acclamare convenit, quæ a Davide divino decantata sunt : « Quam » valde magnifica sunt opera tua, Domine! omnia in sa- » pientia fecisti[2]. » Similiter magniloquus et eximius ille Apostolus diserte clamat : « O profunditatem divitiarum, » et sapientiæ, et cognitionis Dei! Quam inscrutabilia ju- » dicia sunt ejus, et impervestigabiles ejus viæ! Quis enim » cognovit mentem Domini? aut quis fuit ei consiliarius[3]? » O dementiam! Sancti hæsitant, vulgares movent quæstiones. Proinde conticescat omnis contentio, et motus cogitationum. Gaudet enim divinum illud Numen, se simplici fide honorari.

INTERROGATIO CXXXV.

Quandoquidem hæc omnia præclare ac dilucide nobis explicuisti, quod reliquum est, cupimus ea, quæ ad nostram naturam pertinent, discere. Ac Davides quidem extenuat ac vilipendit hominem, dicens in octavo Psalmo : « Domine, » quid est homo, quod memor es ejus[4]? » Psalmo vero tri- cesimo octavo : « Verumtamen vanitas est omnis homo[5]. »

[1] Hebr. IV, 13. — [2] Psal. XCI, 6. — [3] Rom. XI, 33, 34. — [4] Psal. VIII, 5. — [5] Id. XXXVIII, 6.

Et Psalmo centesimo quadragesimo tertio : « Domine, quid » est homo, quod ei notus factus es, aut filius hominis, » quod reputas eum ? Homo vanitati similis factus est[1], » in quit. Filius autem ejus Salomon, magnifice deprædicat et cohonestat hominem, dicens : « Magnum quiddam et pre- » tiosum est homo[2]. » Si igitur a patre dissentit, quomodo consentient Vates reliqui?

RESPONSIO.

Nihil horum probare potest inter se dissonare hominum fatidicorum verba, siquidem studiose examinata, et minus pingui judicio sobrie considerata fuerint. Actio enim ad contemplationem quidam velut ascensus est. Proinde alius quidem naturam nostram, alius vero dignitatem demonstrat, quam a Deo universorum creatore accepimus præ omni creatura, divinis manibus facti. Revoluto primo volumine Mosis, utrumque disces, quod acceperit pulverem de terra Deus, et formaverit hominem, et inspiraverit in faciem ejus flatum vitæ. Ex eo quod dicitur : « Accepit et » formavit[3], » quæ ad dignitatem pertinent, cognoscuntur, cum hoc de nulla creaturarum dictum sit, nisi de solo homine. Ex eo autem, quod acceptus est pulvis de terra, vilitatem nostræ naturæ discimus, quod terra et pulvis simus, quæ nullius momenti sunt, et facile intereunt.

INTERROGATIO CXXXVI.

Quomodo igitur magnum et pretiosum quiddam est homo, si vilis est, et facile dissolvitur, infinitis perturbationibus et necessitatibus obnoxius?

[1] Psal. CXLIII, 3, 4. — [2] Prov. XX, 6, juxta LXX. — [3] Gen. II, 7.

RESPONSIO.

Cum ad naturam respicis solam, conjunge cum hac et dignitatem. Nam vilitatem et breve fatum naturæ illa tribuerunt, quæ post degenerationem a pristina beataque in paradiso conversatione nos invaserunt per transgressionem. Nam post illam perniciosam manducationem, hanc vocem miser ille audivit : « Terra es, et in terram redi- » bis[1], » obedientia inimico potius quam Deo præstita.

INTERROGATIO CXXXVII.

Quid innuit Davides, dicens ad Deum : « Manus tuæ fe- » cerunt me, ac formaverunt me [2] ? » Num aliud significat per Formationem, et aliud per Faciendi verbum? Ex eo autem duplicis esse naturæ nos intelligeremus. Quales item manus dicendæ sunt in Deo?

RESPONSIO.

Faciendi verbum de anima mihi videtur intelligendum, Formationis autem, de multiplici fictione corporis. Manus vero Dei et Patris, Filium et Spiritum dico, ad quos etiam inquit : « Faciamus hominem secundum imaginem et simi- » litudinem nostram[3]. » Quantumvis vero dicat historia, quod acceperit Deus pulverem de terra, formaveritque hominem : tamen ex aspectu et ipsarum rerum consuetudine denotatur et illud, quod sub oculos non cadit. Nam voluntatis hæc operatio prorsus est, non manuum formatio. Verumtamen manuum figmentum ad dignitatem naturæ dictum est. Quandoquidem et id, quod factus ad imaginem

[1] Gen. III, 19. — [2] Psal. CXVIII, 73. — [3] Gen. I, 26.

Dei dicitur, non ad imitationem naturæ : (neque enim quisquam eloqui queat, quantum sit discrepantiæ) sed ad notas principatus et libertatis referri debet.

INTERROGATIO CXXXVIII.

Quid igitur? num membra attribuis Numini secundum nostram imaginem et similitudinem, aures, et brachia, et crura ipsum habere significans?

RESPONSIO.

Paululum in his consequenter et ordine exponendis est immorandum, ne confusione quæstionis a sententia aberremus. Ad verticem vero nostri ortus, per orationis scalam recta conscendamus. «Magnum et pretiosum quiddam est »homo[1], »qui et olim et nunc ex rebus vilibus habet ortum. Cum enim posset Deus ex ære, vel ferro, vel adamante, vel lapide facere hominem, ex pulvere potius ipsum fabricavit olim, hodie vero ex tenui ac fluxo excremento. De his manifesta est incomprehensibilis et intellectum superans efficacitas sapientiæ ipsius. Neque subsannet aut derideat me vestræ charitatis acumen, si exactioris cognitionis gratia summam oratione attigero superficiem naturalium mysteriorum nostri ortus. Neque enim divina dedignatur Scriptura horum meminisse, cum loquitur de filio Judæ cum Thamare dormiente. Præterea de mulierum purgationibus, de seminis fluxum patiente. ..... sedentem, de novam conjugem purgante. Sed et eximius Apostolus masculos corrumpentium virorum, et masculorum more sese depereuntium mulierum meminit ad Romanos scribens[2]. Dejicitur itaque in fœminam a mari

[1] Prov. xx, 6. juxta LXX. — [2] Rom. I, 26, 27.

frigida quædam humoris ebullitio, eaque commixta cum objecto humore sanguineo a muliere reddito, coagulatur a frigidiore viri excremento, quemadmodum inquit vituperationis expers et verax Dei testimonio perhibitus ille Jobus, qui in sui corporis læsione ad Deum loquitur : « Nonne » sicut lac me mulsisti, et velut caseum coagulasti? Pelle » et carnibus induisti me, ossibus et nervis compegisti me, » vitam et misericordiam apposuisti mihi[1]. » Naturam simul et proprias vires ejus propriamque potestatem demonstrans. « Vitam autem et misericordiam apposuisti mihi, » inquit, quasi dicat : In me posuisti ut viverem, et ut misererer mei ipsius per obedientiam et observationem tuorum mandatorum : aut ut perimerem me ipsum per inobedientiam, neque misericordiam consequerer, merito pœnas dependens, inimico potius quam opifici adhærens. Id quod primus noster parens fecit, qui non misertus sui ipsius, veluti gladium ipsam perditionem consultricem adversus semetipsum suscepit, illoque interfectus est, et ex immortali mortalis factus periit. Cum igitur clausis omnibus sensuum sedibus et ipsis ambarum personarum sensibus, quasique contemperatis atque permixtis inter se corporibus in coïtu, ineffabile fit initium, videlicet facici expressio, de excreto primum potioreque semine, unde ad delineationem et similitudinem figura vel fœminæ, vel viri exprimitur. Atque hoc modo cum viri excrementum frigidum quodam modo sit et osseum, in ossium et nervorum commutatur robur, pro ratione illius, qui excrevit, soliditatem habens. Quod autem a muliere in concubitu vicissim redditum est, cum calidus sit natura sanguis, a frigido condensatum, in sanguinem convertitur. Caro autem per vitalem quamdam vim divinitus inspiratam, vivificatur. « Ego enim sum, qui feci terram, et hominem ex

[1] Job. x, 10-12.

» ea, quique dat flatum vitæ omnibus, qui ambulant in » ea[2], » inquit Deus.

[*Alter hic locus est ex iis, quorum paulo ante mentionem feci. Nam adjecta fuisse arbitror hæc ab aliquo, qui cum Cæsarii sententia conjunctam eodem loco philosophorum etiam exterorum opinionem de formatione hominis habere vellet.*]

VERBA DE LIBRIS EXTERORUM DESCRIPTA.

Natura inest semini. Nam quæ est in eo vis, quando moveri cœperit, natura nominatur, propterea quod nascendo producit et generat. Nutritur autem alimento quod est in corpore, quemadmodum neque nutrimentum absque materia est. Movetur autem in semetipsam, cibos concoquens : et per semetipsam perficiens digestiones. Facultates vero naturæ tres sunt, Generans, de qua jam antea dictum in mentione seminis : Augescens, quæ habet motum secundum tempus : et Nutriens, ad quam cibi confectio pertinet. Per universum autem corpus nutriens et augescens facultates sese dividunt : generans vero tantum sita est in geminis testibus semen continentibus. Occupata autem est natura primum circa cibum et spiritum, qui spiritus interna vi calidus, ut qui per se movetur, secundum id quod dictum est de semine, gignit et absolvit hominem temporibus et magnitudinibus definitis.

INTERROGATIO CXXXIX.

Simul existere nos animam dicimus cum eo quod a viro excernitur, et vivum animatumque quiddam est, quando-

[2] Isaï. XLII, 5.

quidem et a vivente et animato corpore causa ac origo nostri ortus est. Quemadmodum et ab arboribus avulsi rami, qui uniuscujusque semen habent, vitalem facultatem earum, a quibus sumpti sunt, continent. Nam si calidus est sanguis, etiam vivum illud semen viri calidum est, ac licet sanguine non omnes similiter dispositi sint, tamen vitalem quamdam causam habent, quæ est animæ. Propter tenuitatem autem et exiguitatem constitutionis primi diei, cum non possit suas operationes perfecte declarare propter subtilitatem ejus quod est dejectum,..... quo deinceps augescente in alvo materna, et in carnem verso, et inde verso in fœtum, una augetur, sicque demum perfecte anima suas declarare effectiones, et apparere cum perfecto jam corpore potest.

RESPONSIO.

Absit ut existere animam cum semine cogitemus. Nam quo pacto simul extitisse cum Adamo putabimus animam, qui absque conjunctione aliqua vel procreatione factus fuit? Nam si ex viro animam simul excerni concesserimus, sequetur omnino etiam Dei Verbi incarnati animam ex semine unitam corpori : id quod fuerit extremæ dementiæ ac blasphemiæ, ingentem merentis pœnam. Eadem ex vesania sequetur pœnas daturos potius, quam præmia certaminum coronasque reportaturos, qui scortationem fugiunt, et fortiter adversus ipsam decertantes, ac propter regnum cœlorum semetipsos continentia castrantes, quemadmodum inquit Dominus, animas intra semetipsos suffocant[1], et una cum terrenis interimunt membris, sua sobrietate deteriores evadentes quam sint effœminati et voluptati dediti. Num igitur et Paulus ille sublimi præditus

[1] Matth. xix, 12.

intellectu manebit inhonoratus, pœnasque pendet quasi qui supplicia nobis animarumque neces conciliaverit, tam re ipsa quam verbis docens, et scribens universo orbi, fugiendam esse scortationem, et mulierem non tangendam, si fieri queat? Quare igitur et scortatorem Corinthium punivit, in se suffocatam animam ad vitam emittentem? Quare item seminis fluxu laborantem lex purificari et aqua submergi præcepit, si videlicet arctata nimis anima de ejus lumbo progressa est? Qualiumnam vero plantarum fructuumque ramos, aut semen accepit Deus, quibus ab initio terram exornavit? Quomodo Sara cum Abrahamo ad centesimum ab adolescentia cubans annum, idemque semen excipiens, nunquam invenit animatum esse illud excrementum, nisi divino præcepto, ut nasceretur Isaacus unigenitus filius centum natis annos? Et quomodo Anna cum Helcana lecti consuetudinem habens pluribus annis, nunquam in utero animatum excrementum suscepit, prius quam in sacrarium veniret, Numenque pro fœcunditate exorasset? Cujus supplici precatione Deus suscepta, quæ multis quidem temporibus de se judicaverat se vitalem fœtum nunquam parituram, velut inanimam materiam sequenti concubitu consueto more dejectam animavit, et eximium illum divinumque Samuëlem formavit, quem post pueritiæ infantiæque lactentis statum, sancto illi Deo, qui sanctum puerum præbuerat, tunica amictum mater obtulit, ab cunabulis Deo consecratum. Quomodo item anus egregia Elizabetha a tenera cum coætaneo Zacharia cubans ad ipsam usque canitiem, cum quidem matrimonialibus legibus non renuntiarent, nunquam tamen sunt assecuti commixtionem vivam, prius quam Angeli voce animaretur in lumbo jacens materies, ab utrisque secreta, et in carnem solidata, quasi cujusdam lapicidæ manu a monte vel metallo revulso lapide, et quotidiana cælatura ex-

sculpto, usque dum perfectam effigiem statuæ consequatur. Sic et ineffabili arte, materies, quæ quondam in senibus erat inanima et informis, in Joannem exsculpitur, et..... Baptistam et præcursorem. Proinde cesset fabulosum illud commentum de existentia animarum in semine, dum illud a mare excernitur. Quomodo enim res incorruptibilis et immortalis cum corruptibili et informi existeret? Quomodo item anima, quæ melioris et præstantioris est naturæ, ex deteriore ac viliore causam ortus in vitam haberet? Quomodo non absurdum sit putare animam in corruptione procreari, cum de corpore dicat Apostolus : « Seritur in corruptione, suscitatur in incorruptibilitate? » seritur item corpus animale [1], » non autem anima. Nam animale dicitur, tanquam animæ proprium, cum corpus animæ sit organum. Desinat etiam delirium de eo, quod deinceps primum existat. Nam simul atque Deus cogitat, qualenam oporteat unumquodlibet esse, mox etiam materies adest, et..... uniuscujusque naturæ cum efficacitate divinæ voluntatis concurrunt. Neque enim vel prius existere, vel existere posterius animas divinæ Litteræ docent, ne senex et juvenis idem sui ipsius respectu putaretur homo : sed simul ac dictum esset, « Accepto Deus » pulvere de terra formavit hominem : » confestim subjungitur, « Et inspiravit in faciem ejus flatum vitæ, et factus » est homo in animam viventem [2]. » Neque igitur anima per se, neque corpus est homo : cum utriusque copulatione ac unione perfectum esse hominem divinorum Scriptorum auctor ille Moses declaraverit.

Sed ad ea, unde digressi sumus, revertamur. Sanguis frigiditate solidatus in carnem transmutatur. Crescit autem pro ratione nutrientium qualitatum cum ipsa unitarum ab eo, « Qui cibum dat omni cărni [3], » quemadmodum in-

[1] 1 Cor. xv, 42 et 44. — [2] Gen. II, 7. — [3] Psal. CXXXV, 25.

quit Davides, Carminum divinorum auctor. Quemadmodum et carnes marinæ, velut in utero, in ostrearum et pectinum marinorum testis nutritæ, vitalem divinitus habent vim, salientes et vibrantes sese, cum oris, auditus, dentium atque gustus organorum sint expertes, et articulis careant, ac solo aquarum humore nutriantur. Sed tamen illa in eadem forma perpetuo manent, talem divino jussu naturam sortita. Nostræ autem generationis causa, licet exigua quædam sit ad primam seminum commixtionem, particularibus additamentis ingestarum nutrientium qualitatum quasi contexta et augescens, ineffabiliter formatur per intellectibilem et invisibilem Dei manum, qui ex pulvere formavit primum nostrum parentem. Sicque deinde mora temporis novem mensium, perfecte absolutus divina vi fœtus, per robur gestantis uteri nutritur. Non quasi non possit universorum opifex exiguum illud in matrice dejectum nostri initium, vel etiam absque illo, quemadmodum omnia ex nulla subjecta materia produxit, nos mox perfectos et absolutos formare, velut Adamum, ideoque indigeat mora temporis novem mensium in imperfectis fœtibus : sed ut instar pellis aut membranæ per factam paulatim formationem intus jacentis, major fiat uterus, et intus saliente fœtu, femellæ organa extendantur. Non enim caperent infantem absolutum, si mox illis imponeretur. Habetque locum hic, quod ii faciunt, qui exiguo et quidem sicco utre multa complecti volentes, cum subigendo et extendendo firmiorem capacioremque reddunt. Sic igitur mihi videtur, quæcumque ossea sunt et nervosa, ex maris excremento roborari : quæcumque vero sanguinea et carnosa, ex eo quod fœmina contribuit, consolidari, ac dicens mox sequi divinum illud verbum et opus : « Crescite et » multiplicamini, et replete terram [1], » sicut inquit ad pri-

[1] Gen. 1, 28.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

mos parentes nostros Deus, simul deinceps ipse, et faciens nos crescere quidem in definitam ab ipso corporis magnitudinem : multiplicari autem posteris, et implere terram. Ex illis autem ipsis protoplastis discimus, quæ ex uno quolibet ipsorum in procreatione liberorum concurrant. Ex Adamo osse lateris ablato, et in fœminam facto divina manu : simul copulatio et unio naturæ declaratur.

Secundum hæc scire debemus inesse nobis secundum ordinem elementorum..... partem aliquam calidi et frigidi, et alterius quod restat paris, nimirum humidi atque sicci. Nam terra, ex qua nos Opifex produxit, cum omnibus hisce mixta esse mihi videtur : ipsa quidem arida appellata, humido autem innatans, ignem vero in saxis, et ferro, et lignis abditum habens, et aëra per ipsam universam diditum, eamque foventem. Formato in utero fœtu, et ad articulatam membrorum commissuram obscura humidaque materia exculpta, nutritur deinceps et crescit unumquodlibet membrorum pro qualitate illorum, quæ matris alvum intra recipiuntur : sicut in agricultura fieri solet, ex nubibus imbre, aut elicum rivis arva subjecta rigantibus. Sit autem hortus aliquis de quo sermo habeatur, infinitas plantarum species enutriens, diversæ tum speciei tum formæ, in uno atque eodem ordine. Similiter irrigans illas una quædam esto aquæ natura. Nihilominus eorum, quæ nutriuntur, proprietas in diversas humorem illum qualitates transmutat. Nam idem ille humor amarescit in absinthio, in liquorem vero letalem in cicuta transit, et aliud alii fit unus et idem, in croco, in balsamo, in papavere, quorum aliud quidem calefacit, aliud refrigerat, aliud vero mediam habet qualitatem. In lauro, in odorato junco, et aliis similibus aromata ferentibus in fragrantiam commutatur, in ficu et pyro dulcescit, per vitem in vinum et botrum mutatur, in pomo rubescit, in lilio albescit,

in viola fit cæruleus. Tale quiddam et in animato corporis horto mirabiliter a natura efficitur, imo vero a naturæ Domino. Ossa sunt hic, cartilagines, venæ, arteriæ, nervi, ligamina, carnes, cutis, arvina, pili, tonsillæ, ungues, oculi, nares, aures, et præter hæc infinita quædam alia, inter se diversa, cum sit unica nutrimenti species, qua omnia convenienter pro sua natura nutriuntur, ita ut unicuique subjectorum applicata alimenta, in ejus naturam mutentur, ad quod deferuntur, ac propriam partis ejus proprietatem induant. Nam si ad oculum alimonia pervenerit, parti cernenti mixta, membranam oculi rigat. Et auditus partibus insidens, circumrotatur ad auditum. Et labra humectans, veluti pelliculas quasdam, non sinit ea siccari et exarescere. In osse durescit, in medulla mollescit, in nervo roboratur, in superficie una extenditur, in unguem desinit, in capilli generatione per humores convenientes attenuatur. Ac siquidem per tortuosos meatus fiat evaporatio, crispiores implicatosque crines efficit : si vero per rectos et teneriores, simplices et extentos instar fili, per evaporationes in capillos commutato illo humore, qui ex cibis residet. Si vero per calidiores cordis et jecinoris partes evaporationes in caput exhalant, calvitium fieri solet, ob frigoris defectum. Superante namque calore, exsiccari constat, ac defluere crines. Enimvero res opportuna et suavis, et admiratione digna, omnique prædicatione fuerit, nostrum hic nos Dominum et gubernatorem celebrare, ac una cum Davide divino vate canere : « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Cuncta » sapienter fecisti[1]. Quis enim possit eloqui potentias Do» mini? Aut quis enarrabit[2] ? » Quis assequetur sermo, ut hæc exprimat? Quomodo enim ex iis quæ diversæ substantiæ sunt, et inter se differunt, unam naturam nostram condidit? neque refugit alterum ab alterius communione

[1] Psal. xci, 6, et ciii, 24. — [2] Id. cv, 2.

vel unione, ante positos a te unicuique vitæ terminos, sed ad finem usque natura immortalis cum mortali degit : rursusque longum valedicit conjunctæ corpori, obediens imperio separationis. Quis vero non obstupescat, ex pulvere facta videns tot membra partesque corporis, convenientia inter se ossa, vertebris et juctarum tornis inter se commissa, quæ veluti carnium adminicula fulcraque sunt, et ad omnem habilia motum, quasique ad unam sita lineam, ut quæcumque parum sunt rationi consentanea removeant? Sunt item membra cum membris velut in æquilibrio posita; dextera manus pari longitudine cum læva, digitus cum digito, planta cum planta, pes cum pede, itidemque comparata sunt alia singula. Sed est operæ pretium ut ad verticem nostræ creationis oratione recurramus, inde ad pedes et talaria devenientes. Quin ab ipsa jam, si fieri queat, anima ordiamur. Considera igitur, obsecro, te ipsum, et neminis adhibens expositionem, qua de totius universitatis opificio conditorem investiges, in temetipso, velut in parvo mundo, ineffabilem Dei sapientiam perspicies. Atque ante omnia incorporeum esse mihi considera Deum, ex tua ipsius incorporea anima : nullo circumscriptum loco, siquidem neque mens nostra prius habet localem circumscriptionem, sed per corporis conjunctionem in loco est. Eamdem inaspectabilem esse fateberis ex eadem imagine ratiocinatione ducta : sese non subjicientem carnis oculis, non colore, non forma, neque alia quadam corporali figura expressam, sed efficacitate sua, eaque sola cognitam. Quapropter ne in Deo quidem eam, quæ fit per oculos, considerationem ipsius naturæ quærito, nisi quatenus per obscuram quamdam ulterius progrediare demissionem, et ita quidem, ut non fiat hoc extra velamentum aliquod. Neque enim ab ipsis quidem Cherubim ratione naturæ cernitur, objectione alarum obumbrantibus, faciem, propterea quod ejus ipsi non sint capaces. Proinde

menti et fidei permissa consideratione, Dei contemplator eris, videns tantum, quantum recesseris ab hac crassa vitæ ratione, et ad spiritualem accesseris, admiratus ipsius sapientiam. Quomodo videlicet animam inserat corpori, usque ad extremitates ejus extendens ipsam, et plurimum inter se dissidentia membra ad unam quasi conspirationem ac societatem ducens. Considera mihi, quodnam ab anima carni insit robur, et quænam a carne ad animam reflectatur affectio mutua. Quomodo quasi suum efficiat ex incorporea vita corpus, et particeps dolorum ex corpore fiat, ipsa corporis expers. Quomodo hoc læso, illa clamet. Quomodo illa feliciter agente, corpus vegetum sit, et pulchrius evadat. O præclaram conjunctionem, o admirabilem unionem, o sapientiam ejus qui univit! Quis enim eloqui queat, quales penus quasique conditoria disciplinarum ea fabricaverit, ne obscurentur vetera per cognitionem eorum, quæ præter illa reperiuntur : neve arceantur aliquo septo eorum quæ quotidie audiuntur, quominus exponat hodie quis ante quinquaginta annos auditum sermonem, sed distinctas et inconfusas servari recordationes institutionis, velut in saxo sculptas? Quomodo ad carnales recidens affectus, propriæ pulchritudinis florem amittat : et vice versa, profectam a vitiositate turpitudinem virtuti repurgans, recurrat ad similitudinem creatoris. Inquit enim ipse in Evangelio : « Amen dico vobis, si duo super terram consenserint in » idem[1]. » Animam indicans et corpus, dominam et famulam, « Si consenserint in idem : » caro quidem serviens, anima autem in virtute progressus faciens, ne nimia austeritate depressa gravetur et laboribus renuntiet famula : neque vice versa ad vitiosas affectiones et voluptatem per hanc dejiciatur domina : sed ut cum consensu pari virtutis regula

[1] Matth. xviii, 19.

inter sese currant una, seque comitentur. « Nam si consen-» serint ista duo : » nempe anima et corpus, « de quocumque » rogaverint, continget eis, » inquit Dominus : siquidem ab ipso petierimus, bona videlicet, contingent. Si vero per negligentiorem et pravis affectibus obnoxiam vitam ad diabolum recesserimus : id quod mihi videtur esse petitio qua quis ei tributarius fiat : omnino perplexum habebunt et difficilem exitum instituta nostra.

Proinde attingamus, si ita videtur, etiam corporis opificium et articulatam commissuram, admirantes sapientem architectum universi Deum : quo pacto conveniens et aptum hospitium animæ rationali optimus artifex ædificaverit, et solum inter ea, quæ cœlo subjecta sunt animalia, erectum hominem produxerit, per ipsam docens formam, ex cognatione superna nos vitam habere. Nam expertia rationis omnia deorsum ventrem versus se inclinant, hominibus autem solis a natura data et expedita contingit ad cœlum suspectio, ne sit voluptati deditus, neque deorsum per vitia vergat, sed ut erectus sit, et ad superna spectanda moveatur. Deinde caput velut in colle corporis ponens, in eo pretiosas sensuum sedes collocavit. Cerebrum ne quidem implere calicem vacuum posse plerique putant, cui tamen sapientia et prudentia opificis est credita Dei, qui consilio et prudentia fabricavit universa. Quod autem maximum quiddam ad vitam emolumentum afferat cerebrum, evidenter si quid adversum accidat, ostendit. Nam si vulnere vel ruptura continens ipsum membrana lædatur, mox e vulnere sequitur præsens mors, ne quidem ad momentum temporis dolori resistente natura, quemadmodum in subterraneis structuris, aut in balneorum tectis, qui totum continet ædificii, unus est summus lapis, infixus ipso tholo, quem cuneum opifices ædium appellant, quo perfracto vel revulso, illico concussum est totum. Labo-

rant maxima luminaria sol et luna, cœlestes plagas intra diem et noctem percurrentia. Mens autem nostra in puncto, in momento oculi una cum inferis creatis ambit et ultramundana, cursu in ipsis indefesso discurrens, velutique latens latenter latentia circumspectans. Parvi et imbecilles videntur pili, verum et ipsi ad venustatem cuti capitis innati sunt, arcentes lenioribus ventis animalia minutiora calvis infesta, qui propterea semper manus suas ad arcendum ea movent. Quinetiam hyemis frigori et solis ardori pili resistunt, veluti nemus quoddam vel densa sylva partem subjectam obumbrantes, et imbrem excipientes. Oculi excelsissimam speculam sortiti sunt, cumque duo tantum sint, nihilominus omnem cernunt mundi hujus ornatum, ita ut ipsis nihil rerum corporearum officiat, sed sub parvo superciliorum propugnaculo constituti, ex eminentia superiore directo extenduntur, et velut acubus aut fibulis, nempe spinis minuta animalia excutiunt, et continuo palpebrarum motu pupillas conservant, ardorem solis quasi ventilatione quadam mitigantes. Eædem cum sint tanquam a calentibus usurpata, oculorum velamina deflectunt intemperantiæ lasciviæque mortem, de qua Hieremias inter divinos Vates multa pericula perpessus contestans, ait: « Ascendit per fenestras mors[1]. » Non enim modo corpus intactum, sed et oculorum radii servandi sunt incorrupti, neque ipsis ullo modo permittendum, ut impudenter irruant, et in alienæ pulchritudinis formas involent, ne ab aspectu ad ipsum actum ruamus. Nam secundum Domini sermonem, « Qui inspexerit mulierem ad concu» piscendum eam, jam adulterium cum ipsa commisit in » corde suo[2]. » Quapropter virgines esse debent oculorum pupulæ, quæ idem cum virginibus nominis ornamentum sortitæ sunt. Sæpenumero enim quæ intra palpebras virgo

[1] Jerem. IX, 21. — [2] Matth. V, 28.

erat pupilla, per ipsarum diductionem vagumque motum suum, nutus et cogitatio scortationis facta est.

Exiguum quiddam inter omnia membra nostra est auris. Sed et istas exornat vicinum cymbalum, eisque solis inter creata cætera Dei mysteria creduntur. Estque auris tota in rotundum sinuoseque tornata, ne citius ingrediatur sermo, sed spatio longioris temporis imminutus, per ipsam excavationem prohibeat, quominus ad imum materia mendacii penetret, sed una cum maledicentiæ stercoribus in partibus remaneat. Nam virtutis quidem est in eo qui loquitur, non dicere falsa : in eo qui audit, probare quomodo quælibet dicta videantur, num quid affectus vel amici vel repugnantis admixtum sit. Nam alter quidem non cernit acutum, alter autem prorsus non videt. Quod si alterutro horum defectuum ratio corrupta est, judicio mentis quod in nobis est puniri et a pravitate repurgari debet per veritatem, quæ tortoris officio fungatur. Hoc enim docens de divino et fortissimo athleta Jobo historia inquit : « Mens quidem et auris verba dijudicat : guttur autem es» cas gustat [1]. » Cum hoc autem consentiens divinorum ille Carminum auctor Davides inquit : « Eum qui clanculum » mentiebatur de proximo suo, persequebar [2]. » Ipse autem universitatis hujusce Deus, servorum obsignans verba in Evangelio inquit : « Estote nummularii probi, dijudicantes » a bono quod adulterinum est (13). » Non ut instar nummulariorum sonum explorando excipiamus, sed ut ponderantes pronuntiata illorum, qui colloquuntur, et eventus, factorum, ad justam potius propendeamus trutinam. Aurium enim et linguarum magnum quoddam periculum est : cum exiguum sit membrum lingua, mendacii et veritatis, vel potius salutis et per ditionis est officina. « Lingua mea » calamus scribæ velociter scribentis [3], » et, « Lingua mea

[1] Job. XII, 11. — [2] Psal. C, 5. — [3] Psal. XLIV, 2.

» loquetur justitiam[1], » inquit divinorum auctor Carminum; et rursus, « Linguis suis dolose agebant[2] : » et « Lingua eo- » rum sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum[3]. » Assentitur et patri divinarum rerum peritus Salomon his verbis : « Vita enim et mors in manu linguæ[4] : » quasi pro manu sermonem, pro gladio dolum, homicidam in medium producat Deus, in eodem loco ac numero homicidam et dolosum ponit, quemadmodum et magni Davidis ore dixit : « Virum sanguinum abominabitur Dominus[5]. » Quem vero censet abominandum Deus, is plane supplicio mulctandus est. Quemadmodum et ferrum abjectum, a rubigine exesum, et lignum aut vestis quæ abominanda sunt domino suo, a sordibus quibus scatent, absumuntur : aut, quemadmodum domus, quod inquilino sit destituta particulatim destruitur. Pari ratione mihi videtur et mortalis, qui abominationi est Deo ex aversione divina malis oppressus quibus inquinatus est, puniri, cum in eos sententia lata fuerit illa qui audient : « Discedite a me, ma- » ledicti in ignem æternum[6], » qui pro meritis eorum, quæ admiserint, peccatorum plectentur. Tum vero alios quidem tanquam in paleas incidens carbo perpurgat et exurit in perpetuum neque corrumpens, neque corrupta, propterea quod ex sepulcris nos incorruptibiles exurgemus. Justi autem in securitate ac requie, omni libertate donati permanent in perpetuum immortales. Qui vero se peccatis obstrinxerunt, dum suppliciis puniuntur æternis, nec corrumpuntur nec intereunt, sed in designatis locis super sortes permanent, mœrentes, in angustias redacti, tristes, dolentes, lamentantes, excruciati, lugentes, afflicti, ululantes, vexati, nihil deinceps agere valentes, qui præsens pœnitentiæ tempus rejecerunt, qui pauperibus facultates

[1] Psal. xxxiv, 32. — [2] Id. xiii, 3. — [3] Id. cxxxix, 4. — [4] Prov. xviii, 21. — [5] Psal. v, 7. — [6] Matth. xxv, 41.

suas, sibi vero divinæ misericordiæ viscera occluserunt : « Judicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit mi- » sericordiam [1], » inquit divina Vox : alios autem et tenebræ in exterioribus vexant locis, ex sententia quæ reos flagellat et exagitat, prout historia de Ægyptiis nos edocet [2] : dum una quidem fertur a Deo sententia, sed ad propositum tamen ac meritum eorum qui audiunt accommodatur. Nam Ægyptios quidem in Pharaone castigat : Israëlitas autem Moysi conservat incolumes ; siquidem illis Nilum rubro colore perfusum in sanguinem vertit, ut siti punirentur : his vero integram aquæ naturam illibatamque servavit. Illis quidem lucem divinam in tenebras mutavit palpabiles, his vero intra limites suos lucem conservavit. Illis Erythræum mare ut transiri posset, in continentem convertit : his vero rursus coalescens illud objecit, ut in illud ingressi fluctibus immersi perierint. Pari ratione in fornace quoque Babylonica cum una sententia operaretur, tres quidem Hebræi pueri tanquam in medio rore in flamma tripudiabant, et hymnos canebant [3] : at qui eam materia injecta fovebant, et ad altitudinem quadraginta novem cubitorum evehebant, confestim ab ipsa combusti atque in cineres sunt redacti. Eodem pacto scimus terram divino parentem mandato diductam et hiantem Dathan et Abiron in pœnam absorptos excepisse [4] ; cæteros autem innoxios more solito eodem loco, eadem die atque eadem hora sustentasse. Sic et miserum Caïn sententia divina in ejus insidens aures punivit dicens : « Gemens ac tremens » eris super terram [5] : » Et statim res ipsa verba secuta est, eumque instabili tremore ac lugubri gemitu ex intimo corde atque unguibus ducto primum homicidam in mundo fratrisque percussorem punivit; nec tamen e medio sus-

[1] Jacob. II, 13. — [2] Exod. VII, 20. — [3] Dan. III, 20. — [4] Num. XXVI, 9. — [5] Gen. IV, 12.

tulit, quamvis mori percuperet, et exclamaret : « Et erit, » omnis qui invenerit me, occidet me. » Cui respondens pronuntiavit Deus : « Non sic : etenim signum posui su- » per te, ne occidat te omnis qui te invenerit [1]. »

Timeamus igitur vindicem illum ignem tormentorum, et vermem, et tenebras, quæ ne Sanctis quidem parcunt, quorum fuerit vita in sæculo contaminata. Sic enim per Ezechielem inquit Deus : « Transite, et percutite, et a » Sanctis meis incipite [2]. Si ergo justus vix salvatur, impius » et peccator ubi parebunt [3] ? » inquit divinarum rerum peritus Salomon, ut ab incuria nos eximat. Ne igitur cu- ram nostri objiciamus baptismo freti, nec propter sacro- rum participationem mysteriorum leviori nos supplicio tunc puniendos arbitremur. Nihil enim nobis illic ea pro- derunt, quæ hic contumeliose tractavimus, ac temere præ- ter dignitatem participavimus. « Qui enim manducat et bibit » indigne Dei Verbi potiones, in judicium sibi manducat » et bibit [4], » inquit sublimis Apostolus; et idem rursus : « Circumcisio quidem proderit, si legem observes; si au- » tem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium » facta est [5], » qui minime pro dignitate ipsius vixeris. Idem- que rursus : « Non auditores legis, sed factores legis a Deo » justificabuntur [6]. » Omnibus igitur, qui eruditione aliqua vel leviter tincti sint, manifestum est a circumcisione baptismum tanquam a figura fuisse adumbratum : ac legis loco veneranda nobis fidelibus Evangelia tradita esse, quod confirmans in Evangeliis Dominus, ait : « Amen dico » vobis, non omnes qui dicunt mihi : Domine, Domine, » intrabunt in regnum cœlorum; sed qui faciunt voluntatem » meam. Multi enim mihi dicent in illa die : Domine, nonne » in nomine tuo dæmonia ejecimus, et morbos sanavimus?

[1] Gen. IV, 14. — [2] Ezech. IX, 6. — [3] 1 Petr. IV, 18, et Prov. XI, 31. — [4] 1 Cor. XI, 29. — [5] Rom. II, 25. — [6] Ibid. 13.

» Et dicam illis : Nescio vos ; discedite a me, maledicti, » operarii iniquitatis in ignem æternum, qui paratus est » diabolo et angelis ejus [1]. »

Pares autem Christiani etiam plurimi fidelium mihi videntur esse inter quos plane sit etiam Judas apostolus, qui et signa fecit, et infirmos sanavit, prius quam adversus Christum universorum Deum furiose debaccharetur. Sed et Simon ille, qui a Petro et Paulo pulsus fuit, et plurimi Galatarum, qui post quam signa, et prodigia, et sanationes edidissent, ac vaticinandi dona consecuti fuissent, rursus sub errorem sunt reversi, pristinæ improbitati adhærentes, quibus scribens eximius ille terræ totius subjectæ soli doctor inquit : « O stulti Galatæ, quis vos fascinavit [2] ? Currebatis » bene, quis vos impedivit, ne crederetis veritati [3] ? » Tales, quemadmodum ante dixi, mihi videntur nihil ex baptismo utilitatis habituri, etiamsi Christo judici dicturi sint : « Domine, non in tuo nomine prodigia fecimus, et dæmonia » ejecimus, et infirmos sanavimus ? » quibus letale, et terribile, et luctus plenum responsum jam dedit Christus, a quo per misericordiam suam nos omnes vindicet, per inculpatos sanctos suos pro nobis exoratus. « Impii enim » in judicio non resurgent [4], » inquit Davides, divinorum Carminum auctor. Cum hoc autem consentiens eximius inter Vates Esaïas inquit : « Auferatur impius, ne videat glo- » riam Domini [5]. » Quæ confirmans divus Paulus, ait : « Quicumque absque lege peccaverunt, etiam absque lege » peribunt [6], » videlicet penitus eos deserente Deo et aversante ipsos, et supplicio nullis sæculorum terminis finiendo afficiente. Idem et Prophetæ indicant, ad judicium non sistendos resurgentes impios, sed ad condemnationem illico abducendos una cum principe suo diabolo. Neque enim hujus etiam vitæ leges manifestum homicidam vel

[1] Matth. VII, 20-22. — [2] Galat. III, 6. — [3] Id. V, 7. — [4] Psal. I, 5. — [5] Isaï. XXVI, 10. juxta LXX. — [6] Rom. I, 12.

adulterum, postquam ex carcere arcessitus est, longa oratione damnant in conspectu formidabilis cœtus, quem ejus exemplo castigant. Cum enim unum membrum resecatur aut uritur in corpore, totum cum parte concutitur et condolet. Et aliquotics uno cæso flagris famulo, tota famulorum cohors extimescens, emendationem sibi pollicetur in animo, et quod tangere nolit res interdictas, propter quas ille tam tristibus flagris undique conscissus sit, divinitus immissa ira ad judicium pertractus. Tale quid scias geri a Deo in populosa civitate, cum una familia supplicio afficitur, quæ delictorum pœnam luit, ad castigationem et correctionem cæterorum civium, et civitatum omnium. « Impiis enim cadentibus, timor incutitur justis, » inquit divinarum rerum peritus ille Salomon.

Quod autem nihil inevitabili et incorrupto illo judicio profuturum sit sacrum baptisma iis, qui hic per pessimam vivendi rationem contumelia affecerunt, et indigne cognomine Christi vixerunt, de eximio Apostolo dilucidius, quam ex iis quæ dicta sunt hactenus, discimus, diserte clamante : » Qui aspernatus fuerit legem Mosis, per duos tresve testes » convictus absque ulla misericordia moritur : multo ma- » gis pejore dignus habebitur supplicio, qui Filium Dei con- » culcaverit, et sanguinem testamenti ceu rem profanam » habuerit [1]. » Conculcat autem Dei Filium et Verbum Dei, qui mystica ejus pocula intrepide manibus rapacibus et adversus proximum elevatis sumit, veluti communem panem et vinum reputans, quæ in fidelibus mentis oculis sunt ipse Deus. « Vivus enim est sermo Dei, et efficax, et pe- » netrantior quovis gladio utrinque incidente, et pertingens » usque ad divisionem animæ et corporis, compagumque » et medullarum, et discretor cogitationum et mentis » conceptorum [2], » quemadmodum ipse per Paulum in-

[1] Hebr. x, 28, 29. — [2] Id. IV, 12.

quit. Nam neutro modo perit, etiamsi partim clavis configatur, partim fluat. Nec item absumitur, cum perinde ut aër ab omnibus percipiatur, et nihilominus maneat Deus idem, haud imminutus. Verba autem Pauli Dominus obsignans, et pari cum incredulis supplicio afficiendos ostendens, qui nomine quidem Christiani, revera mali sunt, et per temulentiam negligunt salutem suam, inquit in Evangelio : « Si dixerit in corde suo servus ille : Cunctatur do» minus meus venire, simulque cœperit percutere conservos, » et edere atque bibere cum conservis ebriis : Amen dico » vobis, veniet dominus servi illius die quo non expectat, » et hora qua ignorat, et dissecabit eum, et ponet partem » ipsius cum incredulis [2]. » Dissecari servum non corporaliter intelligamus, (nam imperitum hoc foret, ac ridiculum) sed per spoliationem spiritualium donorum et baptismatis, et erga ipsum libertatis, dissecari a Domino damnandos intelligamus. Non enim fieri potest, ut qui Christo adhærent, ac veluti milites illius obsignati signaculo sunt, et zona militiæ ipsius cincti, puniantur, nisi prius illis spoliati sint. Quemadmodum et præsentes hodie leges docent, reos milites non prius affici debere supplicio, quam illis zona sit adempta, quo significatur symbolo militiæ ipsis ablato, more privatorum a carnifice puniri posse. Evidentiore vero similitudine utens, quid hæc divina dissectio sit, ostendam. Nam qui sublime solium Christi administrant pontifices, si in aliquo lapsu sit consecratorum quispiam in ipsorum cœtu, non prius ipsum pœnis subjiciunt, quam divinis a sacris eum removerint, et illorum privatus sit symbolis. Eo pacto spoliatum pro una ex laïcis habent. Per quam ademptionem indicatur dissectio de qua dictum est, et per connumerationem ejus cum gregariis et vilibus, portio cum incredulis declaratur. Id quod

[2] Luc. XII. 45, 46.

et Davides Carminum ille divinorum auctor longe ante innuit, ita testificans : « Vota facite, et reddite Domino » Deo nostro : omnes in circuitu ejus dona afferant terri- » bili, et auferenti spiritus magnatum [1]. »

Nolim vero quisquam arbitretur de animarum ablatione carmen illud accipiendum esse. Non enim gubernantium modo, sed et eorum qui gubernantur, et dominorum, et servorum plane ipse indit et aufert animales spiritus. Nimirum dicitur de anima, imo de spiritualibus donis, et de baptismate. Magnates vero mihi videntur esse ac domini infidelium fideles, a Dei Verbo, quod erat in principio, id consecuti, ut dominentur etiam ipsis dæmonibus. Nihil enim isti ab illis habebunt discriminis, eodem consensu adversantes Deo et Christianos oppugnantes. Quos ut imperio premant et proculcent, divinus ille Davides multo ante precibus a Deo verbis hisce contendit : « Constitues » ipsos principes super universam terram. Memor ero no- » minis tui in omni generatione et generatione [2]. » Exaudito autem Vate, Deus Verbum deinceps homo factus Vati similis in mundum venit, et sancte prædicans in Evangelio inquit ad nos : « Confidite, ego sum qui vici mundum [3]. » Item, « Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpen- » tes, et scorpiones, et super omnem potestatem inimici [4]. » Quæ quidem est omnis hæresis. « In omni generatione et » generatione memores sumus nominis Christi, » principes adversariorum et Domini ab illo constituti per baptismum, et per Spiritum sanctum in baptismo nobis datum, quæ quidem duo, virtutis ex præscripto vivendo, honorare studeamus, nulla labe vel macula per impuram vivendi rationem ipsa aspergentes, ne quando judicans nos Jesus dissecet, et cum subjectis incredulis perdat æterno igni,

[1] Psal. LXXV, 12, 13. — [2] Id. XLIV, 17, 18. — [3] Joan. XVI, 33. — [4] Luc. X.

ablato spirituali dono et baptismate. Non ut cuidam vano nugatori videtur (14), aures quidem mulcenti, sed non nutrienti animas, quod finem sit habiturum peccatorum supplicium, propterea quod simpliciter tantum æternum dixerit Dominus ignem supplicii, non æternum in æternitates. Non enim propterea quod inquit Vates, : « In æternum Do- » mine, Verbum tuum permanet in cœlo[1] : » Ideo aliquo usque Deum et Verbum in cœlo esse intelligamus, post sæculum autem cœlis egredi. Et iterum inquit idem : « Veritas Domini manet in æternum [2]. » Num igitur post aliquem temporis progressum non erit verax Dominus, secundum dementiam ejus, qui ab ira cognominatus est? Etiam ipse in Evangelio inquit ad sanctos suos Apostolos : « Equidem vobiscum sum usque ad consummationem sæ- » culi [3]. » Num igitur ad tempus modo cum suis sanctis ipsum fore suspicabimur? an potius æternum et absque fine? Quomodo vero non est extremæ insaniæ, terminum æternitatis constituere, et eo usque pœnis excruciatum diabolum una cum adjunctis sibi flagitiosis hominibus dicere deinceps a cruciatibus liberandum, nec amplius puniendum? Contrarium enim prorsus eveniet justis, post quam ad aliquod sæculum beate vixerint, ut in securitate rursus moriantur, vel aliquid patiantur, nempe peracto suo sæculo. Nam hos quidem in vitam æternam, illos autem ad æternum supplicium abituros judex pronuntiat. Necesse igitur est, ut peracto illorum supplicio, terminetur et horum vita, quemadmodum volant homines vera vita privati, qui mânus vinctorum solvunt, ac futurum supplicii finem prædicando animos eorum effecerunt.

Verum ab iis, quæ orationi nostræ proposita erant, impetu quasi quodam sermonis nos abripiente digressi, ad eamdem celeri cursu redeamus. Aurium videlicet lin-

[1] Psal. cxviii, 89. — [2] Id. cxvi, 2. — [3] Matth. xxvii, 20.

guarumque magnum periculum est. Quapropter et linguam sub duobus labiis custodiri Deus sapienter instituit, intra dentium firmamentum ipsam constringens, ut tam accurata adhibita custodia a facili motu cohiberetur. Nam cum in humido sita sit, aliquando quidem maledicendo fœtorem movet, aliquando vero benedicendo scaturit, hymnorum concentum offerens Deo. Cum Davide igitur canere debemus : « Pone, Domine, custodiam ori meo, et » ostium munitum circum labia mea [1]. » Quippe cum tenera sit et volubilis, faciles habet in voce deflexiones, ab omni voce ipsa differens. Garrula enim est hirundo, et perpetuum strepit. Dulce vero quiddam turtur sonat, et solitudinis est amans. Cicada sonum exilem, veluti per fistulam edit. Clangit voce grus, columba murmurat, ursa suspirat et vocem mollem habet, mugiens taurus instar tubæ : leo rugitu suo solitudinem concutit : allicit ad se vitulum mugiens juvenca : crocitantes clamores corvi populum perturbantes emittunt : carmen luctuosum bubonis est, nuptiale vero tibia sonat, mortiferum tuba, saltatorium lyra, tripudiatorium tympanum. Omnia vero in universum a dulcisona hominum voce superantur. Ubi enim in ipsis est nostræ linguæ significantia, vel perspicuitas, vel accuratus ille sonus, vel concinnitas, vel suavitas? Hirundines columbarum murmur gemebundum non intelligunt, neque grues anserum, neque noctua seleucidis, aut alcyonis, aut pavonis : neque reliqua animantia bruta voces alienigenas norunt, sed neque nos illas interpretari vel declarare possumus. Quis enim sciet quid leo significet rugiens, quid idem taurus mugiens, quid vero balantes inter hœdos oves? Omnia vero hominum facundiæ cognoscunt significantiam. Vocantibus enim pastoribus, accedunt oves, minantibus autem rursus secedunt.

[1] Psal. CXL, 3.

Caprario clangente, hirci a frugibus resiliunt, et ex arvis declinant : similiter equus, et mulus, et asellus, quando ad dextram quidem, aut quando ad sinistram eundum est, humana lingua instruuntur. Canes autem ad latratum prosilientes, si inclamet herus, extimescunt, et illico ad quiescendum sedantur. Considera vero mihi bovem et suem errantem, ac voce pastoris ab errore recurrentem. Aliquoties etiam canis capreæ insistens cursu, post quam longius a venatore recesserit, si fistulæ sibilum eminus audiverit, latratu vicissim respondet, invocans auxilium ejus a quo fuit emissus. Aspice vero et columbarum convolatus, quomodo fistulæ sibilo audito ejus, qui eas possidet, instar nubis ad columbarias turres devolent. Omne item instrumentum musicum ad linguæ nostræ sonos percussione manus aptatur. Estque vere admirabile, quomodo cum tam parva sit atque tenera, duplicem tamen facultatem habeat, gustandi nimirum habitu, et discernendi tum natura tum disciplina, idque per sapientiam ejus, qui ipsam creavit, ad omnem sufficiens sermonis motum et gustum. Qui vero per eam non peccat, « Is vir mag» nus est, qui potest quasi freno cohibere etiam totum cor» pus [1], » inquit scribens ad quoslibet sub sole divus ille Jacobus. Dentes quidem una cum illa cooperantur ad sermonis scitam pronuntiationem, firmam illi præbentes ad sermonem exprimendum repercussionem, veluti si plectrum chordis citharæ allidatur. Simul autem et cibi ministri sunt : alii quidem incidentes, alii vero attenuantes. Atque incisionis quidem priores sunt, molares autem interiores, sic appelati apto vocabulo, quod extenuent et comminuant ingesta. Nasus autem inter genas medium tenens, attrahit et reddit aëra, derivans ex capite liquorem, et bonum quidem odorem attrahens, contrarium autem re-

[1] Jacob. III, 2.

jiciens. Prima vero barba genas tegit, quando puerilem et infirmam ætatem cum robusta permutamus, ad ea quæ ad vitæ necessitatem pertinent animum adjicientes, innuente (ut arbitror) natura, eo tantum usque hominem crescere, et inde labores capessere.

Tempestivum proinde, ut cum Davide canamus: «Quam »valde magnifica sunt opera tua, Domine! Omnia in sa»pientia fecisti [1]. »In capite usque adeo parvo omnes præstantiores sensus nostros collocans: visum, auditum, gustum, olfactum, prope inter se confines ædificans, utque neuter illorum operatione sua vicino sibi officiat. Neque item præter hos alii nobis sunt, præter tactum manus. Agilis cervix est, et proportione congruens, per quam et cœlum versus spectat homo, imago illa erectæ faciei veluti columnæ innitente capite, quod conveniente quadam ratione per cooperationem cervicis sese vel demittit, vel sursum levat. Quinque dexteræ manui, totidemque sinistræ digiti sunt, quibus et terram secamus, e montibus metalla effodimus, fontes haurimus, flumina dirigimus. Per ipsos funibus et lignis navigamus abyssum, ex opposito flatus vela navis subducimus, et gubernacula dirigimus. Indomitas feras capimus vivas et cicuramus, cetos ipsos capimus, colles et montes magnitudine æquantes, et aspectu terribiles. Aëra per eosdem quasi vindemiamus, calamis visci viventes in aëre volucres capientes. Ignem etiam adeo vehementem impetu, terribilem tactu, populabundum et violentum motu, nostro proposito servire cogimus, et ad uniuscujusque voluntatem se accommodare. Per hos et civitates extruimus, et propugnaculis murisque communimus, fundis et arcubus, et aliis ad defendendum idoneis armis instruimus. Parvum quidem, et rotundum articuloque carens cordis est organum, in ipso

[1] Psal. CIII, 24.

tamen et cerebro, de Deo, Angelis et Archangelis, cœlo, terra, mari, et de omni in universum creatura deliberamus, veluti promus aut custos vitalis in nobis causæ et roboris sit spiritus, qui circa cor est. Cor quidem certe fontem aliquem et principium nostræ vitæ post Deum esse putamus, a quo meatus fistulis consimiles multipliciter alius per alium ductus, universo corpori calidum et igneum spiritum diffundunt. Quia autem omnino et nutrimentum aliquod oportuit adesse calori a natura : (non enim per semetipsum manet ignis qui nobis inest, nisi vicissim nutriatur) ideo et sanguinis fistulæ, velut ex aliquo fonte ab hepate promanantes, calidum illum spiritum per totum corpus comitantur, ne alterum altero destitutum, naturam vitio accidente corrumpat.

Quoniam vero solum omnis indigentiæ expers est divinum illud Numen, egestas autem mortalis aliunde assumptus indiget ad sui constitutionem : idcirco cum sanguinis fons sit hepar, nutrimenti subsidium ei necessarium est. Quod enim per id nobis ingestum est, sanguinis ex hepate scaturiginem reddit. Quemadmodum in monte nix, proprio humore fontes ad montis radices auget, per profundum sensim proprium humorem ad inferiores venas deprimens. Spiritus autem cordi per proximum infertur viscus, quod pulmonis quidem viscus appellatur, aëris autem receptaculum est, per insertam arteriam ad os pertingentem externum spiritum respirando attrahens. Atque hujus in medio cor involutum, semper movetur, consimiliter ut est ignis natura, quale quid in officinis ærariis videas, ex adjacente pulmone spiritum ad se trahens, impletisque per diductionem sui cavitatibus, calorem suum arteriis vicinis præbens, perpetuo motu efflat, partim extrinsecus aliquid per sui diductionem in proprias concavitates attrahens, partim ex se per compressionem in arte-

rias excernens, ac velut in fornace per calorem naturalem colliquationem quamdam et coctionem efficiens, tanquam ex aliquo fusorio vase ad cæteros meatus materiem transfundit. Postquam autem crassum a tenui discrevit, quidquid crassius est in intestina repellit, tenuia vero et a sordibus secreta ad portas heparis defert. Ebulliens autem illud calore, humidum intus deponit, et quod igni cognatum est, in sanguinem rubeo infectum colore mutat. Quæ autem vim mediam quamdam habent, ea per quamdam mixturam temperaturamque unita corpori, nutriunt atque conservant per evaporationes cerebrum, a quo rursum purius ac subtilius attenuata digestaque illa exhalatio, sublinit continentem cerebrum membranam, quæ superne ad inferiora instar fistulæ sese spargens, per conjunctas ordine sibi spinæ vertebras, semetipsam et contentam in se medullam perducens in verenda desinit, estque omnibus ossium et compagum commissuris musculorumque principiis, veluti gubernatrix quædam, indens singulis motum atque quietem.

Sed ad propositum revertamur. Quoniam quam maxime præcipuum et necessarium vitæ nostræ membrum cor est, ideo præ omnibus nostris organis cum primis ipsum communivit opifex, robustioribus circumquaque munitionibus ipso in tuto collocato, et septo circumdato : retro quidem dorso et humerorum scapulis, ab utroque vero latere costarum situ et complexu, ne medium facile aliquid patiatur, effecit. Ab anteriore autem parte pectus et clavis juncturam præposuit, undique adhibita custodia, quæ ab externis perturbationibus tutum redderetur. Peculiariter autem et de pulmonis natura paucis differamus. Est hic pectori apte conjunctus, recurvus et mollis, et admodum rarus et specie parum elegans, omnesque circuitus suos veluti per ostia quædam exeuntes habens ad arteriæ fun-

dum, cogens et constringens in sinibus spiritum relictum, quem necessario comprimens emittit. Cum rursus autem explicat semet, ac aperitur, violenter aëra attrahit ad id quod movetur, et assiduo motu circum cor agitatus, inflammationem et fervorum ejus ventilatione sua propellit. Quemadmodum enim flamma respiratione carens proprio fumo extinguitur, ita et animal non perflans pulmone ignem cordis emoritur. Igitur cum pulmo circum cor agitatur, et levibus auris ipsum demulcet, vegetum et robustum animal efficit. In ipso enim, et quidem solo vitalis causa mihi videtur sita esse. Jecur autem et ipsum calidum, ad eorum quæ ingeruntur, concoctionem et sanguinis effectionem, in dextra cordi adjunctum est parte. Quo nimium refrigerato, in facie fit illico quædam mutatio accedente paulatim spasmo et debilitate. Sinistræ vero parti splen inest, sanguinem subtrahens, et discernens id quod crassius a sanguine : qui si dulcior fiat, inflatur et incenditur, terminos suos transgrediens, et obstruens meatus carnosum quidem hominem apparere facit, pallorem tamen, et paulatim debilitatem secum affert. Præterea intestinorum convolutiones et nexus circa ventrem sunt, ut tortuoso ductu, temporis aliquo spatio detineatur in visceribus cibus, ne propter meatus rectitudinem facile et illico egestus, excitet animal et appetitum, a tali occupatione nunquam abducendum secundum naturam brutorum. Domicilia item ex membranis facta ad humorum gestationem opifex condidit, quæ per subtilissimos et aspectum fugientes meatus paulatim attrahunt humorem, ne subita exundatione et exsiccatione sitis insidietur animali, sed paulatim certa dispensatione quod haustum est, ad aliquod tempus retentum expellatur. Ad hæc crura nobis sunt articulis commissa, vertebris et juncturarum cavitatibus conjuncta, quasi columnæ ad ferenda onera, quibus toto

corpore innitimur. Atque his columnis capituli loco est genu, basis vero talus : suntque crura expedita et prompta ad omnem motum, adorationem et venerationem, cursum et saltus. Etiam pedes nobis callosiores omni alio superimposito corpore facti sunt, qui terram semper pulsaturi essent, ad incessum a digitis velut uncis adjuti, quos frigore vel alia jactura amittentes, ad gradiendum tardi efficimur.

Quænam autem exprimet oratio declaratam in membris nostris interioribus opificis sapientiam et potestatem? meatus et membraneas cavernas, venarum complexiones, nervorum intentiones, ossium firmitatem, vias atque semitas quasdam latenter distribuentes quæ ingeruntur, idque per solam quasi conspirationem membrorum totius corporis, item attractiones spiritus, aquæductus sanguinis, domicilium caloris, sedem frigoris, alia denique de quibus medicina commentata est, quorum explicationem iis relinquam, qui medicinam studiose didicerunt.

(*Hæc quoque non a Gregorio, sed ab alio quodam inserta sunt*).

SANCTI VIRI GREGORII NYSSENI

Locus ex eo capite quo tradit unam et eamdem existendi causam esse tam animæ quam corporis.

Quemadmodum de tritico dicimus, omnem potestate in spica formam ejus esse, herbam, calamum, medias juncturas, fructum, aristas, et nihil horum ratione naturæ vel prius esse, vel deinceps naturæ seminis accedere, sed ordine naturali ea quæ recensuimus, prodire; sic et humanam sationem comparatam esse dicimus, ita ut in ortus ejus principio simul ipsa naturæ vis seratur, quæ dein-

ceps explicetur, et patefiat per naturalem seriem, primo quidem Dei voluntate fundamento quasi jacto, deinde generationis causis accedentibus. Quemadmodum enim in eo, quod ad producendum hominem in officina naturæ deponitur, membra singula corporis cerni nequeunt ante factam formationem : ita neque animæ proprietates in eodem animadverti possunt, prius quam progrediantur in actum. Et quemadmodum impositum illud ex insita sibi vi facultateque in articulos et viscera formatur, sic et de anima intelligitur. Nam si forma hominis, qui producendus est, in eo potestate est, latet autem propter obscuritatem, ita rerum serie poscente : etiam anima in eo est, licet nunc quidem non appareat, apparebit autem una cum corporali incremento promovens. Quandoquidem autem vis quædam ex animato et vivente ad conceptionem egeritur, non putabis inanimum esse quod in vitam prodit : quemadmodum illud, quod in eo corporeum est, non carnem dicimus, nec ossa, nec pilos, et cætera, sed vi et potestate horum unumquodque esse : ita et de eo, quod ad animam pertinet, nondum vim rationalem, non affectus moventem, neque appetentem, et cætera, quæ ad animam pertinent, in illo dicimus esse, sed cum corporis opificio etiam animæ operationes augeri. Præcedit autem in hac prima ejus structura, augescens nutriensque facultas sola. Neque enim plus capit suscipientis exiguitas. Deinde in eo, qui in lucem prodiit, sentiendi beneficium viget, et in adultiore rationalis elucet facultas, non tota tamen confestim, sed cum organi perfectione crescit, quantum subjecti facultas ejus est capax. Constat igitur anima non carere, quod a vivente avulsum corpore ad animalis naturam impositum est in officinam naturæ.

Sciendum autem, quod si quidem hoc pacto se res ha-

bet, talem e viro fluxionem tum demum fieri, cum Deus hominem generari voluerit. Sin autem, inutiliter effluere, tametsi extraneorum quispiam hoc fortassis absurdum dicet. Volunt enim illi conferre aliquid fœminam ad vitalem procreationem ad id quod a viro excernitur, tanquam si causæ efficienti aliquam materiam præbeat, videlicet menstruorum aliquam humorum partem, veluti quoddam æs statuario. Nullum enim semen emittit mulier, sed inutilem quemdam humorem in locis muliebribus existentem. Est autem maris semen quasi opifex, et principium motus efficit, quemadmodum in coagulo videmus, quod lac cogit. Sic enim et semen in ventrem incidens, miscetur cum purissima fœminæ superfluitate. Quod autem in matrice existit, etiam dicunt animæ particeps esse, non illius quidem perfectæ, sed nutrientis. Quemadmodum enim plantas in terra, ita et fœtum vivere, radice utentem umbilico, per quem ex matrice attractio cibi fiat. In lucem autem egressus, etiam sentientem consequitur, crescensque cum corpore crescente augescit et rationalis ac intellectilis illa facultas animæ. Est enim in semine animæ particula quædam, quæ vitalis calor dicitur, conformis calori solis : siquidem ille vitalem vim habet, et vitalem fœtum generat. Formatur autem primum cor, quod et postremum interit. Similiter et reliqua interna ante externa disponuntur, et cum primis ea quæ sunt supra cincturam. Formatus autem in matrice homo, nasum quidem medium inter genua habet, oculos vero supra genua. Robustior autem fieri fœtus incipit, quando inhibita menstrua in uberibus in lac mutantur. Quo quidem tempore mox finem in mulieribus habent nauseæ et vomitus. Generatur autem mas, si percoctum est maris semen, unde juvenes et senes plerumque femellas procreant. Abundantiam autem vel defe tum fieri volunt in quibusdam partibus, propter ma-

teriæ defectum aut abundantiam. Seminis autem egestionem ex locis circa caput fieri manifestum ex eo est, quod eorum oculi cavantur, qui multum coëunt. Movetur etiam cum mente cogitationeque matrix, quemadmodum et veretrum viri. Aliquando item sponte gemelli generantur, per divisionem seminis in matrice : ac siquidem id percoctum fuerit, duo masculi : sin minus, diversum. Præterea per superfœtationem generantur, unde aliquoties et masculus et femella simul nascuntur. Primum vero nutrit lac spissum et fulvum, ut ex caseis constat. Mulier fœtum gestat ad menses septem aliquando, plerumque ad novem, sæpenumero ad decem postquam concepit, vix autem post undecimum. Fœtus in lucem editus aut vivit, aut pariet mulier quod mola vocatur, quæ est caro dura, aut periclitabitur. Circa annum decimum quartum mutant corporis habitus tam mares quam femellæ, et ex bene affectis male dispositi fiunt, vel e diverso. Tunc et femeliis menstrua incipiunt, maribus vero semen, et vox fit gravior. Ubera item, et verenda crescunt. Pallet denique mulier, quæ femellam paritura est.

EX EODEM GREGORIO NYSSENO.

Mentis autem ad corpus communio ineffabilem et in comprehensibilem intellectu conjunctionem habet, quæ neque intus est : (neque enim miscetur corpori quod incorporeum est) neque extra circumfusa est : (non enim circumscribitur incorporeum a corporibus) sed modo quodam incredibili et intelligentiam nostram superante mens appropinquans et applicata naturæ, et in ipsa, et circa ipsam existit, sic tamen ut explicari vel cogitatione comprehendi modus nequeat, nisi quod in statu suo recte affecta natura, etiam mens efficax est : si vero vitium aliquod

circa illam contingat, claudicat eatenus etiam motus intellectus.

Operæ-pretium est scire, cujus rei gratia terra nascentium germina in ortu rerum præcedant, post quæ producta sunt animantia bruta, et post illa demum homo. Non solum quod herba quidem animalibus est utilis, et propter hominem extitit pecorum copia, tanquam illi ministratura : sed quod hic eam, quæ de anima est, philosophiam nobis tradat Moses. Explicari autem oratione talis rerum distinctio potest. Res universæ partim intellectiles sunt, partim corporeæ. Omittantur autem nunc intellectiles. Corporeæ partim efficacitatis vitalis participes sunt, partim expertes omnino vitæ. Rursus vitale corpus partim quidem sensile, partim vero sensus est expers. Rursus sensile, aliud quidem rationale, aliud autem rationis est expers. A minoribus igitur ad id quod perfectum est, natura progreditur. Ideoque post inanimam materiam, quasi gradus quosdam formæ animatorum, naturalem hanc vitam extitisse dicit Legislator, in naturalium germinatione præexistentem, utpote vim nutrientem et augescentem, sicque deinde subjicit, et sentiendi facultatem, quæ in animalibus est, etiam ejus participem, quæ ante ipsam fuit. Siquidem quæ per carnem vivunt, etiam absque intellectili natura esse possunt. Rationale autem existere non potest, nisi cum sentiente commixtum sit. Ideo postremus factus est homo. Ex omni enim specie animarum temperatum est animal rationale. Nutritur enim secundum speciem animæ, quæ est in plantis, augescenti vero facultati sentiens a natura adjuncta est, in sentiente demum intellectilis naturæ efficacitas elucet. Unde etiam proprie rationalis anima et intellectilis dicitur, quæ per omnia sese dividit. Nam in rationali etiam reliqua comprehendit, cum in sentiente vegetativa sit, quæ

vegetativa tantum in rebus crassis existit. Verum et ista propter vitalem efficaciam abusive animæ vocantur.

Sciendum, quod quæ factæ sunt ad id simpliciter ut vivamus, sunt cerebrum, cor et pulmo, hepar et venter. Horum enim aliquo læso, necessario moritur animal. Oculi autem, manus et pedes, ad id ut bene vivamus facta sunt. His enim læsis, vivit quidem animal, non autem bene. Alia denique ad propagationem posteritatis pertinent.

Postremus post creationem a Deo productus est homo. Non quod velut vilis inter postrema abjectus sit : sed par erat principem ante subditos non prodire, neque antequam omnigenis refertum epulis convivium appararetur, introduci convivatorem.

Pretiosior autem est humana natura omni creatura quæ oculis cernitur. Nam cætera quidem creata a Deo quasi ex tempore facta sunt, simul cum mandato exhibita. In hominis autem structura consultatio præcedit, omniaque de eo prius considerat ratio. Dixit enim Deus : «Faciamus homi» nem secundum imaginem[1], » et quæ de eo sequuntur. Ut etiam ante ortum suum homo dignitatem suam obtineret. Ideo et materiem, de qua conderetur, præparavit, et ad quale exemplar similitudinem habiturus esset, perpendit. Humanam igitur naturam optimus artifex Deus velut organum ad regni administrationem idoneum fabricavit, et animæ privilegiis et forma corporis donavit. Siquidem anima regalem majestatem ostendit, nullius dominio subjecta, et propriæ potestatis, tanquam imago Dei, communia cum archetypo quædam habens, pro regalibus palliis induta splendore virtutum, et cum plebeia utilitate nihil participans.

Porro una perceptrix rerum facultas homini est insita, nimirum mens, quæ per singulas sensuum sedes discurrens, et res omnes apprehendens, ac velut exemplum et

[1] Gen. 1, 26.

imago unicæ substantiæ divinæ, variarum operationum effectrix est. Sileant qui dicunt inæqualem Patri Filium, vel Spiritum sanctum, secundum substantiam. Nam qui dixit: « Faciamus, » idque plurali significatione, sanctam Trinitatem manifeste ostendit : neque imaginis singulari numero mentionem fecisset, si ad archetypum inæqualis fuisset. Nequit enim fieri, ut imago una diversis formis respondeat. Nam si diversæ fuissent naturæ, diversas etiam imagines condidissent.

Nudus autem, et a naturæ armis ac munitionibus destitutus est homo, non cornibus armatus, non unguium acie, non dentibus aut aculeo venenato, nullo pilorum operimento, non alatus, non pedibus celer, neque carnosus. At vero illum, qui imperaturus erat, propriis armis oportebat esse instructum. Verum non abs re aliter res habet. Si enim sic comparatus foret, ferihus aliquis et occursu terribilis esset, aliorumque negligeret imperium, illorum adjutrice opera non indigens. Nunc autem id quod videtur deesse naturæ, occasio est ad capessendum in subjecta imperium. Ideo ab ipso bos jugo subactus est, equus domitus, ovium cura habita, propter proventus, qui ex ipsis percipiuntur, animalia denique bajulandis oneribus idonea jugo subacta sunt. Canis ad quædam animalia dentium apprehensione obtinenda datus est. Cornibus et unguibus fortius quiddam excogitatum est ferrum. Inserviunt item aves et pennæ ipsarum, et ex animalium pellibus consuto calceo pedum nostrorum teneritati consulitur

Recta etiam hominis facies, et manus dignitatis præstantiam ostendunt præ cæteris animalibus deorsum spectantibus, quæ pedes habent etiam ad anteriora membra, propterea quod fulcro illa indigerent. Cooperantur autem manus ad omnem necessitatem tam bello quam pace, et in usu sermonis, et in scribendis litteris. Adaptamus enim vo-

cos etiam per ipsarum figuram : ita ut proprium quiddam rationalis naturæ manus sint. Quod si manibus homo careret, ad similitudinem quadrupedum, ad id utique comparata facies esset propter cibi necessitatem, ut ad cibum extenderetur. Simul exiles forent nares, unde necessario consequeretur, ut peregrinam quoque vocem haberet.

Organicum autem ad rationis usum paratum est corpus. Quandoquidem enim intellectilis quædam et incorporea res mens est, tali opus habuit opificio, ut per aliquam artificiosam rationem motum suum manifestaret, instar plectri vocales partes tangens. Duplex autem est hujus organi effectus, alius quidem soni, alius vero auditus. Et ille quidem semper aliquid emittit, auditus autem perpetuo recipit. Estque dignum admiratione, quomodo confusio nulla fiat per eos qui per ipsum ingeruntur sermones et cogitationes. Id quod etiam in oculorum efficacitate locum habet. Nam per hos mens ea quæ sunt extra corpus apprehendit. Unumquodlibet autem eorum, quæ intro recipiuntur mens, examinans, convenientibus cognitionis locis reponit, aliquoties ex diversis sensuum sedibus unam cognitionem excitans, rursusque ex uno aliquo sensu varia percipiens. Nam si quis audiverit nomen mellis, idque viderit, olfeceritque, et tetigerit atque gustaverit, rem unam per universas sensuum facultates cognovit. Varias vero voces per unicum auditum percipit, et per visum diversi generis res considerat, videlicet album et nigrum, et fuscum.

Aliud vero quiddam quam sensus mens est. Si enim idem esset, cum uno aliquo ipsorum haberet cognationem, cum simplex sit. Nunc autem in varios sensus sparsa est, et per unumquemlibet efficaciter agit, in unitate varium quiddam existens, et in varietate unum. Ideo cognitionem effugit ejus natura, et ea in ipsa re, quod cognosci nequeat, in-

comprehensibilem illam naturam ejus repræsentat, qui eam secundum imaginem propriam fecit.

Et quandoquidem velut instrumentum quoddam musicum corpus factum est, quemadmodum canendi peritus vitiato instrumento suam artem demonstrare nequit: ita et mens per universum organum vagando, per consentaneas sibi efficacitates unumquodlibet membrorum attingens, in iis quidem qui naturaliter affecti sunt, proprium effectum habet: in infirmis autem inefficax est. Non enim partem quidem attingit, partem vero deserit.

Quemadmodum item mens ornatur pulchritudine primi exemplaris divini, veluti ejus charactere exaltata: sic et natura a mente administrata ornatur, contineturque rursus ab hac crassities nostræ substantiæ, circa quam cernitur natura. Ut autem mens vitiorum deformitate obscurata divinam pulchritudinem non admittit, nisi repurgata fuerit: ita quoque natura alicui vitiositati obnoxia, mentis operationem suscipere non potest, nisi ad pristinam redierit sanitatem.

Præterea ostenditur per hoc, quod a natura pendet mens. Cum enim illa consistit et excitata est, etiam hæc efficax est et movetur: composita autem somno, manet immobilis. Porro res imaginarias, quæ per somnum fiunt, simulacra quædam ejus, quæ est in mente, operationis esse putamus. In locis enim insolitis et perplexis aliquoties aliquis sibi videtur esse, quod in vigilante neutiquam accideret. Accidunt autem hæc aliquibus et a morum constitutione, suntque alia fortis, alia meticulosi phantasmata, alia intemperantis, alia sobrii, præterea et liberalis, et ejus qui insatiabilis est. Remanent enim in animæ reminiscente sede diurnorum exercitiorum quasi sonitus relicti. Aliquoties etiam secundum corporearum qualitatum dispositiones insomnia fiunt. Sic enim sitibundus ad fontes esse sibi vi-

detur, et in conviviis, qui cibi indigus est. Denique multiplex somniorum species est, sed vana. Nam mens cessante sensuum actu per somnum contecta, neque per ipsos elucere potest, neque prorsus extinguitur. Quod autem rex Ægypti Pharao, et Nabuchodonosor per insomnia ad eorum cognitionem ducuntur, quæ futura erant, id propter aliud a Deo dispensatum est, ut manifestaretur abscondita sanctorum sapientia.

Sciendum vero, ejus quod est intellectile, ad corpoream communionem, ineffabilem et intellectu incomprehensibilem conjunctionem habere. Atque hoc etiam in præmissis scriptum est.

INTERROGATIO CXL.

Quando percommode nobis exposuisti ea, quæ ad hominem pertinent : ubi tibi videtur esse paradisus, an in cœlo, vel terra ? Nam alii quidem ipsum dicunt esse cœlestem et intellectilem, alii vero terrestrem ac sensilem.

RESPONSIO.

Mihi sensilis esse videtur, et in terra : luculente ac manifeste diserteque id tradentibus Litteris sacris.

INTERROGATIO CXLI.

Quid igitur sibi vult Paulus, dicens : « Novi hominem, » ante annos quatuordecim, sive in corpore, sive extra » corpus, nescio, Deus novit : et novi hujusmodi hominem » raptum in paradisum, et audivisse arcana verba, quæ fas » non sit homini loqui [1]. » Quibus indicatur in cœlis esse

[1] 2 Cor. XII, 2-4.

paradisum. Non enim dixit se raptum in tertium usque cœlum, et inde descendisse in paradisum : sed in raptu utrorumque meminit.

RESPONSIO.

At non uno compendio cœlum et paradisum simul definivit. « Novi enim, inquit, hominem raptum usque in » tertium cœlum, et denuo, in paradisum. » Necessario igitur vestra contra vos usurpanda mihi vox est, sicque deinde ad articuli quæstionem redeundum. Dicitis enim ipsum non dixisse, quod descenderit, sed quod raptus fuerit in paradisum, et inde abstulerit, ut apparet, clarissimorum Patrum doctrinas. Quandoquidem enim non dixit se ascendisse in paradisum, sed eo raptum esse, annon ascendit ? Si vero ascendit cum raperetur, constat quod et descenderit in paradisum raptus. Inquit enim, « Et novi » hujusmodi hominem raptum in paradisum. »

INTERROGATIO CXLII.

Sed quia supra nos cœlum cernitur, constat ipsum ascensu usum esse, ut supra ipsum esset, ubi et paradisum intelligimus.

RESPONSIO.

Cur igitur non utrumque complexus, inquit : « Et novi » hujusmodi hominem raptum in cœlum et paradisum ?» sed interjecto articulo loca distinxit, dicens : « Et novi hujus- » modi hominem raptum in tertium usque cœlum, et rursus, » raptum in paradisum. » Illud autem, « Et rursus ; » ad alium aliquem locum transfert. Ad similitudinem montis declivi

campo circumdati, in quo si quis esse velit, per ingressum in campum facile in eum pervenies. Si vero primo conscendere montem voluerit, et ex eo in campum venire, omnino necessarium est, ut ab excelso deveniat in planum. Consimiliter puto divum Apostolum primum quidem cœlos ingressum, inde in paradisum devolasse. Fide autem dignus ante Paulum testis rerum divinarum peritus ille Salomon, sensilem super terram paradisum indicans : « Des» cendit, inquit, frater meus in hortum suum [1], » simul Domini significans divinum in carnem adventum, et Pauli in ipso præmonstrans descensum ex cœlis, postquam supra ipsos a terra raptus esset. Frater autem Salomonis et Pauli secundum carnem est Christus, qui in hortum suum descendit. Et rursus alia ratione ipsorum frater, quod ambo synagogæ alumni facti, circumcisionis cultrum sub jugo legis tolerarunt.

INTERROGATIO CXLIII.

Quid igitur? num Servatorem Christum non in cœlis, sed in terra putas animam, dum crucifigeretur, apud Deum deponere dicentem : « Pater, in manus tuas commendo spi» ritum meum [2] ? » Et ad latronem : « Hodie mecum eris » in paradiso [3] ? Si igitur in cœlo est Deus et Pater Christi, omnino illic et paradisus erit, in quem Christus se promisit introducturum latronem secum crucifixum.

RESPONSIO.

Blasphemum et extremæ dementiæ mihi videtur esse, in cœlo vel paradiso tantum, et non ubique divinum Numen esse arbitrari. In omnibus enim existens, omnia quoque complectitur, cœlestia, terrestria, subterranea. Proinde

[1] Cant. VI, 1.juxta LXX. — [2] Luc. XXIII, 46. — [3] Ibid. 43.

et in orcum ingredientem Dei et Verbi incarnati carnem in paternis manibus esse dicimus. In paradiso autem fuisse Christum Divinitate, et una latronis animam adduxisse, sicque in genitoris manibus ipsum fuisse confitemur. « Deus enim noster in cœlo, et in terra, et in omnibus abys- » sis [1], » inquit Davides divinorum ille Carminum auctor. Et rursus : « Quoniam in manu ejus sunt fines terræ [2]. » Et iterum inquit idem, « Si in cœlum ascendero, tu illic » es; si descendero in orcum, tu ades [3]. » Quod si cœlum omnium est summum, orcus autem omnium infimus, et in iis Numen est, simulque ipsum omnia continere clamant viri divini : constat, quod et Christus Divinitate ubique præsens Patri, nihilominus in manibus ejus deposuerit animam. « Si enim animæ justorum in manu Domini [4], » quemadmodum inquit Propheta, multo magis Dei et Verbi: de quo terrestrem et sensilem esse paradisum docemur. Non enim inquit ad latronem in ligno secum suspensum, « Hodie mecum eris in paradiso [5] ? » Reducit igitur in paradisum qui latronem Adamum in exilium egerat, inimicum latronem, cujus misertus erat.

INTERROGATIO CXLIV.

Quid igitur sibi vult Esaïas in persona Dei dicens : « In » manibus meis depinxi muros tuos [6] ? » Id quod de paradiso dici intelligimus. Sed et Apostolus idem his verbis indicat, « Quæ sursum est Hierosolyma, libera est, quæ est mater » nostra [7]. » Eam vero nullam putamus aliam, quam paradisum.

RESPONSIO.

Patrocinari potius quam adversari mihi videmini pro

[1] Psal. CXXXIV, 6. — [2] Id. XCIV, 4. — [3] Id. CXXXVIII, 8. — [4] Sap. III, 1. — [5] Luc. XXIII, 43. — [6] Isaï. CLIX, 16. — [7] Galat. IV, 26.

paradiso arboribus consito et poma custodiente, civitatem et muros mihi adducentes. Est autem etiam æquivocatio paradisi et Hierosolymæ, vel cœli et Edem, ubi paradisum a Deo factum Moses indicat, dicens : « Et plantavit Deus » paradisum in Edem, ad orientem[1] : » Non autem in cœlo ad orientem. « Et fons, inquit, ascendit ex Edem ad irri- » gandum paradisum[2] : » non autem, descendit ex cœlo. « Et fluvius egreditur ex Edem[3] : » non autem, descendit ex cœlis. « Hic, inquit, dividitur in quatuor principia[4] : » non autem, deorsum fluit in quatuor capita. Ubi autem in cœlo sunt fici, palmæ, mala punica, cætera quæ paradisus plurima continet, et quibus floret naturaliter? Ubi vero in cœlo fons et flumina, et arbor transgressionis? Audi igitur historiæ auctorem ex uno fonte quatuor flumina effluentia pronuntiantem, et ea quasi digito demonstrantem per ipsam appellationem. « Et uni nomen Phison. Hic vero » Æthiopiam, inquit, et Indiam præterlabens, Ganges ab » ipsis appellatur[5]. » Apud Græcos autem Ister et Indus fluvius dicitur. Apud Illyrios autem, et Ripianos accolas fluminis, Danubis : apud Gothos vero Dunautis. Omnem vero terram Evilat circumiens, secundam videlicet Æthiopiam, et partes Elymæorum, percurrensque primam Æthiopiam, sic deinde rursus effusus ad austrum et occidentem intra Gadira in celebrem illum effunditur Oceanum.

INTERROGATIO CXLV.

Ne sermoni finem hic imponas, benigne Pater, sed secundi fluminis impetum sermone describens, perfecte nos exhilara.

RESPONSIO.

Secundus Geon est, qui apud Ægyptios Nilus appellatur,

[1] Gen. II, 8. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 2, 11 et 13.

totam inundans leniter et irrigans quotannis Ægyptum. Navibus autem transitum per vela præbens, arationis opera fieri permittit, et aquatilia se terrestribus aggregare, quorum alia quidem herbis vescuntur, alia vero vescuntur carnibus. Maximam autem præterlabens Æthiopiam, per minorem fluit, perque Anumetam, et Blemmyam, et Auxumetam, et partes Thebaïdis et Ægypti, sic deinde in mare effunditur. Hieremias inter alios Vates multa expertus certamina a reditu in Ægyptum inhibens furiosum Israëlem, diserte clamat : « Quid tibi cum Ægypto, ut » turbatam bibas aquam [1] ? » hoc est, aquam Nili turbulentam.

INTERROGATIO CXLVI.

Quæsumus ne graveris propter temporis brevitatem etiam ea paucis edisserere, quæ ad tertium fluvium pertinent, unde oriatur, et ubi desinat.

RESPONSIO.

Qui post secundum ex eadem scaturigine procedit, Tigris a divina appellatur Scriptura[2], manans quidem recta versus Syros pertransiensque partes Orientis, ad immensum spatium terram subit, rursusque emergit in Armenia, dividiturque in regione Assyriorum.

INTERROGATIO CXLVII.

Ut solidum hoc de oratione tua gaudium percipiamus, etiam quartum nobis flumen describere velis.

[1] Jerem. II, 18. — [2] Gen. II, 14.

RESPONSIO.

Ex eodem utero exundans quartus est Euphrates ille celebris[1], qui etiam Indicos quosdam paradisi fructus foliaque amne suo trahens, ad nos transvehit. Qui similiter, ut alter, ex eadem scaturigine fluens, subterraneus aliquousque labitur, et redundat juxta Armeniam, unde manat per Babylonem. A navigantibus autem quilibet horum transitur immensa ferentibus onera navibus, post subterraneam refusionem ad ulteriora, tanquam ad paradisum per occultos illos meatus contendere volentibus. Verum ad loca inaccessa pervenire frustra conati, per adversi fluminis navigationem, vel littora legendo itinere terrestri saltem indagare aditum ad ipsum tentarunt. Ex quibus Ægyptii quidam aquæ potores et seminibus vescentes, neque crasso victu nostro ab incunabulis utentes, diversorum seminum commeatu comparato, et multis impletis navibus, expeditum potum ex eo, quod ipsos portabat, flumine habentes, eodemque et legumina madefacientes, et sibi ad cibum emollientes, per prætercurrentem Geonem, apud ipsos autem Nilum appellatum, navigantes tentarunt fluminis ductu invenire post Adamum nemini visum paradisum. Post quam autem tempore longissimo navigarunt, et extra habitabilem orbem delati sunt, in difficilibus locis igne solis adurebantur, flumineque illic toto fervente, cum ne quidem summis digitis aut labiis illud amplius attingere possent, ad eam unde navigio venerant terram gubernacula dirigentes, in patriam suam delati sunt, non reportantes quidquam commeatus, omnibus longo temporis spatio absumptis, ut aliqui Ægyptiorum tradiderunt. Cæterum hi nautæ, qui a beato illo spectaculo aberrarunt, clarissime

[1] Gen. II, 14.

sapientis illius Salomonis verba didicerunt : « Profundiora » te ne scruteris, et sublimiora te ne inquiras : quæ tibi » mandata sunt, illa cogita[1]. » Quod si secundum Origenem illum impium non est in terra paradisus, quamobrem suos homines ad illum inspiciendum Ægyptus ablegavit? Quomodo item Moses primus ille scriptor rerum divinarum inquit : « Et descendit Dominus in paradisum : » non autem ascendit? « Et introduxit Dominus Adamum in paradi- » sum[2] : » non autem, subvexit? Præterea si non est in terra paradisus, ut vaniloquus ille nugatur, neque fons ille quadripartito divisus, unde diffunditur Geon, Phison, Tigris, Euphrates. Ubi autem in cœlis ficus, aut uva, quorum consutis foliis homines illi primi post lapsum sese tegebant? Jam si neque sensilis est, neque apud nos ea regio : ne quidem omnino in ea ficus erat. Si non erat arbor in ea, non etiam comederunt primi parentes : quod si non comederunt, neque transgressi sunt : nec extitit Adamus, neque ex illo Eva, neque ex ambobus nos, neque alius post nos.

INTERROGATIO CXLVIII.

Quid igitur? an diabolum non putas excidisse cœlo? Quemadmodum enim de illo, sic et de homine dicimus, lapsum videlicet ex cœlis.

RESPONSIO.

Procul dubio dicimus ex ultramundanis præcipitatum auctorem illum mali dæmonem, spectatore Cheruborum Ezechielo ipsum deplorante, atque dicente (15) : « Quomodo » excidit cœlo Lucifer[3]? » Consentiens autem cum servo in

[1] Eccli. III, 22. — [2] Gen. II, 15. — [3] Isaï. XIV, 2.

Evangelio Dominus inquit : « Videbam Satanam veluti ful-» gur de cœlo cadentem[1]. » De Adamo autem hoc nusquam in divinis Litteris positum invenietur. Quanquam enim consuetudo verbum excidendi usurpet de homine, itemque vocabulum lapsus de Adamo : non tamen præpositum est cœli nomen ante casum, quemadmodum de Belialo. Et verbo, Excidere, utimur etiam, cum ex divitiis et splendore ad paupertatem quis devenit, vel a virtute ad vitia redit, vel ex virginitate ad scortationem ruit, vel cum corpus interit. Num igitur ex cœlis exciderunt illi? Nequaquam : enimvero utendum existimo divinarum Litterarum subsidio, et ex sacro scriptore Moyse demonstrationes proferendas. Inquit autem is : « Et posuit Deus hominem, ut coleret » et custodiret paradisum[2]. » A quonam quæso ipsum custodire debet, siquidem in cœlis Angeli ignorant furari? Ursus vero poma devorans, aut sus, aut singularis in cœlis non sunt, nec erinaceus ille, qui gramine vescitur. Nec item vulpes apum alveare perfodiens, ipsarumque sonos perturbans, aut favos devorans. Non leo crudivorus, non rapax lupus, non aquila vel gryphus, non aliud quid eorum, quæ sunt apud nos, in cœlis est, quæ vel solam increpationem Adami extimescentia, tangere vel accedere ad paradisum verebantur. Omnia enim ad ipsius intremiscebant vocem ante transgressionem. De transgresso autem inquit : « Et ejecit ipsos ex paradiso[3], » non autem dejecit. « Et collocavit ipsos, inquit, non infra, sed, e regione para-» disi. Et posuit Cherubos, et flammeum gladium versatilem » ad custodiendum, non ascensum, sed ingressum ad lignum » vitæ[4]. » Versatilem autem ipsum inquit, ad feriendum eminus ad id accedentia, sive animantia bruta, sive dæmonia, quemadmodum facere solent agrorum custodes, clamore tam volatiles quam quadrupedes bestias arcentes

[1] Luc. x, 18. — [2] Gen. II, 15. — [3] Id. III, 24. — [4] Ibid. juxta LXX.

a vineis et ficetis, agitatione autem gladii qui in manibus est, illiusque fulgore homines eminus venientes ad direptionem frugum, perterrent. Aliquoties item fundæ agitatione jacto lapide, eminus advenientem prædatorem metu percellunt.

INTERROGATIO CXLIX.

Quid tibi videntur esse pelliceæ tunicæ, quibus post lapsum Adamum et Evam Dominus induit? Audivimus enim quemdam præclare dicentem, quod homo mens rationalis fuerit, et animal incorporeum. Post quam autem peccavit, per inobedientiam erga Deum exhibitam, separatam esse mortuamque mentem, et animam ideo vocatam esse, quod frigefactus calor mentis amplius remanere non potuerit, et ministrare supernis, sed hoc corpus induisse, quod pelliceam tunicam vocat Scriptura, ad supplicium circumdatam ei qui peccaverat, ut ei veluti carcer et pœna sit. Ideo et Deum rogarunt sancti, ut morerentur et liberarentur ab hoc supplicio. Davides quidem dicit: « Educ ex carcere animam meam [1]. » Paulus autem: « Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore mortis » hujus [2] ? » Jobus denique incessanter mortem optabat, non amplius ferens in corpore pelliceæ tunicæ supplicium.

RESPONSIO.

Illud jam ante suspicans in præcedentibus dixi, vos idem sentire cum venenatis pestiferisque Origenis dogmatibus, quæ simpliciores decipiunt. Neque enim in cœlo peccantes animæ condemnatæ sunt, ut in corpore punirentur; non amplius valentes obire ultramundani ministerii sacrum

[1] Psal. CXLI, 8. — [2] Rom. VII, 24.

officium. Nam si ad correctionem et castigationem istis corporibus inclusæ sunt, quomodo in hoc gravius peccant? Qui vero in custodia punitur, constat quod etiamsi velit peccare, non possit. Cur autem non et dæmonas una cum diabolo, cum sint mentes et incorporei, pŏstquam peccaverunt, et ex cœlis præcipitati sunt, non in corpore, quemadmodum nos, etiam ipsos ad sobrietatem et correctionem confirmavit? Num vero etiam Moses populo superveniens, ut essent infiniti et innumerabiles, velut arena maris, volebat tot intellectiles potestates in cœlo peccantes ad corpora dejici, in augmentum eorum qui erant in terris? Et Anna religiosa fœmina pro fœcunditate Numen exorans, num rogabat ut intellectilis et incorporea potestas ex cœlis caderet, quo ipsa hominem generaret? Aut Davides divinorum ille Carminum auctor, pro piis illud votum faciens: « Ut videas filios filiorum tuorum [1], » num cupiebat per lapsum ultramundanarum potestatum justi genus multiplicari? Quod si animas, quæ in cœlo peccaverunt, ad supplicium nostris colligavit corporibus, cur etiam eas, quæ non peccaverunt, consimiliter cum illis condemnavit, in corporibus ipsas puniens quemadmodum et illas? Ecce enim quomodo ipse testatur de magno Jobo, ante ostensam adversus diabolum fortitudinem: « Non est in terra » quisquam homo similis servo meo Jobo, qui justus est et » verax, inculpatus, pius, abstinens ab omni re mala [2]. »

INTERROGATIO CL.

Sed vide quid dixeris dixisse Deum, quod « Non sit homo » in terra; » quod est ejus, qui innuit alios esse homines intellectiles in cœlo, ex quorum numero Jobus, postquam peccavit, corpori ad supplicium colligatus est, et per vir-

[1] Psal. cxxvii, 6. — [2] Job. i, 8.

tutem repurgatus, ante plagam testimonium accepit a Deo, quod justior sit illis hominibus qui sunt in terra, non tamen illis qui sunt in cœlis.

RESPONSIO.

Visus et tactus mihi videntur auditu magis fide digna esse. Proinde relinquamus quæ frustra et absque demonstratione audiuntur, et potius contrectemus quæ videntur, Neque enim demonstrare potes ex divina voce de Jobo, alios præter eos qui sunt in terra, in cœlis esse homines intellectiles. Aspice igitur et palpa quæ tibi a me evidenter de divina voce ex voce divina traduntur. Quandoquidem enim præteritis temporibus primus justorum fuit Abelus, post illum Sethus, deinde Enochus, Noa, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, cum illi omnes obdormiissent et sub terra essent, solus illis temporibus, inter eos homines qui in terris erant, justus erat Jobus, sicut et Lothus in quinque civitatibus Sodomorum solus integre vivens, merito illorum mortem effugiebat. Illi igitur justi qui jam ante obdormierant, cum sub terra essent, solus inter eos qui su per terram erant justus fuit Jobus. Quod autem non in cœlis peccando condemnatus, corpori copulatus, justitiam assecutus sit, ex his, qui post illum fuerunt, docemur. Quali enim virtute demonstrata Hieremias ille divinus, antequam ex utero egrederetur, sanctus testimonio Dei perhibetur? Quanam re præstita Joannes in utero adhuc gestatus apud eum, qui adhuc similiter gestabatur, Filium et Verbum in alvo perpetuæ Virginis, eam libertatem adeptus est, quam et exiliens indicavit? Quod si item, ut dicitis, absque peccatis in cœlis fuerunt, cujus gratia quemadmodum et condemnati, corpore circumdati sunt? Procul abigat Christus

eos, qui animas prius existere nugantur : ne et ipsius animam ratione mentis frigefactam dicere audeant.

INTERROGATIO CLI.

Quid igitur? si non prius existens in cœlis anima, postquam peccavit in præsentem est expulsa vitam per copulationem cum corpore generationemque, quomodo Davides id deplorans inquit: « Ecce enim in iniquitatibus concep» tus sum, et in peccatis concepit me mater mea [1] ? »

RESPONSIO.

Nihil hoc Origenis nugas confirmare potest. Nam quod Davides ait : « Ecce in iniquitatibus conceptus sum, » denotat ipsum captum et infectum concupiscentia cecidisse in flagitium, et adulterii tristitia perpetrata, illico cædem conjunxisse. Indicat ergo se lugere quod a concupiscentia superatus, captus iniquitate sit, lege præcipiente : « Non » occides : Non concupisces uxorem proximi tui [2]. » Illud autem : « In peccatis concepit me mater mea, » etiam hodie contingere solet. Matres enim quamplurimæ non ex dilectione, sicut Sara, vel Rebecca, vel Anna, vel Elisabetha cum conjugibus cubant : sed ob jurgia, pugnas, æmulationes, corpore quidem se summittentes, sed immorigeræ voluntate manentes, aliquando fœtus concipiunt. Id quod et Davides suspicatur, se ab initio ex ejusmodi contentione conceptum. Ab omni autem peccato liberam, et vituperio superiorem eam, quæ legi consentanea est, copulationem et procreationem liberorum ostendit Dominus, dum ex Adamo quidem mulierem fecit, quo docet per ipsam conjunctorum unionem, et procreationem libe-

[1] Psal. L, 7. — [2] Exod. XX, 13 et 17.

rorum ex illis se amplecti, ideoque de ea quæ per ipsum est copulatione inquit : « Crescite et multiplicamini, et » implete terram et dominamini ei [1]. » Eamdem autem denuo vivendi una rationem honorans, in Cana Galilææ suo accessu et convivii societate ornat, idque magis etiam ut demonstraret, honorarium munus donat, vinum ex aqua factum. Et in Evangelio divinitus hæc proferens, inquit : « Propter hoc deseret homo patrem et matrem, et adhæ- » rebit uxori suæ, et erunt duo in carne una [2]. » Et per Paulum inquit : « Honorabile conjugium, et cubile impol- » lutum. Scortatores autem et adulteros judicabit Deus [3], » nimirum hic ipse Christus : « Nam Pater judicat neminem, » sed omne judicium Filio dedit [4]. » Non in iniquitatibus igitur ad exemplum Christi, fit conceptio nostra. Nam in utero Hieremias sanctificatus est. Joannes cum gaudio singulari exiliit. Verbum illud denique, qui etiam Deus est, homo factus est per ineffabilem conceptionem. Proinde non sunt corpora propter animas, neque alterum altero generatione prius est, sed utraque ineffabiliter propter bonitatem Deus in momento fabricavit. Abalienatum autem a bono, divinitateque nudatum rursus propter bonitatem contexit solida pelle ornans, cum teneritas corporis jam extra paradisi voluptatem divinamque munitionem esset, et jam labores capesseret, laboriosamque vitam, atque sudorem experiretur. Proinde neque prius existentem, neque coexistentem, neque postexistentem animam pietas docet, ne partim delabi ex cœlis animas et inseri corporibus falso existimemus, partim servantes castitatem, et temperantes, aut seminis fluxum patientes velut animarum occisores calumniemur, in lumbo et semine animas suffocantes. Longe etiam mihi velim ab ea resilias opinione, quod

[1] Gen. I, 28. — [2] Id. II, 24, et Matth. XIX, 5. — [3] Hebr. XIII, 4. — [4] Joan. V, 22.

corpore posterior sit anima. Non enim se ipso vel major vel minor ætate est homo.

Hæc etiam de alio sunt adjecta. Nam Maximus philosophus Christianus post Cæsarium vixit.

EX SANCTO MAXIMO.

Quandoquidem principalis Dei scopus erat, non per conjugium et corruptionem nos generari, transgressio autem conjugium introduxit : ideo omnes qui ex Adamo subjecti sunt primi parentis nostri condemnationi, in iniquitatibus concipiuntur. Illud autem, « In peccatis con» cepit me mater mea, » docet quod prima parens Eva prima concupiverit voluptatem. Propterea et nos dicimur in peccatis concipi, tanquam illius condemnationi subjecti.

INTERROGATIO CLII.

Num igitur vel lanionem vel coriarium debemus existimare Deum, ut Adamum indueret pelliceis tunicis?

RESPONSIO.

Merito et ego ex te quæsierim contentiosissime, quid levius et facilius, cœlum ex aquis firmasse, terram super abyssum fundasse, et infinitam aquam in unam congregationem coëgisse, ratione conveniente unumquodlibet exornasse, astris quidem illustrasse cœlum, plantis autem variegasse terram, aquatilibus scaturire fecisse mare : an pellem connectere et contegere nudum? fingere animal aut vestire? mare instar terræ permeabile fecisse præcepto, et sexcenta virorum millia cum mulieribus et liberis sic-

cis pedibus traduxisse? aut tunicis præcepto contexisse indigos? rupisse saxum, et aquæ fontem produxisse? resecasse Jordanis amnem, populumque perduxisse, aut nudos operuisse? pulverem nervis firmasse et animasse, an ex pulvere factum rationis particeps animal vestivisse?

INTERROGATIO CLIII.

Ostende igitur nobis quæso, quis fuerit ille qui mactavit, et quodnam mactatum animal, unde pelles fuerunt, et quis ille qui eas consuerit. Nam si de his rationem reddideris, necessarium erit nos non amplius de tuis ambigere.

RESPONSIO.

Ostendite igitur et vos convivii structorem, et animalia mactata, et quis eorum numerus quibus celebris ille rubefactus est Nilus, et confestim tantum flumen in sanguinem mutatum, per Deum Mosi obediens : ubi præterea carnes tam immensæ mactationis pecorum, per quæ in sanguinem navigabilis transformatus est amnis? Quomodo item sanctus et per se subsistens vivus Deus, ac Verbum carnem gestans, et pro nobis ex monumento resurgens, in ipso relictis indumentis, non est nudus conspectus? Quis est qui præbeat, qui consuat? quis est qui cooperiat cooperientem universa? Quod si illa per divinam ejus affuerunt voluntatem, credamus etiam primos parentes nostros per hanc amictos esse pellibus. Non enim secundum illius vaniloqui opinionem, corpora nostra eæ pelles sunt, quibus, post quam de vetitis comederant, animæ circumdatæ sunt. Nam ante esum et transgressionem formatio corporum descripta est, sed et costa in mulierem Adamo facta, ante transgressionem ablata est : cum in

experte corporis costam statuere absurdum sit. Quæ item necessitas ipsos coëgit foliis fici contegi, si erant incorporei?

INTERROGATIO CLIV.

Ex magno Davide discimus, animas ante corpora esse. Inquit enim ad Deum, « Manus tuæ fecerunt me, » (animam intelligens :) « et formaverunt me, » (corpus videlicet.)

RESPONSIO.

Non minor erat Davide magnus ille Jobus in justitia, neque minore septus potentia. Celebris enim et hic rex fuit, et par ei cum Davide justitiæ veritatisque testimonium a Deo perhibitum est. At hic ait ad Deum : « Manus tuæ » fecerunt me. » Et rursus : « Memento quod lutum me » formasti [1]. » Num igitur propterea quod priore loco ponitur formatio, dicemus ante animam corpus esse? Aut formationis ab ipso mentione facta, et factura non addita, ideo ipsum inanimum dicemus, vel aliter? Quandoquidem inquit Moses divinus ille creationis descriptor, quod accepto Deus pulvere terræ formaverit hominem, et non addidit quod eadem hora et momento ipsum perfecerit; num idcirco prius quidem extitisse verticem, loco secundo autem oculos, tertio collum, et postremo tandem talos et pedes putabimus? Apage sis cum ejusmodi delirio. Unde sciemus, quod non a plantis aut lingua orsus sit nostram creationem optimus et sapientissimus artifex Deus?

[1] Psal. cxviii, 75. — [2] Job. x, 8, 9.

INTERROGATIO CLV.

Qua in re tibi videtur homo esse factus ad imaginem Dei? Num in anima, tanquam spiritu et re inaspectabili, an in corpore multiplex est?

RESPONSIO.

In neutro, præterquam in animæ immortalitate. Et in eo, quod omnibus dominatur. Neque tamen in his etiam servat exactam ad Deum æqualitatem et similitudinem : utraque enim creata sunt, tam anima quam corpus, et composita mutua copulatione et communione. Compositionem autem prorsus sequitur separatio atque divisio. Deus autem incompositus est et indivisibilis, et nulla expressus forma, ipse per se ipsum manens, et semper eodem modo affectus. Neque item in dominatu servat ad archetypum imaginis similitudinem. Non enim ejusdem honoris est cum datore is, qui accipit. Nam qui præbet, omnino non indigus est ejus, quod dedit. Qui autem recipit, indigus ejus est quod datum est. Et hic quidem a Deo conservis dominari jussus est. Deus autem a nemine, cum ipse per se sit propriæ potestatis Dominus, et omnipotens.

INTERROGATIO CLVI.

At unumquodlibet per se considera, seorsum animam et ex altera parte corpus, et expone nobis in quo putes esse id, quod est secundum imaginem Dei.

RESPONSIO.

Neutrum ab altero separatum est homo. Nam aliud quidem spiritus, non homo : aliud vero lutum rationis et sensus expers. Ex utrisque autem unus perficitur homo. Atque illa quidem alterationi et mutationibus obnoxia est, alia quidem obliviscens, alia vero in memoria retinens, et in multitudine rerum læta et truculenta in alios, demissa autem et tetrica cum indiget. Alias quidem honesta et gravis, alias vero lasciva cogitans : nunc quidem justa, nunc autem injusta eligens : nunc quidem benigna, nunc vero inhumana : in temporis momento irascens, et in puncto placata, divisionibus et mutationibus obnoxia, quemadmodum inquit eximius ille Apostolus, diserte clamans : « Vivus est sermo Dei et efficax, ac penetrantior quovis » gladio utrinque incidente, et pertingens usque ad divi- » sionem spiritus et animæ, et discretor cogitationum et » intentionum [1]. » Quomodo igitur potest imago esse immutabilis Dei divisionibus obnoxia, et cujus dijudicantur cogitationes et intentiones, non solum a Deo, sed etiam ab ejus Vatibus, aliquoties etiam de reconditis convicta? Consilium autem cogitationemve Dei quis deprehendet, divo Apostolo clamante : « Quis cognovit mentem Do- » mini, aut quis ei fuit a consiliis [2]? » Si igitur quod magis est proprium humanæ compositionis, ipsa nempe anima distat ab imagine similitudineque divina : quanto magis ab illa longe distare apparebit comparatio corporis? Nam horum alterum incorruptibile est, alterum autem corruptibile : et illud quidem magnitudinis, et quantitatis expers est, hoc autem exiguum et comprehensile. Illud quidem incomprehensile tactu, hoc autem tangi potest ac fluxum

[1] Hebr. IV, 12. — [2] Rom. XI, 34.

est : illud incorporeum et expers materiei crassæ, omni altitudine sublimius et supereminentius; hoc autem exiguum et certæ quantitatis, in terra repens et humile, circa hæc inferiora versans. Illud denique non crescit, non desinit, non subsidet, non minuitur. Proinde tu quidem inferioribus his acquiescas, neque Numen membris circumscribas, audiens Deum dicentem : « Tollam in cœ» lum manum meam, et jurabo, atque dicam[1]. » Et rursus, « Cœlum mihi thronus est, terra autem scabellum » pedum meorum[2]. » Iterumque Prophetam dicentem : « Qui mensus est cœlum palmo, et terram pugno[3]. » Et alibi, quod digito exculpserit tabulas lapideas, quas Dei spectatori Mosi tradidit[4]. Neque quod inquit Davides ille divinorum Carminum auctor : « Inclina, Domine, aurem » tuam, et exaudi me, et ad me respice, et miserere mei[5] : » idcirco formam assignes Numini, membris ipsum et organo describens. Si enim ventus spirans ubique præsens est, et aër in se complectitur universa, quanto magis ille, qui ipsum spirare jussit, et ventos flantes congregavit? Solium complectitur sedentem, at Deus incomprehensibilis est. Quod si et terram scabellum habet, quomodo dum incedimus, aut aramus, aut ab Oriente ad Occidentem currimus, imperatorum jussu equos agentes et compellentes, non allidimur ad ipsius pedes? Quomodo vero cum cœlos palmo mensus est, et superne insidet, rursus in cœlum, inquit, effert manum? Quomodo vero tantis digitis absque ascia tabulas polivit, absque stylo sculpsit, et in eis legem perscriptam Legislatori tradidit? Mentem igitur vel sero tandem recipe, et oculis mentis aspice ista cogitationes tantum et figuras esse, idque considera ex vili et exigua ad Numen comparatione.

[1] Deut. XXXII, 40. — [2] Isaï. LXVI, 1. — [3] Id. XL, 12. — [4] Deut. IX, 10. — Psal. XXIV, 19, et LXXXV, 1 et 16.

Mare omnia magnitudine superans elementa, velut « Ex » cado gutta est, et universa veluti stilla sunt[1], » si ad divinum illud pelagus conferantur, quemadmodum inquit Propheta. Verumtamen cum simplex quiddam sit, nullaque forma præditum, clamat absque ore, currit absque pedibus : insilit, et ad festinandum absque tibiis insurgit : detinet navigantes, non habens manus : in sublime elevatur absque alis : suffocat multos absque vola vel digitis, aut nexibus : insonat et expuit labiis carens : rupibus allidit absque brachiis, elevans immensa ferentes onera naves : absque dentibus devorat, et vicinam terram excavat. Si vero cum simplex quiddam natura sit et fluxum, ista facere solet : quanto magis præstare potest hæc is, qui hujus intolerabilem violentiam atque tyrannidem paucissima arena refrenavit, et quasi ferreo muro circa ipsum posuit terminum? Per fluctus enim ad exteriorem in regionem impetum faciens, arena quasi freno inhibetur, et in spumam impetu resoluto, ad se ipsum revertitur. Similiter et spiritus venti, licet simplex sit, flans fistulat absque labiis, tecta dejicit absque brachiis : vindemiat fructus, arbores quatiendo absque manibus, dejiciens : excutit et fervefacit veluti fornax abyssum, et quæ sunt in fundo, in superficiem transponit, non ventilabro, non sarculo utens : nititur ex adverso, et resistens inhibet a cursu ingentes naves pectoribus et humeris carens. Alias autem albatas instar ovium impellit in pelago velut in prato vel campo, non hastili vel baculo feriens rubefacit ; valde pallentia hominibus transportandis parata navigia, nullo ipsa fuco varians. Si igitur mare et ventus, conservis quidem omnibus magnitudine præstantia, culicis autem vel mulionis, vel grani sinapis, aut alicujus rei minoris locum obtinentia, si cum Deo conferantur, clamant, ve-

[1] Isaï. xl, 15.

locia sunt, insectantur, fortiter vincunt, progressum impediunt, manibus et formis carentia, benefaciunt, puniunt, divitias conferunt, submergunt ponto, ducunt, abducunt : cur tu, vir præclarissime ac nobis chare, formam tribuis, et ascribis membra Numini simplici et incomposito, et nulla forma expresso, dum audis, « Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me? » Item, « Et respice ad me. » Et, « Mitte manum tuam ex alto, et eripe atque libera me[1]. » Et quæ sunt ejusmodi alia. Proinde absit ut secundum animam aut corpus definias homines esse factos ad imaginem Dei. Quomodo enim comprehensu facilia et mutabilia conveniet ei assimilare, qui clamat per Prophetam : « Ego sum, et non mutor[2] ?»

Neque vero(16)divinus sermo falsus est, dicens secundum imaginem Dei factum esse hominem, neque miserabilis humanæ naturæ infelicitas beatitati affectionum expertis Divinitatis est similis. In horum namque collatione necessum est, aut passibilem esse Divinitatem, aut humanitatem impassibilem. Proinde disquirendum est quomodo humanitas Divinitati similis dicta sit. Scriptura inquit : « Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum. » Deinde subjicit : « Marem et fœminam fecit ipsos[3]. » Id quod a Deo alienum est. Proinde hujus respectu imago non habet primi exemplaris similitudinem. Hujus autem solutio talis quædam est. Duplex quædam est naturæ nostræ structura. Alia quidem intellectilis, quæ cum in omnium bonorum participatione sit, secundum imaginem Dei dicitur esse facta. Alia autem in maris et fœminæ differentiam divisa. Quandoquidem autem sola Divinitas immutabilis est, nostra vero natura mutabilis (cœpit enim esse de nihilo) qui ante generationem omnium præscius erat, præcognito ad quid declinatura esset

[1] Psal. CXLIII, 7. — [2] Malach. III, 6. — [3] Gen. I, 27.

propria potestate præditus humanæ voluntatis motus : adhibet opificio imaginis eam, quæ est in mare et fœmina, differentiam. Cum dicitur autem, quod fecerit Deus hominem universali et indeterminato nomine significationis, universam complexus est humanitatem. Non enim una cum creato nunc mentio fit Adami, quemadmodum in sequentibus, sed homo nominatur universe. Ideo neque in solo Adamo structuram, quæ secundum imaginem Dei est, videre licet, sed in quovis homine. Similiter enim affectus est, qui primus est factus, et qui postremus omnium futurus est. Qui igitur omnem humanitatem per præcognoscentem vim facultatemque suam consideraverat, et pari cum Angelis sorte honoraverat, quandoquidem prævidebat non recte ingressuram in bono humanam voluntatem, ne diminueretur humanarum animarum multitudo, declinans ab illo modo, quo Angeli creverunt in multitudinem, in peccata prolapsis convenientem præparat incrementi rationem, pro angelica conversatione, brutum ac rationis expertem propagationis modum humanæ naturæ tribuens, quemadmodum inquit Davides : « Homo cum esset in honore, non intellexit[1]. » Unde cum jumentis et pecoribus affinitas illa nostra, sæpenumero melius contegit deteriore, si quis animum ad vitia detraxerit. Nam ad vitiositatem accedens mentis efficacia, multiplicem rerum absurdarum procreationem instituit. Si vero a ratione nihil opis et auxilii vitiositas habuerit, statim dissolvitur. In beata igitur illa natura maris et fœminæ discrimen nullum est. Quapropter cum hominem ad imaginem sui conderet, non augescendi seque amplificandi vim homini addidit : sed cum in marem ac fœminam eum distingueret, inquit : « Crescite, et multiplicamini, et implete terram[2], » et quæ sequuntur.

[1] Psal. XLVIII, 13 et 21. — [2] Gen. I, 28.

Qua quidem voce prius etiam ad animalia bruta Deus usus fuerat. Si enim istiusmodi vox dicta fuisset, quando id quod secundum imaginem est, fecit : non utique animali generatione indiguissemus. Idcirco autem congruens hominum creationi tempus destinavit, ut una cum animarum productione, quæ ante determinatæ sunt, ipsum compleretur, tumque utrumque cessaret ; atque ita fieret hujus universi reformatio ac generis humani mutatio, a terreno in id quod passionis expers est, et æternum. Sciendum quod imago quidem Dei est, quæ in tota humanitate perfectionem habuit. Inquit enim, quod fecerit Deus hominem, non Adamum. Postquam autem addidisset humanæ naturæ proprietates, videlicet marem et fœminam, tunc et nomen Adami adjecit, quod terrestre figmentum significat in lingua hebræa, sicut Paulus græca voce pulvereum ipsum nominat[1].

INTERROGATIO CLVII.

Idem nobis videtur esse mens et anima. Quod enim est oculus in corpore, id omnino mens in anima inaspectabili est, et ipsa inaspectabilis, invisibilis existens. Itaque scire cupimus, an mens sit secundum imaginem Dei?

RESPONSIO.

Ne mens quidem et anima secundum meam determinationem idem sunt. Quod si ipsam etiam aliud quiddam ab anima diversum ratio demonstraverit, neque sic erit imago Dei, quæ corruptioni et mutabilitati subest, quemadmodum inquit sublimi mente præditus Apostolus, « Cantabo spiritu, cantabo et mente [2]. » Spiritum animamesse definiens, mentem autem ejus principalem et gubernatricem vim, cui obediens, et veluti regi in capite præsidenti sublimi duci interna cordis consilia deferens, multis captu dif-

[1] 1 Cor. xv, 48. — [2] Id. xiv, 15.

ficilis est, repugnans cogitationi cogitatione superveniente, et per considerationem dementiæ. «Ex corde enim egrediun-» tur malæ cogitationes[1], » inquit Dominus. Si igitur impugnante nos cogitatione ex corde, opposuerimus supervenientem cogitationem ex mente, tanquam a lege emissam legem, citius quiescit affectus : et si dementiæ considerationem superinduxerimus, illico desinet inflatio arrogantiæ, et effervescentia iræ consopitur circa corpus infelix ubique fervens. Dementia enim absentia mentis est, anima repellente ejus disciplinam in rebus agendis, et accedente ad alium magistrum. Consideratio autem est accessus et mansuefactio mentis, et admonitio est quasi mentis positio, quam indunt præceptores discipulis, dum ipsos admonent.

INTERROGATIO CLVIII.

Num igitur qui nihil didicerunt, mentem non habent?

RESPONSIO.

Habent quidem, sed squaloribus aut indumento lacero vestitis similes, qui veste quidem amicti sunt, sed corrupta et ignominiosa. Porro quod aliud quiddam, quam anima, sit mens, fide digno usus teste Apostolo, supra demonstravi. Quod si evidentiorem expectatis demonstrationem, considerate mihi insanos et mente captos, qui animas quidem habent, mentem non habent, id quod est dementia, quando in ipsis aberravit mens, aut aliqua perturbatione excussa est. Aspice item lactentes infantes, animatos quidem, sed mentem non habentes, nondum admonitionem divinitus consecutos, propter imperfectionem, et quod ejus nondum est capax natura; qui et propter absentiam mentis aliquoties gladio aut vitrio inhiant,

[1] Matth. xv, 19.

aut aliquid mali velut bonum exhaurientes, mox luctuosissimam reportarunt mortem, vita violenter ablata per dementiam.

INTERROGATIO CLIX.

Si igitur animæ gubernatrix vis est mens, et præsentia quidem hujus servamur, absentia vero nequaquam, omnino nobis in ea est id, quod secundum imaginem Dei est, tamquam in eo quod salutem præstat.

RESPONSIO.

Licet animæ gubernatricem vim dixerim mentem, itidem tamen alibi dixi, neque hanc esse secundum imaginem Dei. Quomodo enim erit imago incorruptibilis ea, quæ corruptibilis est et captu facilis? captiva robusti, et semper similiter immutabilis manentis? Nam quæ per aliud excutitur aut degravatur, aut ejus quod voluit potestatem non sola habens, sed quæ declinat, aut succumbit deteriori, non erit imago ejus, qui non flectitur, et incomprehensibilis est. Istis autem mens in paradiso succubuit, aut post ista deflexit consilio serpentis, aut repulsa ab anima, aut cum ipsa concidens; id quod sublimi mente præditus Apostolus significans, inquit: « Metuo ne rursus » veniens serpens deceperit aliquos vestrum, et corrupe- » rit sensus vestros [1]. » Alibi autem eos, qui jam capti sunt, lamentatus, inquit: « Homines corrupti mente, » reprobi circa fidem [2]. » Et rursus inquit idem: Vi- » deo autem aliam legem in membris meis, repugnan- » tem legi mentis meæ, et captivum reddentem me legi » peccati [3]. » Quomodo igitur erit imago Dei immutabilis, carentis omni defectu et incomprehensibilis, quæ e diverso

[1] 1 Cor. II, 3. — [2] 2 Tim. III, 8. — [3] Rom. VII, 23.

superata, aut succubuit, aut una cum anima cecidit, et in transgressionem prolapsa est?

INTERROGATIO CLX.

In quo igitur videtur tibi, imaginem Dei nos habere, an omnino nos ei dissimiles ostendis?

RESPONSIO.

Id quidem, quod secundum similitudinem dicitur, paulo post demonstrabo, pro virili divinam sequens Scripturam. Quod autem secundum imaginem dicitur, quemadmodum prædixi, in immortalitate positum, et in dominatione animæ mihi videtur, non aliter quam ut prædictum est. Aiunt enim Litteræ divinæ : « Et factus est homo in ani-» mam viventem[1], » hoc est, immortalem. Id quod in præcedentibus clarius inquit : « Et dixit Deus : Faciamus » hominem secundum imaginem et similitudinem nostram, » et dominetur piscibus maris, et volucribus cœli, et pecori-» bus, et bestiis, et reptilibus terræ[2]. » In eo igitur, quod dominamur omni creaturæ, quæ sub cœlo est, et in immortalitate animæ id quod secundum imaginem Dei est, habemus. Super quibus velut obstupescens de ineffabili bonitate Dei Davides Carminum divinorum auctor, inquit : « Domine, quid est homo, quod memor es ejus, aut filius » hominis quod invisis eum[3]. » Consentiens autem cum patre peritus ille rerum divinarum Salomon (17) inquit : « Domine, quid est homo, quod magnificasti eum, aut » quod visitas mentem, quæ in ipso est[4] ? » Et iterum inquit Davides : « Omnia subjecisti pedibus ejus, oves et bo-

[1] Gen. II, 7. — [2] Id. I, 26. — [3] Psal. VIII, 5. — [4] Job. VII, 16. juxta LXX.

» ves omnes, insuper et pecora campi, volatilia cœli, et » pisces maris, per marinas semitas ingredientes[1]. »

Secundum imaginem (18) intelligitur secundum rationem et intellectum et propriam potestatem, secundum id quod mens gignit Sermonem, et Spiritum producit, secundum dominandi potestatem. In his et Angeli secundum imaginem sunt, abundantius autem homines, secundum id quod ingenitus est Adamus, genitus Sethus, procedens Eva, secundum id quod naturaliter dominatur; naturaliter enim imperat corpori anima; et secundum id, quod conjungit universam creaturam. In Deo enim unitur omnis creatura, et in homine. Vinculum enim est intellectilis et sensilis creaturæ. Et quod secundum imaginem nasciturus erat Filius Dei. Non enim Angelus, sed homo factus est.

Quemadmodum rex aliquis, qui magnam ædificavit civitatem, in ejus medium imaginem suam statuit, ut honoretur in honorem sui : ita et Deus post quam mundum fecisset, secundum imaginem suam hominem fecit. Secundum imaginem autem, quod capax esset virtutis et bonitatis. Inquit enim, « Sancti estote, quoniam ego sanctus » sum[2]. » Et Apostolus : « Quemadmodum gestavimus » imaginem terreni, gestemus et imaginem cœlestis[3]. » Non videtur autem mihi secundum dominium, siquidem et Angeli, Principatus et Potestates dicuntur, et sol et luna dominari diei et nocti; neque tamen ideo secundum imaginem Dei facta dicuntur. Rursus inquit Apostolus : « Vir » est secundum imaginem Dei, mulier autem gloria viri » est[4] : » quod ejusdem honoris cum viro fœmina fuerit, amiserit autem honorem post transgressionem, significans. » Secundum similitudinem» autem forte pro eodem dicitur,

[1] Psal. VIII, 8, 9. — [2] Levit. XI, 44. — [3] 1 Cor. XV, 49. — [4] Id. XI, 7.

ut hoc : « Ego dormivi, et soporatus sum [1] ; » et ut illud : « Beatus qui intellectum habet super pauperem et ege- » num [2]. »

INTERROGATIO CLXI.

Quare vero primum piscibus dominari præceptum est, et volucribus, ac deinceps jumentis, bestiis et reptilibus?

RESPONSIO.

Primum in infirmiora dedit audaciam, ut sic deinceps confidentior factus etiam fortioribus bestiis dominaretur. Aut quod primum ex aquis natatile volatileque genus prodiit, deinceps ex terra productæ sunt bestiæ, et jumenta et reptilia. Primum igitur nata merito quoque primum sunt hominum servituti subjecta.

INTERROGATIO CLXII.

Et quomodo sumus domini, cum ex jumentis et bestiis, et reptilibus quandoque leo, ursus, lupus, serpens, scorpius, omnia denique adversus nos insurgunt, partim quidem discerpere, partim vero percutere, ac veneno nos necare volentia?

RESPONSIO.

In superioribus alicubi, quantum meæ facultatis est, id declaravi, supervacaneumque mihi videtur iisdem implicari, cum tempus non suppetat.

[1] Psal. v, 6. — [2] Id. xl, 2.

INTERROGATIO CLXIII.

In superioribus dixisti, quod omnes bestiæ et reptilia ante peccatum se nobis submiserint, et nos reverita sint : post transgressionem autem, post quam nos ex dominandi potestate excidimus, omnia adversus nos insurgant, sicque rem habere demonstrasti. Nunc autem audire quærimus, cur non et cœlo, et terræ, et mari, et fluminibus, soli et lunæ, et nubibus dominemur, si secundum imaginem Dei sumus. Deus enim omnibus imperat.

RESPONSIO.

Quod dictum de bestiis est, etiam istis convenit. Nam qui mox depravarunt imaginem per subjectionem deterioris, nisi imperio excidissent, etiam istorum domini fuissent.

INTERROGATIO CLXIV.

Num igitur si cœlo præcepisset, ut plueret, aut terræ ut aliquid produceret, obedivissent? Aut soli, ut exoriretur, num exortus fuisset? aut mari, ut siccaretur; aut fluvio, ut interrumperetur, et non flueret, num obedissent?

RESPONSIO.

De hoc cape evidentes demonstrationes : Moses divinus ille legislator percussione virgæ Rubro interrupto mari, et per medium sectis aquæ partibus instar murorum firmatis, sexcenta millia virorum in abyssi sicco fundo siccis pedibus traduxit. Et haud diu post exercitu aquam quærente in solitudine aquarum experte, baculo percussa rupe, e

vestigio fluvium effudit inundantem desertum. Similiter Jesus Nave filius, illius successor, celebri amne Jordanis diviso, eumdem trajicit populum, duodecim lapides ex ripa fluminis populo præcipiens ut tolleret, quos cernimus in hodiernum usque diem, eo locorum profecti. Idem cum præcepisset soli cœlum percurrenti, defixit ipsum in eo loco usque ad sequentem diem, et eamdem horam, cum tantummodo dixisset : « Consistat sol juxta « Gabaonem, et luna juxta vallem Elonem[1] : » loca quædam significans, usque dum hostes sternerent, et victoriæ trophæum erigerent. Considera vero et Eliam illum divinum, solo verbo ex cœlis ignem deducentem super missum ad se a rege quinquagenarium, cui inquit : « Si ego » sum homo Dei, descendat ignis ex cœlo, et absumat te, » et quinquaginta milites tuos[2]. » Mox autem et e vestigio superveniens flamma, eam cohortem militum in cineres redegit. Rursus idem zelo Dei correptus, castigare volens astrorum cultui deditum populum, tres et dimidium annum imbriferis nubibus verbo firmatis, perseveravit morte punire Deo repugnantem populum, pluviis interceptis. Inquit enim : « Vivit Dominus, si erit pluvia su- » per terram, nisi per os meum[3] : » quasi dicat : Quando mihi visum fuerit. Cum autem in cœlum equitaturus, et igneis quadrigis assumendus esset, cum ad Jordanem pervenisset, cum ipsum pallio percussisset, flumen divisit, sicco pede una cum Elisæo pertransiit, ascendit solus igneum currum, et inter per aëra vadens, tunicam ad discipulum abjecit, abiitque vivus usque in hodiernum diem. Considera item in Testamento Novo mundi dominos et principes, quomodo Petrus quidem ex nubibus dejicit Simonem : Paulus autem tertio cœlo calcato, et inde paradiso, judicat Angelos, qui defecerunt. Et ut omnia

[1] Josuë. x, 12. — [2] 4 Reg. x, 12. — [3] 3 Reg. 17, 1.

summatim dicam, qui imaginem malis actionibus maculaverunt, neque imperio exciderunt, omnibus imperant et dominantur cœlestibus.

INTERROGATIO CLXV.

Bene nobis expositis iis, quæ dicenda de imagine sunt, rogamus ut adjicias etiam id, quod est secundum similitudinem. Quare cum dixisset Deus : « Faciamus hominem » secundum imaginem et similitudinem nostram [1] : » id quidem quod secundum imaginem est, repetiit; id autem quod secundum similitudinem est, tacuit? Inquit enim Scriptura, « Et fecit Deus hominem, secundum imaginem » Dei fecit ipsum, marem et fœminam fecit eos [2], » et non est additum, quod secundum similitudinem.

RESPONSIO.

Quia noluit Deus nos desides et socordes vitam agere, instar suum aut porcorum sylvestrium aut ovium et cæterorum ratione carentium animalium, neque item nullam mercedem meritos indigne honorare, in nostra potestate reliquit, ut assimilemur ipsi per imitationem erga illum, et per virtutum correctionem et demonstrationem, ut erga proximum sedulitate assimilemur ipsi, quantum ab humana natura contendente ad Deum præstari potest. « Nam » esto pupillis ut pater, et ipsorum matri pro viro [3], » inquit rerum divinarum peritus ille Salomon. Ille autem in Evangelio Dominus inquit : « Beati misericordes, quoniam » ipsi misericordiam consequentur [4]. » Et iterum : « Beati » pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur [5]. » Item :

1 Gen. I, 26. — 2 Ibid. 27. — 3 Eccli. IV, 10. — 4 Matth. V, 7. — 5 Ibid. 9.

« Discite a me quod mitis sum et humilis corde, et inve-» nietis requiem animabus vestris[1]. » Simus ergo benefici et misericordes, ipsi misericordiæ indigi misereamur ejus, qui beneficio affici rogat. Hoc enim beneficio Deus rogantes afficit, si fecerimus quod nobis fieri volumus. Facit enim nobis Deus quodcumque nos aliis fecerimus.

INTERROGATIO CLXVI.

Atqui non dixit Deus: Faciamus hominem nobis per virtutem assimilandum, sed statim perfectum et absolutum dixit se ipsum facere. Num igitur aliter quidem dixit, aliter autem fecit?

RESPONSIO.

Nihil horum arguit in Deo mutationem sententiæ, sed in nobis scintillam amoris erga se reliquit, ut per imitationem ad illius faciem contendamus. Alius enim nondum erat, qui ab eo, qui producebatur, mox esset oblectandus. Futurum autem merito illis, qui ex illo progressuri erant, tribuit. Consideremus autem etiam alio modo, nihil eorum, quæ de imagine et similitudine dicta sunt, depravantes, sed ex abundanti demonstrationes quasdam petentes. Inquit enim Deus : « Faciamus hominem secundum ima-» ginem et similitudinem nostram[2]. » Futurum velut jam præsens sciebat, et antequam faceret omnia[3], præcognoscens uniuscujusque exitum. Quemadmodum de Esaüo et Jacobo, antequam conciperentur in utero materno, aut antequam excernerentur e lumbo paterno : dicens per Malachiam : « Jacobum dilexi, Esaüum vero odio habui[4]. » Sicut et de Jeremia dicit: « Antequam te formarem in » utero novi te, et antequam e matrice egredereris, sanc-

[1] Matth. xi, 29. — [2] Gen. i, 26. — [3] Rom. ix. — [4] Malach. i, 2.

» tificavi te[1]. » Sicut et de Juda præmonstrans ipsius proditionem, cum adhuc ne quidem parentes ipsius essent, inquit per Davidem illum divinum vatem : « Qui mecum » edit panes, magnum instituit adversus me dolum[2]. » Sicut et de principe Apostolorum Petro per eumdem divinum vatem Davidem ait : « Qui me laudabant, jurabant » adversus me[3]. » Simulque prædicit omnium fugam, « Amici mei et proximi mei adversus me appropinquave- » runt, et steterunt, et proximi mei steterunt eminus[4] : » qui nondum e lumbo fuerant rejecti, neque in carnem coagulati, imo nondum parentes, aut proavos habebant. Sed et salutarem suam crucem velut jam erectam, et super eam clavis affixum longe ante demonstrans, inquit : « Perfoderunt manus meas et pedes meos, enumeraverunt » omnia ossa mea[5], » ubi clavos in me transfigant. Et ut summatim omnia dicam, multis in locis divinæ Scripturæ audimus loqui Deum de futuris velut jam præsentibus, aut præteritis et peractis, quæ secundum prædestinationem certo eventura sunt, quemadmodum inquit eximius ille Apostolus : « Quoniam quos præscivit, eosdem et præfi- » nivit conformes fieri imaginis filii sui, ut ipse sit pri- » mogenitus inter multos fratres[6].

Cum igitur certo sciret primorum parentum nostrorum seductionem, et lapsum in inobedientiam, et quod in postremo sæculorum tempore unigenitus Dei Filius homo nasciturus esset, propter homines ob suam separationem periclitantes, id quod præfinivit, declarari mihi videtur per id, quod inquit : « Faciamus hominem secundum imagi- » nem nostram et similitudinem[7]. » Quasi dicat : Licet sero, tamen propter ipsum nascar secundum ipsum, de experte nuptialis consuetudinis et semper Virgine absque

[1] Jerem. I, 5. — [2] Psal. XL, 10, et Joan. XIII. — [3] Psal. CI, 9. — [4] Id. XXXVII, 12. — [5] Id. XXI, 17, 18. — [6] Rom. VIII, 29. — [7] Gen. I, 26

semine corpus assumens, in præsepi rationis expertium animalium reponendus, ab experte rationis conditione ipsum revocans. Oportet enim me fieri quod est, et ipsum facere quod sum, inhabitare tenebrosum, et luce carens antrum hujus vitæ, ut ipse cœlum inhabitet : fasciis ligari, ut ille solvatur a vinculis mortis : crescere corpore, ut crescat Divinitate : me baptizari oportet, et abluere squaloribus obsitum : tentari, et vincere adversarium, et subjicere superato. Esuriam pro eo, qui male comedit, ego nutriens universa. Sitiam pro condemnato, qui pluviam præbeo, et in carne inambulo abyssum. Volens vinculis constringar, et solvam præter animi voluntatem ligatum. Illudar, et conviciis exponar, ut ab opprobrio virorum liberetur, qui transgressus est sexus muliebris. Creator ipse conspuar in carnis faciem, ut creati abstergam faciem. Colaphis cædar a servo ego Angelorum Dominus, ut in libertatem asseram sub servitutem peccati redactum. Nam colapho manumittunt servos domini, simul atque percusserint a servitute eximentes. Spinis coronabor, qui paradisum plantavi, ut eradicentur mortalium spinæ. Felle cibabor, et aceto rigabor, ratione carnis assumptæ, omnem abstergens humanæ naturæ amaritudinem. Qui Israëli manna præbui, aram et crucem conscendam, ut corpore transfigar incorporeus, at propter homines eo circumdatus. Idem faciam a Judæis comprehensus incomprehensibilis, idem mortuus immortalis, morti mors; idcirco sepeliar propter eos, qui in orco sunt, idcirco veluti saxum aliquod percutiam illius portas, « Educens vinctos in fortitudine[1], » quemadmodum inquit Davides servus meus. Idcirco cœlos ascendam, non indigens ascensione tanquam implens universa. Idcirco a dextris sedebo nulla forma expressi Patris, et ipse ad illius similitudinem nulla forma expressus. Hoc

[1] Psal. LXVII, 7.

secundum imaginem et similitudinem ejus, qui a me factus est, postremis temporibus fieri placet, qui constitui mihi ipsi, quod in opificio futurum erit. Quod si tibi videtur certa hæc de imagine et similitudine oratio, desine deinceps amplius de ea percunctari.

INTERROGATIO CLXVII.

Quid igitur? Num Trinitas incarnata et homo facta est? Non enim dixit Deus: Faciamus hominem secundum imaginem : sed, « Faciamus hominem secundum imaginem » et similitudinem, » non meam, sed, « nostram [1]. »

RESPONSIO.

Si in iis, quæ ordine in eo sermone sequuntur, ingredi voluerimus, semetipsum plane divinus sermo declarabit, dicens : « Et fecit, » non fecerunt, « Deus, » non dii, « hominem » secundum imaginem Dei, » non deorum. Per id igitur, quod inquit, « Faciamus, » tres indicantur personæ Divinitatis. Per id autem, quod inquit, « Fecit, » unitas naturæ et consilii, et operis, quemadmodum et ex nostra creatione cognovimus. Nam quod inquit : « Et fecit Deus » hominem, » unitatem naturæ omnium hominum demonstrat. « Masculum et fœminam fecit eos, » personas indicat. Et alibi inquit : « Delebo hominem de terra, quem » feci [2]. » Atqui plurimæ myriades hominum erant, qui temporibus Noë diluvio mersi sunt, licet singulare verbum sit. Alibi item totius Pharaonici exercitus submersionem canens sacrum illud Mariæ carmen : « Cantemus Domino, » inquit, gloriose enim glorificatus est. Equum et ascen- » sorem dejecit in mare [3]. » Multitudinem equitatus singu-

[1] Gen. I, 26. — [2] Id. VI, 7. — [3] Exod. XV, 1 et 21.

lariter, itidemque exercitus similiter decantans, omnibus in Rubro mari submersis una cum infelici rege suo. Ad Mosem autem inquit : « Ego Deus Abrahami, et Deus » Isaaci, et Deus Jacobi [1]. » Per illud quidem, « Ego, » unitatem et identitatem suam significans sacra Trinitas : per id vero, quod ter, « Deus, » dixit, tres suas hypostases, et personas demonstrans, semel quidem, « Ego, » ter autem, « Deus, » dicens. Sed et ea, quæ omnibus est ineffabilis et abscondita ex Maria semper virgine uniti cum Deo hominis in carne sancta apparitio, Patris quidem qui voluit, Filii vero, qui incarnatus est, Spiritus sancti autem, qui cooperatus est, fuisse dici queat. Non propter inefficacitatem unius ad perficiendum id opus, sed propter integrum consensum et unitatem, et identitatem unius consilii, et auctoritatis, et regni in Trinitate, solet Scriptura tripartito multa divinæ operationis dividere ; Veteris quidem Testamenti opera ad Patrem referens, Novi vero ad Dei Filium Christum, et quæ nunc in præsenti divinitus fiunt, ad Spiritum sanctum.

INTERROGATIO CLXVIII.

At non dixit Deus : « Faciamus hominem secundum » imaginem et similitudinem, » in qua aliquando futurus sum, sed jam constantem et perfectam indicat, dicens : « Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit » ipsum : » quæ quidem Mosis verba sunt.

RESPONSIO.

Nisi data opera contendere volentes perturbarentur in iis, quæ dicta sunt, non abs re viderentur mihi ea, quæ

[1] Exod. III, 15, 16.

hanc imaginem concernunt, apte respondere ad sanctam apparitionem Verbi apud nos factam, testimonium perhibente mihi multis in locis ante multorum temporum annos prophetico cœtu, qui post se futuram Verbi in carne vitam velut jam præsentem prædicat. Isaïas quidem Vatum excellentissimus diserte clamat : « Puer natus est nobis, et datus » est : et vocabitur nomen ejus Deus fortis [1]. » Neque item eam, quæ secundum carnem est, Matrem ejus et semper Virginem tacet, quæ postmodum erat nascitura. Alius etiam quingentos et amplius annos ante uniti cum Deo hominis et Verbi exaltationem, velut qui jam crucifixus esset, et e monumento resurrexisset, astantem rogabat : « Quid- » nam illa vulnera per medias manus tuas [2] ? » Cui Deus nondum incarnatus, Vatem nihilominus confirmans, velut ista jam facta essent, inquit : « Hæc sunt vulnera, quibus » affectus sum in domo dilecti mei [3]. » Davides autem Carminum ille divinorum auctor ante mille jam annos veluti præsentem, aut præteritam ipsius in corpore ad cœlos ascensionem cecinit : « Ascendit Deus in jubilo, Dominus » in voce tubæ [4]. »

INTERROGATIO CLXIX.

At quomodo in superioribus rejecisti eos, qui membra Deo ascribunt, et humana forma præditum dicunt, et rursus idem asseris ipsum esse sicut nos ?

RESPONSIO.

Non esse, sed nasci dixi, unitum et anima et corpore nostris. Siquidem ipsum sanctum Verbum nostri simile factum est, et vitam inter nos agens, cum esset quod erat, et

[1] Isaï. IX, 6. — [2] Zach. XIII, 6. — [3] Ibid. — [4] Psal. XLVI, 6.

cerneretur quod non erat, inquit ad sacrum Apostolorum cœtum panem distribuens : « Accipite, comedite de hoc » omnes, hoc est corpus meum, » nondum immolatum carne. Et « Accipite, bibite, hic est sanguis meus [1], » nondum vulneratum in cruce per lanceam in latere. Et videmus sanctum illum panem hodie in ara incruenta tempore divini et mystici officii, in impolluta propositum mensa, non tamen similem imagini salutiferi corporis Dei et Verbi. Neque item immixto ipsius sanguini, una cum pane propositum poculum vini. Non membrorum articulatæ distinctioni, non carnali et sanguineæ qualitati, non invisibili et absconditæ unitæ cum ipso formæ experti Divinitati. Illud enim sanguinem continet, animatum, rubrum, et articulatum est, et variis arteriis atque venis distinctum, quibus et opifex ille Verbum variegatus erat usque ad pilos et ungues. Comam enim Dei voco Christi comam, similiter et pedes, et ungues, et sanguinem et aquam. Propter me enim meis unitum est Verbum. Estque hoc quidem erectum artubus compositum, incedendi vim habens et agendi : illud autem rotundum, non articulatum, inanimatum, sanguine carens, immobile, et neutro simile : non ei, qui cernitur, et invisibilis est Divinitate. Credimus nihilominus secundum sermonem divinum, etiamsi non sit simile vel æquale, proprie tamen et convenienter id esse corpus divinum, quod in divina mensa sancte consecratur, et universo cœtui sacro absque sectione dividitur, et absque defectu participatur. Neque enim sol desinit indignis lucem præbere, neque mare per salem participatum, usque ad fundum exhauritur, neque ignis infinitas succendens faces languescit aut minuitur, non deficiente eo quod subest, et flammam excitat. Neque item aër omnium animatorum respiratione imminuitur. Rursus ait : « Qui non credit in me, jam con-

[1] Matth. xxvi, 26, 27.

» demnatus est : » cum nondum judicasset quemquam. « Qui » vero credit in me, habet vitam æternam [1], » ea nondum recepta ab iis, qui credunt, donec hac affectibus obnoxia et crassa vita liberati fuerint. Ex hac enim ad illam transimus. Sed sermoni divino credentes, futurumque certo tenentes ; veluti si jam in ea constituti simus, ita sumus affecti. Similiter intelligamus et eum, qui de hac imagine est, sermonem, per prædictionem quamdam Dei Verbi formationem, et nativitatem, vitam denique nostræ similem apte declarare, sic tamen ut omnis vitiositas excludatur.

INTERROGATIO CLXX.

Ergo si sibi præfinivit humanæ naturæ assumptionem Deus, culpa carent Judæi, qui ipsum crucifixerunt.

RESPONSIO.

Caruissent culpa, si non prædictum ipsis fuisset per legem et Prophetas, non alienigenas, sed cognatos et consanguineos, et in eodem exercitio legalis disciplinæ constitutos, quo abstinerent a Dei in Christo nece, et ne contra legem agerent, absque ratione Verbum per carnem occidentes. Ideo nihil ex vanis illis garritibus utilitatis perceperunt, lege illegitime usi. Non enim legi adhærentes, et a puero in ea instituti, in inscitia, imo perditione senescentes illum rejecissent. Ad gentes, quibus lex lata non fuit, et quæ in lege educatæ non erant, neque in ea institutæ, bene et legitime vixerunt, sibimetipsis lex factæ, suumque conditorem amplexæ, ex iis solis, quæ ab ipso facta sunt, Deum ipsum esse crediderunt.

[1] Joan. III, 18. — [2] Id. VI, 47.

INTERROGATIO CLXXI.

Quandoquidem in præcedentibus dixisti, in virtutum perfectione nos assimilari Deo, teque dicturum recepisti, quonam id per virtutes pacto fiat; a te petimus, primum dici nobis quæ sit perfecta virtus.

RESPONSIO.

Admirabiliter, o charum caput, et præcise quærens quis perfectus virtutis finis sit, demonstrans te vigilanter ad ad illum respicere, et quasi (siquidem inventum sit quod desideratur) eum tuæ ipsius vitæ proprium facere velis. At ego in utroque pariter hæsito. Id enim vel oratione complecti vel demonstrare, quod ratio cognoverit, etiam meum intellectum superare dico. Fortassis autem et omnes, qui virtute claruerunt, ejus perfectionem se assequi non posse fatebuntur. Perfectio enim in aliis quidem omnibus, quæcumque sensu metimur, terminis quibusdam finitis percipitur, velut in quantitate continua et discreta. Omnis enim in quantitate mensura, propriis quibusdam terminis continetur. Ubi qui ad cubitum respicit, aut ad numeri decadem, cognoscit et id unde cœpit, et in quo desiit, in quo scilicet existere perfectio solet. In virtute autem unicum ab Apostolo perfectionis terminum didicimus, quod ipsa infinita sit, et omni carens termino (19). Nam magnus ille ac sublimi præditus mente per hanc perpetuo currens, nunquam ad ea quæ priora sunt, extendere se cessavit. Neque enim satis tutam putabat esse a cursu institionem. Nullum enim bonum propria natura terminatur, sed per comparationem contrarii omnino finitur : quemadmodum vita morte, lux tenebris, et robur infirmitate. Quemadmodum

igitur finis vitæ principium mortis est, et solis occasus principium caliginis, et bonæ valetudinis amissio principium infirmitatis : sic cursus a cursu virtutis institio principium fit cursus vitiosi. Ideo recte dixi nullis terminis propriis subjectam esse virtutem. Nam quod terminis comprehenditur non est virtus. Virtutem vero perfectam et indeterminatam, et infinitam, magnitudinis et quantitatis expertem, et omni comprehensione superiorem, Deum dico, qui proprie et principaliter est bonus, cujus natura bonitas est et immensissima virtus. Quandoquidem igitur nullus alius est virtutis terminus, quam vitiositatis oppositio, Numen autem divinum contrarii non capax est, et infinitum : etiam is, qui virtutem obit, idem omnino et Dei particeps est, qui absoluta est virtus, adeoque terminum non habet. Necessario denique etiam ejus, qui participat, cupiditas cum infinito concurrens, et una sese extendens, institionem a cursu nunquam habebit. Infinita igitur et immensissima absoluta virtus intelligatur, quæ quidem ipse Deus est.

INTERROGATIO CLXXII.

Et quomodo quis viam aut opus aggredietur, quorum finem et perfectionem expectare sibique polliceri non potest ? Quomodo vero virtutem capesset aliquis de ejus perfectione desperans ?

RESPONSIO.

Ne, quandoquidem id, quod in quæstione propositum est, incomprehensum oratio nostra demonstravit, virtutem, quæ perfici potest, negligamus, quæ plane sancte concionatur : « Estote perfecti, quemadmodum Pater vester

» cœlestis perfectus est [1]. » Quibus verbis non cum omnino incomparabili, et rationem intellectumque superante divina natura nosmet ut extendamus, jubet : (id enim fieri nequit) sed ut illius imitemur benignitatem, et facilitatem, omnimodamque bonitatem, et omnem erga proximum intimæ miserationis affectum ostendamus, etiamsi sit inimicus et insidiator. Omnia enim omnibus suppeditat Deus, et affatim quasi de fonte quodam manare facit. Prævenimus donis utilium rerum petitiones, a nemine secundum dignitatem honorati. Capessamus igitur pro viribus virtutem, levibus et crebris ad ipsam saltibus assilientes, etiamsi ad summum pertingere nequaquam possimus. Nam in iis, quæ præ cæteris pulchra sunt, ipsum totum licet consequi nequeant, vel partem assequi, lucrum haud vulgare est. Etenim si maxime fontem aut vas aquarium ebibere non possumus, num propterea debemus concessa fruitione mederi ardori sitis ? Aut quia ut universum aërem attrahamus fieri non potest, ideo neque respirare debemus ? Aut quia totam disserendi artem non scimus, ne prorsus quidem fari debemus? Omne igitur studium adhibendum, ne excidamus ea perfectione, quæ contingere potest. Quin ipsam tanto magis amplecti debemus, quanto viribus nostris superior est ; laudabilis enim est ejus copiosior possessio. Ideo mihi videtur perfectio virtutis, si quis semper festinet, ut in bono plus habeat, et justitia injustitiam deprimat. Ineffabiliter enim per judicium divinum ad trutinam appensis ponderatisque momento temporis iis, quæ ab unoquolibet in hac vita facta sunt, prout vel virtus vel vitiositas superaverit, remunerationem reportantes, ad nostri similes aggregabimur, una cum aliis aut honorandi præmio, aut afficiendi supplicio.

[1] Matth. v, 28.

INTERROGATIO CLXXIII.

Quæ sunt species virtutis, et quot? aut num fieri potest, ut ipsam recte per unam aliquam perficiamus? Non enim quilibet possunt quaslibet præstare. Fortassis enim fit, ut quis aliquos propter paupertatem hospitio excipere nequeat, qui tamen temperans et sobrius esse potest, aut sustinere tentationes, aut docere pietatem. Alius item largitur pauperibus ad vitam necessaria, alius gratis ministrat. Quid igitur, num per istarum unam aliquam æterno supplicio liberari non potest?

RESPONSIO.

Omnis quidem virtus excolenda est iis, quibus rationis vis a crassis rebus obscurata est, et apud eos, qui vere sunt sanæ mentis. Omnis autem vitiositas abominanda, utpote quæ virtutis adversaria est, nostræ repugnans naturæ. Porro virtutis aliqui species quatuor esse dixerunt, fortitudinem, prudentiam, temperantiam et justitiam: quæ pulchra quidem sunt, sed humi repunt, et innatant terræ, suntque demissiora, quam cœlestis illa sublimitas. Fortitudinem enim dixerunt, quæ vitiis resistat: temperantiam adversus affectus robur et victoriam: prudentiam, in civitatibus optimam rerum publicarum constitutionem: justitiam, quæ laudabiliter curat vitæ cujusque sortem. Ideo putarunt ordinem quemdam se sancire, si cohibuissent modi excessum in eo quod in utramque partem nimium est: sublimius autem aliquid neque cogitare neque eloqui potuerunt, et quantum in ipsis fuit, virtutem in iis tantum quæ cernuntur, incluserunt, nihil arbitrantes ipsam habere vel sublime, vel quod cœlorum decori simile sit. Nos autem præceptorem eximium illum Apostolum

habemus, multas quidem species virtutis recensentem, tres autem præ cæteris omnibus insignes [1], fidem, spem, charitatem. Quarum fides quidem dat hominibus ea, quæ supra naturam sunt, intellectilibus ascribens eum, qui adhuc circumdatus est indumento crassæ materiei multis affectionibus obnoxio. Nam quæ Angelorum et reliquorum carne carentium ordines ignorarunt, horum humi affixis et in terra versantibus hominibus scientiam largitur fides, et instruit eos, adducens mentem ad regalem, et nulla forma expressum thronum, et per exquisitum refulgentemque splendorem principii expertis et incorruptæ naturæ caliginem sensuum depellens, et si quid crassum et nubilosum ex illis est, a mente postquam abstersit, facit ut adjuncti socii nihil absurdi credant commissum, priorum oblivione per ablutionem et lavacrum facta, quasi semper virgo et incontaminata apparens.

INTERROGATIO CLXXIV.

Quid sibi vult Dominus, cum ait: « A diebus autem » Joannis Baptistæ regnum cœlorum vim patitur, et vio» lenti rapiunt illud [2] ? » Scimus autem, quod omnis (violentia) condemnatione et maledictione digna sit: quomodo igitur intelligemus hoc Domini dictum?

RESPONSIO.

Quia Joannes primus ejus temporis regni cœlorum adventum hominibus annuntiavit, et Servator deinceps advenit: qui firmiter et sincere credunt, per summum exercitium et sortitionem terminos naturæ transcendentes, et ad affectuum mortificationem translati in corpore, et ex

[1] Cor. XIII, 13. — [2] Matth. XI, 12.

eo obstacula supervolantes, mortificantes concupiscentias corporis, per angustam et laboriosiorem viam in virtutibus ingredientes, se violenter cogunt, « Ad præmium supernæ » vocationis [1] » compellentes, ut inquit divus Apostolus.

INTERROGATIO CLXXV.

Quid significat Dominus de eodem Joanne dicens : « Et » si vultis recipere, hic est Elias, qui venturus est [2] ? » Scimus autem, quod Joannem Herodes decollavit, et quomodo rursus Elias hic idem erit ?

RESPONSIO.

In Spiritu et virtute Eliæ ante se missum in suo uniti cum Deo hominis adventu Eliam merito appellat. Item propter gratiæ æqualitatem, et administrationis similitudinem. Principium enim et finis duorum Testamentorum fuit Joannes. Finis quidem Legis, principium vero Evangelii. Hoc est, alterius quam legalis institutionis et vitæ magister. Similiter et Eliam expectamus in secundo uniti cum Deo hominis Christi adventu, paululum præcedentem, qui ostendat finem quidem esse præsentis institutionis et vitæ, principium autem futuræ. Quemadmodum autem necatus est Joannes, ita et ipsum ab intellectili Herode propter veritatem interficiendum credimus.

INTERROGATIO CLXXVI.

Quomodo « Major inter natos ex mulieribus Joannes » Baptista est [3] ? » Et si Propheta fuit, quid amplius habuit quam Propheta? Sic enim dicit Dominus in Evangelio.

[1] Philip. III, 14. — [2] Matth. XI, 14. — [3] Ibid. II.

Quare autem major omnium testimonio Servatoris perhibitus est, qui suo ipsius patris os obturavit?

RESPONSIO.

Varia mihi de hoc videtur esse declaratio. Et quidem ante omnia vobismetipsis fatentibus, quod major omnibus mortalibus, et excelsior Prophetis testimonio Domini perhibeatur Joannes, non habemus verbum vivente Verbo præcellentius, quod testimonio est Voci in deserto clamanti: «Parate vias Domini, et rectas facite semitas ejus[1].» Sed occasionibus de voce a verbo sumptis, rationem ex neutrius quidem dignitate, pro mea tamen virili de singulis reddam. Major ergo omnibus inter natos mulierum Joannes, quod cum adhuc in utero materno esset, nostramque vitam nondum attigisset, vaticinatus sit, instrumento materna lingua usus. Et in tenebris latens, Lumen in alvo semper Virginis Mariæ incarnatum non ignoravit, fulgore veluti per foramen aliquod, per os ejus quæ gestabat, amplexu et osculo Deum gestantis puellæ hausto, elevatus materna lingua exclamavit: «Unde mihi hoc, ut mater » Domini mei veniat ad me[2]?» Gratus servus Dominum cognovit, et gestiens exultare in ventre ad ministerium Verbi impellitur, ad præveniendum ad Jordanem, et parandum ipsi secundum carnem, quod pro nobis erat, lavacrum. Major autem Prophetis est, quod ipsum, de quo illi vaticinabantur, vidit in carne, illiusque verticem tetigit, quo contremiscunt universa, quem omnes Patriarchæ et Prophetæ per somnia aut ænigmata tantum imaginati sunt, ante uniti cum Deo hominis Verbi divinam apparitionem vita defuncti. Quod autem mutus factus est Zacharias, post quam illi filii procreatio annuntiata fuisset, id non ex

[1] Matth. III, 3. Marc. I, 3, et Luc. III, 4.— [2] Luc. I, 43.

consternatione conspecti a se Angeli profectum dico: (consueta enim erat illorum visio ei, qui pure legi in officio sancto serviebat) sed per typum illius silentii sequitur silentium legis. Nato vero puero lingua patris rursus restituta est, significans e silentio et sterilitate atque senio vocem generari, hoc est, ex antiquata, et ad senium redacta sterilique facta lege, ac infœcunditate Judæorum, qui eam acceperant, neque quidquam ex Prophetarum vaticiniis utilitatis perceperant, neque intellexerant judaïcam Dei et Verbi secundum naturam nostram nativitatem reipsa evenire, et illius matrem secundum carnem ex ipsis progredi.

INTERROGATIO CLXXVII.

Et quomodo cum Christus ipsum omnibus majorem testetur, rursus idem dicit : « Qui autem minor est in regno » cœlorum, major ipso est[1]. »

RESPONSIO.

Ne hoc quidem citra duplicem et varium intellectum est accipiendum; triplicem enim nobis hæc verba sensum referunt. Unum quidem, quod minor ipso secundum carnem ipse Dominus esset, cum semestri tempore post illius conceptionem inhabitaverit perpetuæ virginitatis matrem, ex illa corpore circumdatus, secundum unionem indivulsus, et a commixtione liber, quemadmodum ex magno illo Gabriele discimus, qui Deiparæ id annuntiat. Inquit enim : « Ecce Elizabetha cognata tua etiam ipsa concepit filium » in senectute sua, et hic ei sextus mensis est[2]. » Minor item est Joanne, cum homo cernitur, major autem cum

[1] Matth. xi, 11. — [2] Luc. i, 36.

Deus esse intelligitur Christus. His autem cedit Angelorum Joannis respectu excellentia. Nam qui omnibus Angelis putatur ordine et natura minor in regno cœlorum, major ipso est secundum naturam et generationem. Joannem enim vilis Herodes decollavit, unus autem Angelus, qui illis omnibus minor est, infinitos Herodes in temporis momento percussisset et perdidisset. Unus enim Angelus egressus ex castris, Esaïæ et Ezechiæ tempore, centum octoginta quinque millia alienigenarum hostium in temporis puncto prostravit perimens. Quem vero nobis alium tertius exhibet sensus? quis minor quidem in regno cœlorum, major autem Joanne? omnino eum, qui a Domino « Filius tonitrui » cognominatus est[1], Joannem Theologum. Ille enim cum multo timore etiam jussus tangere Verbi verticem carnem gestantis non audebat, hic autem plus omnibus libertatis habens, in divina cœna in sinu Domini recumbens, paulo post super ipsum sanctum uniti cum Deo hominis pectus sese reclinat, ut Evangelium docet[2], de eo, qui ipsum proditurus erat, quærens. Innuerat enim ei Petrus, qui sciscitaretur quisnam esset, qui ipsum proderet. Non mater, quæ pepererat; non Josephus qui nominabatur, attamen pater ejus non erat; non Joannes Baptista, non Angelus, non Archangelus, neque alius quisquam incarnati Dei et Verbi ausus fuit attingere illud formidabile pectus, super quod hic Joannes velut pater super filium diffusus recubuit, inde de Verbo verbum hausit, atque omnibus sub cœlo intonuit illud : « In principio erat Ver-» bum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver-» bum[3]. » Ille divinum et sacrosanctum Spiritum in specie columbæ vidit tantum super Verbum in carne baptizatum ex cœlis volantem, hic autem in specie linguæ ignis super suum ipsius proprium accepit caput una cum condiscipulis

[1] Matth. III, 17. — [2] Joan. XIII, 23-25. — [3] Joan. I, 1.

in die Pentecostes, quemadmodum magnus ille Lucas Acta describens de Apostolis memoriæ prodidit[1]. Ille capite truncatur propter lascivum scortum, quod cum fratribus rem habebat Herodis uxor, quæ fuerat antea fratris ejus : hic condemnatus, qui pro Domino ad sepulcrum migraret, deinceps moritur. Ille baptizabat tantum ad se accedentes, Spiritum autem sanctum nemini præstare poterat; quamobrem eos, qui ab ipso baptizati erant, hic una cum reliquis Apostolis rebaptizabat, et ad perfectionem manus imponentes, Spiritum sanctum largiti sunt fidelibus ad signorum et prodigiorum editionem. Ille major omnibus inter natos mulierum esse testimonio majoris perhibitus est : hic Lumen mundi vocatus a vera, et ingenita, et semper existente magna illa luce. Ille e vita excessit, nullo facto signo, neque prorsus ullo edito miraculo, quemadmodum de ipso perhibet Evangelium[2], neque quoquam audito eorum, quæ sibi illic futura erant : hic una cum Christo sedere, et suo nutu judicare tribus Israëlis a Christo prædicante promissionem accepit una cum duodecim. Ille nusquam beatus pronuntiatur, licet magnus esset inter homines : hic demonstrationem accipit ejus, quod major sit, a beato Deo et Servatore nostro Jesu Christo, qui inquit ipsis : « Amen dico vobis, multi Prophetæ et justi desiderave-» runt videre quæ videtis, et non viderunt; et audire » quæ auditis, et non audierunt. Vestri autem beati sunt » oculi, quia videtis; et aures, quia auditis[3]. » Quod Joannes Propheta sit, omnes credimus. Ille, appropinquante matri suæ ea, quæ gestabat filium sine patre, matrem reveritus, gestiit exiliendo, ac veluti imminente sibi a prægnante periculo, non ferebat eam, quæ facem gestabat propius accedere. Hunc autem in eodem loco statuit, et commendat matri propriæ, qui secundum substantiam

[1] Act. II, 3. — [2] Joan. X, 41. — [3] Matth. XIII, 16, 17, et Luc. X, 23.

matrem non habebat, et secundum dispensationem erat absque patre, tempore salutiferæ passionis cruci astantibus, intentis in Joannem oculis, inquit ei, quæ sola absque nuptiali consuetudine mater est, « Ecce filius tuus : » idemque rursus ad illum : « Ecce mater tua[1] : » alterum alteri pro semetipso commendans, utriusque incontaminatam et intactam virginitatem, perhibente etiam illo cœtu, qui Deo repugnat. Et, ut summatim dicam, Christus est regnum cœlorum. Qui igitur secundum legem perfectus et absolutus erat Joannes, minor mihi videtur iis, qui in mortem Domini baptizati sunt. « Nihil enim perfecit » lex[2], » ut inquit magnus in Lege, et eximius in Evangelio Apostolus, in omnium experientia constitutus. Ergo in generatione sua, et suis temporibus major erat omnibus Joannes. Siquidem repugnaret sibi ipsi Deus ad Salomonem quidem dicens : « Sicut non fuit ante te, et post » te non surget, qui sit similis tibi[3]. » De Joanne autem, quod « Non surrexerit inter natos ex mulieribus major eo[4]. » Secundum legem major erat et absolutior omnibus. Præstantiores autem sunt Apostoli. Non enim inquit Dominus, quod non surrecturus sit major eo ; sed quod non surrexit, tanquam suis temporibus. Ante utrosque autem illos inquit ad diabolum Deus : « Num observasti mente tua » servum meum Jobum, quoniam non est super terram » homo sicut ipse[5] ? » Et ad Mosem inquit : « Novi te præ » cunctis hominibus, et invenisti gratiam coram me[6]. » Sicut igitur magnus cum esset suis temporibus Enochus, translatus est, et sicut Noë justus erat suis temporibus, in arca cum octo servatus, mundo per diluvium submerso : quemadmodum item magnus erat Lothus, qui solus con-

[1] Joan. xix, 26, 27. — [2] Hebr. vii, 19. — [3] 3 Reg. iii, 12, et Paral. i, 12. — [4] Matth. xi, 11. — [5] Job. i, 8. — [6] Exod. xxxiii, 12.

servatus est, incensa Sodomorum Pentapoli : ita et Joannes major omnibus fuit secundum legem suis temporibus.

INTERROGATIO CLXXVIII.

De quibusnam dicit Dominus : « Amen dico vobis, sunt » quidam hic stantium, qui non gustabunt mortem, donec » viderint Filium hominis venientem in gloria sua[1] ? » Quidam enim dicunt de Joanne Theologo ipsum locutum fuisse, quod non moriatur usque ad secundum adventum Christi.

RESPONSIO.

Cum jam instituisset se comitantes Discipulos, ut mortem contemnerent, et fortiter se expedirent ad subeunda pro ipso pericula : ipsorum abscondita ingreditur, et inveniens ipsos adhuc claudicantes, efficere conatur, ut tandem abjicerent, quæ ab ipsis anxie expectabantur, excitans et ungendo quasi parans ipsos promissione beatæ vitæ ad magnanimam cum ipso usque ad mortem unionem. Cernebat enim ipsos inconstantes, velut arundines vento quassatas, id quod etiam Judas ille Iscariotes ante necessitatem, aut persecutionem aliquam flagellationemque, veritus futura, et avaritiam secutus, et impetu spiritus semetipsum amantis captus declaravit, qui Dominum vendidit. Eodem item passionis tempore, qui Ballilam extimescebat, summus ille Apostolus ter cum jurejurando Dominum abnegavit, licet mox lacrymarum medicinam adhibuerit. Utque summatim omnia dicam, ad palum crucis ipso eunte, spiritus timiditatis in ipsis confractus, omnes usu fugæ sibi consulere fecit, permisitque prius ipsum interfici, quam

[1] Matth. xvi, 28.

prædicarent ea, quæ ipsum concernebant. Ideo et his, qui comprehendebant ipsum, inquit : « Si me quæritis, sinite » hos abire[1]. » Proinde cum præsciret ipsorum perturbationem fluctuationemque, obfirmat ipsos promissione, eamque ex parte denudat, de tota perobscure fidem faciens, cujus in præsentia cum non essent capaces, in terram propemodum semet abdebant. « Assumptis enim post » sex dies Petro, et Jacobo, et Joanne in altum montis » verticem, transformatus est coram ipsis, splenduitque » facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus erant sicut » nix[2], » inquit divus ille Matthæus. Hic igitur, antequam gustarent mortem, conspexerunt Filium hominis in gloria sua, sicut ipsis antea promiserat.

Ac tametsi non apparuerit nuda Divinitas, sed unita membris nostris; in terram tamen ipsos dejecit intolerabili vultus splendore docens ipsos, quod si voluisset Christus apparere sicut est, omnia prorsus colliquefacta fuissent ad comprehendendum intolerabili aspectu, instar ceræ propinquitate solis liquescentia. Exhibuit autem eis Mosem et Eliam, duos illos eximios justorum proceres secum colloquentes, ostendens se non modo super terram, sed et jam sub terra constitutis dominari : et non tantum quatriduo, ut Lazarum, aut eodem die mortuos, ut filium viduæ, sed etiam ante mille annos extinctos, et eos, qui a sæculo interierunt, et in pulverem soluti sunt, mandato suo coram se sistere vivos et valentes posse. Facit autem ista ante passionem et resurrectionem, demonstrans non illud se per patientiam et fortitudinem tanquam testimonio probatum a Patre habere in omnia imperium, sed propriæ potestatis esse. Ideo diversis modis, et aliter atque aliter vita defunctos sibi sistit, ostendens ante sepulturam et resurrectionem se vivis et mortuis imperare, qui Mosem

[1] Joan. XVIII, 8. — [2] Matth. XVII, 1, 2.

quidem communi omnibus morte de vita sustulisset, Eliam autem igneis quadrigis velut in cœlos ad invisibilem terræ locum transtulisset : illum quidem ab inferis reductum, hunc autem ex viventium regione, quæ illis suscipiendis deputata est, vocatum in oculi momento ad se statuit. « Adhuc autem ipso colloquente cum eis, inquit magnus » ille Matthæus, ecce nubes lucida obumbravit ipsos, et e » nube vox audita est, dicens : Hic est Filius meus dilectus, » ipsum audite[1]. »

Porro Patre per nubem ita mandante, mox illi viri sancti discesserunt : qui vero sub intolerabili nube sese occultaverant, fecerunt, ut qui stabat transformatus, solus appareret Filius ille germanus, dilectus, consubstantialis, cum fiducia cum Patre colloquens. Nam ad divinum et regale silentium conveniebat alios quidem famulorum secedere; adductos autem præterire, et tacere atque venerari silentium. Non gustaverunt ergo mortem, donec viderunt Filium hominis in gloria sua. Non ut erat, sed ut cernebant, idque tres tantum ex cœtu sacro perspicaciores et præstantiores. Inquit enim Dominus : « Sunt qui- » dam hic stantium, non omnes, qui non gustabunt mor- » tem, donec viderint regnum Dei[2]; » quo obscure tantum viso, propemodum vitam amiserunt. Joannes igitur et omnes Apostoli, et Prophetæ e vita excesserunt præter Enochum et Eliam, qui soli adhuc in carne esse perhibentur, paulo post etiam ipsi interficiendi.

INTERROGATIO CLXXIX.

Et quomodo Petro de Joanne evangelista dicit Dominus : « Quod si voluero ipsum manere, donec venio, quid » ad te[3]? » Id quod indicat ipsum vivere usque ad sæculi consummationem.

[1] Matth. XVII, 5. — [2] Luc. IX, 27. — [3] Joan. XXI, 22.

RESPONSIO.

Ipse Joannes in Evangelio suo id circa finem declaravit, dicens : « Et cum hoc dixisset, dicit ei, » hoc est, Petro, « Sequere me. Conversus autem Petrus, videt Discipulum, » quem diligebat Jesus, sequentem, qui idem et in cœna » recubuit super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est, » qui prodit te? Hunc videns Petrus, dicit ad Jesum : Do- » mine, hic autem quid? Dicit ei Jesus : Si ipsum voluero » manere, donec venio, quid ad te[1] ? » Quandoquidem enim ipsos piscantes offenderat, Petrum admonuit, ut se sequeretur. Volebat autem ille et condiscipulum una cum ipsis proficisci, dicitque ad Jesum : « Domine, hic autem » quid? » Quem indicare volens Jesus, debere apud mare manere, inquit : » Si voluero ipsum manere donec venio, » quid ad te? »

[1] Joan. XXI, 18-21.

DIALOGUS IV.

ET IDEM ULTIMUS.

INTERROGATIO CLXXX.

Cupimus ex te discere, quomodo intelligatur parabola fermenti. Non enim parva nobis heri de hac quæstio fuit?

RESPONSIO.

Dupliciter mihi videtur intelligenda ea parabolica oratio. Verum ipsa primum recitata, deinde considerationem ejus inferamus. « Simile est regnum cœlorum fermento, quod » acceptum mulier prudens abscondit in farinæ sata tria, » donec fermentatum est totum[1]. » Fermento mihi videtur doctrinam et fidem in se comparare Dominus, mulieri autem Ecclesiam suam, quam et dilexit[2], quemadmodum inquit divus Apostolus. Farinæ vero sata tria, tres Noë filios, Semum, Chamum et Japhethum, ex quibus solis post diluvium omnes prodierunt gentes, quæ nunc in Ecclesia congregantur, quibus doctrina prædicationis et fides veluti fermentum immixta, totam gentium farinam, quæ constat ex tribus Noë satis ratione præditis, fermentavit ad cultum Dei. Quod si aliter dicta audire placet, fermentum intelligatur venerandum, et divinum corpus Dei quod in utero intactæ Virginis sibi circumdandum formavit, absque semine contextus, et unitus tam animæ quam corpori. Præterea mulier prudens esse merito ipse

[1] Matth. XIII, 33. — [2] Ephes. V, 25.

intelligatur, sanctus ille ac vivus, perque se subsistens Deus Verbum, propter fœmininam appellationem. « Chris-» tus enim Dei potentia, et Dei sapientia est[1], » inquit divus Apostolus. Farinæ autem sata tria, primum quidem universa mortalium natura, deinde mors, postea orcus : in quo absconditum per sepulturam divinum corpus, fermentavit omnia in resurrectionem et vitam. Audi etiam alio modo, esse tria sata, baptismum, Evangelia, mysteria. Aliter item intelligantur Apostoli, Vates et Doctores. Et aliter, præterita, præsentia et futura. Non enim propter præsentes incarnatus (iis solis) profuit, sed et præcedentes a morte resuscitavit, et posteris spem resurrectionis vitamque donavit, propter quod a mortuis suscitatus, secum quosdam resuscitavit, et ipse quidem cœlos est ingressus, illos autem in regionem viventium transtulit, ubi Enochus et Elias sunt, non amplius morituros?

INTERROGATIO CLXXXI.

Quandoquidem nulla nobis interpretationum divinæ Scripturæ satietas est, sed semper eas audire desideramus : declara nobis parabolam sagenæ : multam et tibi mercedem contrahens, et nobis utilitatem. Dicit enim Dominus : « Beatus qui fecerit et docuerit unum præceptorum isto-» rum [2] » : rursusque qui silentio defoderat acceptum ab ipso talentum sermonis, impunitum non reliquit.

RESPONSIO.

Germana mihi videntur prioribus etiam ea, quæ in hac parabola dicta sunt. « Simile enim est regnum cœlorum

[1] 1 Cor. I, 24. — [2] Matth. V, 19.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

» sagenæ in mare projectæ, et ex omni genere piscium con-» trahenti. Qua, cum impleta esset, retracta in littus, » sedentes collegerunt bona in vasa[1], putrida autem foras » ejecerunt [1]. » Evangelicum statum mihi videtur repræsentare sagena, quam acceperunt Apostoli divini, post quam ipsis dixisset Dominus : « Sequimini me, et faciam » vos piscatores hominum [2]. » Irrationalium enim piscium plerique ipsorum fuerant captatores. Hi nexas et contractas ex Veteri et Novo Testamento sagenas demiserunt, et velut in mari, in præsenti vita, rationales pro ratione carentibus in retia concludentes, hactenus ex omni genere contrahunt, tam malos quam bonos, justos et peccatores, concludentes eos divina sagena prædicationis, et absque discrimine adhuc in mari laborant viri sancti, tam littera quam spiritu. Nam corpore a plerisque absunt. Id autem eximius inter Vates Esaïas jam ante quingentos annos exclamavit : « Una cum agno pascetur lupus, et cum hœdo » conquiescet pardalis, et bos et asinus una paleas come-» dent, et vitulus et leo una pascentur, et puer parvus du-» cet ea [3] : » nullam separationem spiritualis cœtus fore significans. In eo enim simul rebus divinis pascimur, tam raptores quam homicidæ, mansueti et immites, a parvo puero ducti, de quo alibi idem inquit : « Puer natus est » nobis, et vocabitur nomen ejus Deus fortis, dominator [4]. » Quando vero consummationis tempus advenerit, retrahent eam in littus, et secundum nutum Christi una cum Angelis separationem eorum quæ insunt facientes, flagitiosos ex medio justorum segregabunt.

INTERROGATIO CLXXXII.

Quid significat Dominus, Petro mandans, ut abeat et

[1] Matth. XIII, 47, 48. — [2] Id. IV, 19. — [3] Isaï. XI, 6, 7. — [4] Id. IX, 6.

hamum mittat, et aperto ore piscis primum egressi, inventum staterem det pro se et illo, iis qui exigunt censum et didrachma [1] ?

RESPONSIO.

Non extra duplicem sensum etiam ista mihi dicta videntur. Staterem enim, quem Petrus ex profundo in pisce accipere jussus est hamo, nostram formam puto, quæ velut in profundo, utpote in hac vita contecta affectibus, et submersa fluctibus peccati, fluctuat. Sin minus hoc, eam detentionem nostri, quæ in orco per mortem facta est, quam in semetipso ad primum exemplar Dominus revocat, pro se et Petro dari staterem jubens, tanquam nostri similis homo factus, nostris affectibus obnoxius, et ad dandum tributum requisitus, excepto quod vitiositati non cessit, nec obsequens factus est, vel declinans ad deterius. Pro se autem et Petro staterem præbens, pro Ecclesia voluntarius patitur. Dicit enim ei : « Tu es Petrus, et super hanc pe» tram ædificabo meam Ecclesiam [2]. » Per semetipsum autem docet ipsam. Ædificatio enim animarum, rerum divinarum institutio est, lapidem habens in caput anguli primarium magistrum omnium, nempe Christum, de quo inquit Carminum ille divinorum auctor : « Lapidem quem » reprobaverunt ædificantes [3], » per legem nimirum Judæi, « hic factus est in caput anguli [4]. » Et rursus idem in persona lapidis inquit : « In capite libri scriptum est de me [5]. » Id quod Joannes revelavit, dum clamat : « In principio erat » Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver» bum [6], » videlicet carni unitum, et per semetipsum erudiens eum per illa, quæ de pisce dicta sunt et de statere,

[1] Matth. xvii, 26. — [2] Id. xvi, 18. — [3] Psal. cxvii, 22. — [4] Matth. xxi, 42, et Marc. xii, 10. — [5] Psal. xxxix, 8, et Hebr. x, 7. — [6] Joan. i, 1.

neque regi neque principi resistendum, citra noxam aliquid præcipienti, sed æquo animo se tributo se tributo summittendum. Simul et Deum se his ipsis demonstravit. Unde enim ipsi cognoscere licuisset, si homo erat secundum temulentiam eorum, qui ipsius Divinitatem impugnant, quod piscis in profundo staterem haberet in ore, et quod non in carne, sed in ore teneretur? Deinde, quod primus ille ad hamum esset adducendus? et num sua sponte piscis accedens ad hamum veniret, sicque Dei esset, utpote qui prædixisset capturam animalis staterem in aperto ore tenentis? Si vero, quod verius est, invisibili Divinitatis virtute duxit ipsum ad hamum, is vere fuit, qui ceto præcepit, ut susciperet quidem Jonam, illæsum autem custodiret in profundo, sicque salvum et incolumem in terram rursuse jiceret. Siquidem piscis ille statere (jacente) in profundo accepto, ad laqueum natabat, et primus ipse Deus est, qui eum præmonstravit. Quid enim inquit? Piscis primus omnium sui generis capietur? Vel quod potius et magis est consentaneum, ipsius necessitatis tempore is qui omnia ex nihilo produxit, facto statere, ipsum in piscem natatilem imposuit, et ad piscatorem flexit, qui quidem manifeste ille est, qui Petro præcepit hamum in mare jacere, de quo rex ille simul, et divinorum Carminum auctor inquit : « Deus noster in cœlo, et in terra, et in marinis » et in omnibus abyssis, quæcumque voluit fecit [1]. »

INTERROGATIO CLXXXIII.

Quid Dominus volens, ficum arefecit, et execratus est eam [2], ne amplius fructum ferret in æternum? Non enim id præter aliquod consilium fecit.

[1] Psal. cxiv. H. 3. — [2] Matth. xxi, 19.

RESPONSIO.

Ne simpliciter ipsum execratum esse et arefecisse arborem eam quisquam putet. Nam per id docere voluit, quod Deo repugnantem synagogam Judæorum etiam punire possit, sed tanquam bonus non velit. Nam cum ipsum a nemine pœnas exigere cernerent, existimabant ipsum tantummodo posse benefacere, non autem punire. Per inanimatam igitur naturam persuadet inimicæ Deo synagogæ, quod et punire velit, sed adhuc dum toleret, ac arefaciat ficum inanimam, simulque ut aridam faciat impiam synagogam, demonstrat ei sterilitatem, quo viderent (suam) sterilitatem et desolationem, quodque non mansurus esset lapis super lapidem. Ut autem ea ficus naturales fructus non ferebat, ita neque synagoga legales. Punitur itaque inanimata, ut proferat fidei fructum impia. Quis enim ignorat, etiamsi vel ab incunte ætate ac teneris unguiculis in aulis regum vixerit, et ignarus agriculturæ sit, ficum per hyemem fructum non habere? Verum ut dixi, vice imaginis ea arbore usus est plurium gratia. Primum quidem ostendit, quod possit vel etiam in præsenti vita malos afficere supplicio, sed etiamnum cohibeat potentiam, concedens unicuique tempus ad resipiscentiam, quemadmodum inquit Tragicus ille divinus : « Deus justus » est iudex, fortis et longanimis, nec inducit iram quotidie. » Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit [1] : » ultricem vim per hanc vocem indicans. Nam illud vere est Dei, « Arefacere verbo lignum viride, et ex arido rursus » facere lignum viride [2], » ut inquit Ezechielus ille spectator Cheruborum. Et qui arefecit ficum mandato, idem mille annis ante suam secundum nostram naturam nativi-

[1] Psal. VII, 12, 13. — [2] Ezech. XVII, 24.

tatem, aridum et inanimatum Mosis baculum in manu detentum, confestim in colubrum animavit, ad cujus assilientis aspectum torpens ille vir divinus, refugere tentabat, nisi mox qui vivificaverat ipsam, rursus virgam demonstrasset. Inquit enim ad ipsum is, qui de Lazari sepultura quærit : « Quid hoc est, quod est in manu tua? Ille vero » respondebat, Virga [1]. » Rursusque vox Dei inquit, « Projice eam abs te super terram [2]. » Projecta vero coluber fiebat, assistens ei qui projecerat. Illo autem recedente, dicit ei Deus : « Extende manum tuam, et apprehende caudam » ejus [3] : » quo facto, restituit animal in id, quod erat ante mutationem. Quemadmodum et iis, qui ad Lazarum vinctum pertinebant, inquit : « Solvite ipsum, et sinite abire [4]. » Quibus verbis illum valetudini restituit, post quam corruptus erat et fœtebat, ut esset id, quod antequam mortem gustasset, erat. Similiter et aridum foliorumque viriditate carentem Aaronis baculum sine labore et absque humore, terræve complexu, in una nocte folia et baccas producere fecit, quo facto sacerdotii exhibuit illi demonstrationem. Idem vero qui eam virgam virore circumdedit absque plantatione, semetipsum incorporavit absque copulatione. « Egredietur enim virga de radice Jesse [5]. » Jesse autem homo erat, pater magni Davidis. Necesse igitur erat ex animata radice, etiam animatam intelligere virgam, de qua loquitur magnus ille Esaïas. Quæ divinus revelavit Apostolus, diserte clamans : « Habemus Ponti- » ficem magnum, qui penetravit cœlos [6]. » Hic autem Hierosolymam veniens, haud ita longo tempore post, pro nobis crucem sponte sua subit, simul nudo verbo confestim arborem arefacit : ostendens quod ille ipse sit, qui eam et nasci jusserit, et quod præcipere possit ligno crucis ut

[1] Exod. IV, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Joan. XI, 44. — [5] Isaï. XI, 1. — [6] Hebr. IV, 14.

fulmine feriat se affigentes, quodque patiatur affixus ut Deus, qualia patitur homo in carne. Euntibus autem ipsis Hierosolymam, « Esuriit in via Jesus, et videns ficum, » venit ad eam, quærens fructum, et non invenit [1], » quemadmodum inquit divus Evangelista. Figurate autem intelligatur per viam præsens vita, quam vivens et sanctum Verbum ad similitudinem nostri natum corporaliter ambulat, et loca mutat, ubique divinitus præsens. Intellectiliter autem esuriebat nostram salutem, præcipue vero Judæorum. Venit ad ficum, utpote ad synagogam, quærens ex ea non sensiles ficus, sed intellectilem ex lege ac Prophetis, dulcemque fœcunditatem. Nam consimiliter ut in ficu grana insunt, ita in synagoga divina præcepta, de quibus anima participans dulcescit. Sed non invenit Jesus fructum in ea, nisi folia tantum legalium et propheticorum instrumentorum, eaque per transgressionem mandatorum divinorum veluti folia ficus a Judæis in irrationalem naturam conversis conculcata. Jumentum enim libris onustum, est interfectrix Domini synagoga. Quæ regem quidem sustulit, militem autem honoravit : a quo sæpius in captivitatem est abducta : sæpe item serva et tributaria facta : quæ legit et non intelligit ; quæ litteram habet, et rem ignorat ; quæ Testamentum habet, et a recta legis obedientia longe abest. Cujus solus Christus maritum se appellari volens, qui sciret ipsam aliis adhærentem, dicit per Oseam prophetam : « Ipsa non uxor mea, et ego » non ejus maritus [2]. » Alius vero Vatum causam indicans, clamat : « Isti non perstiterunt in testamento meo, et ego » neglexi eos, dicit Dominus omnipotens [3]. » Exhæredata est igitur steriliis ficus ; imo vero synagoga, quam propter adulterium sermo pietatis abnegat, et ab hæreditate lex arcet.

[1] Matth. xxi, 18, 19, et Marc. xi, 13. — [2] Osee. ii, 2. — [3] Jerem. xxxi, 32. juxta lxx.

INTERROGATIO CLXXXIV.

Quia tua eloquentia satiari non possumus, cupimus intelligere et molentium et molæ parabolam, et eam, quæ de agro est, et de duobus, qui in eo sunt. Inquit enim in Evangelio Dominus : « Tunc duo erunt in agro, unus assu» metur, et unus relinquetur : duæ molentes in mola, una » assumetur, et una relinquetur [1]. »

RESPONSIO.

In utrisque eadem eventura significantur tempore resurrectionis et secundi adventus Christi. Agro quidem mundum comparat, quemadmodum ipse alibi inquit, « Quod ager sit mundus, messores autem Angeli [2]. » Molæ autem similem facit instabilem hujus vitæ rotationem, et volubilitatem eorum quæ in eo fiunt, quæ velut molæ perpetuo motu, semperque instabiliter circumcurrentia, et antequam molita sint, in nobis aliud ex alio (invicem) alternant. In ea vero alternatim variatos, vel potius ab ipsa molitos, alios quidem assumendos, alios vero relinquendos nos significat, quotquot ab Adamo in hodiernum usque diem molunt. Atque horum alios quidem morte ablatos, alios autem adhuc relictos, in momento, in temporis puncto ad incorruptibilitatem esse transferendos, quemadmodum inquit eximius ille præco Apostolus : « Ecce vo» bis mysterium dico : omnes quidem non obdormiemus, » omnes autem immutabimur, in puncto, in momento oculi » ad extremam tubam [3]. » Itaque qui mortui sunt, instar molæ accipiuntur : qui vero sunt residui, relinquuntur. Simul vocem edente et excitante tuba divina eos, qui a sæ-

[1] Matth. xxiv, 40, 41. — [2] Id. xiii, 38, 39. — [3] 1 Cor. xv, 51, 52.

culo obdormierunt, mox ille qui neque flectitur, neque muneribus corrumpitur, præsidet judex, unicuique secundum dignitatem eorum, quæ in vita gesta sunt, retribuens : quemadmodum inquit divus ille Apostolus : « Alios quidem » secundum tolerantiam operis boni [1], » et quæ sequuntur.

INTERROGATIO CLXXXV.

De quibus inquit Davides, « Carbones accensi sunt » in eo [2]. »

RESPONSIO.

Multis in locis sacræ Scripturæ Deus ignis expers materiei cognominatur. Angelorum igitur chori et animæ justorum, propinquitate ad Deum per puritatem, inflammati carbones merito appellantur, instar luminarium in mundo lucentes, verbum vitæ continentes. Duplicem enim scimus ignis vim et effectum, adurèntem et illuminantem: vere quidem attingentibus illuminantem : contemptim autem et intrepide adurentem. Nam immoderata ejus propinquitas urit, mediocris vero distantia illuminat. Plurimos enim incurabiles morbos cauterio reprimere solent periti medici. Licet Deus non perdat, sed aliter conflet et repurget a turpitudine in gestis vitæ contracta : siquidem per pœnitentiam ad curationem propensus est is, qui morbo tenetur. Sin autem infirmus ex hac lamentabili vita excesserit, uritur quidem, at non comburitur, sempiterne igne divino cruciatus, in immortali deinceps et incorruptibili corpore. « Oportet enim hoc corruptibile induere incorruptibilitatem, et hoc mortale induere immortalitatem [3] » ut reportet unusquisque quod gessit per corpus » sive bonum, sive malum [4], » inquit eximius ille Apostolus.

[1] Rom. II, 7. — [2] Psal. XVII, 9. — [3] 1 Cor. XV, 53. — [4] 2 Cor. V, 10.

Itaque hic est tempus medicinæ, illic reddendæ rationis : hic sanitatis, illic supplicii : hic divinæ longanimitatis tempus est, illic inevitabilis et justi judicii.

INTERROGATIO CLXXXVI.

Quomodo intelligitur, cujus meminit Evangelium, securis infrugiferas arbores excindens?

RESPONSIO.

Infrugiferum Judæorum cernens voluntatis propositum Joannes, infrugiferis arboribus ipsos assimilavit, ad radicem illorum positam securim denuntians [1], brevem et acutam viventis Verbi discretionem, qua omnis arbor non faciens fructum bonum, excinditur, et in ignem projicitur. Huc item tendit divus Apostolus, qui inquit : « Vivus est sermo » Dei et efficax, et penetrantior quovis gladio utrinque in- » cidente [2] : » dissectricem prædicationis virtutem significans.

INTERROGATIO CLXXXVII.

Quid Dominus significat, cum inquit : « Cujus venti- » labrum in manu ejus, et repurgabit aream suam, et tri- » ticum quidem congregabit in horreum, paleam autem » comburet igni inextinguibili [3] ? »

RESPONSIO.

Ventilabrum mihi videtur incorruptum Dei judicium, unumquemlibet quasi per legem Dei ad congruentem sibi

[1] Matth. III, 10. — [2] Hebr. IV, 12. — [3] Matth. III, 12, et Luc. III, 17.

secundum gesta vitæ locum secernens. Aream autem intelligo universorum populorum in terrarum orbe Ecclesiam, et ex mortuis universorum hominum resurrectionem, in qua eos quidem, qui sunt instar paleæ, et instabiles, quovis vento peccati jactati, et leves et infrugiferi fuerunt, instar ventilabri decretum divinum in ignem elevat ad æternum incendium. Qui vero velut triticum nutritores proximorum fuerunt, et recte virtutem perfecerunt, illos in horreum comportat conveniens, quod et mansionem salutarem appellat. Illic enim vere est mansio nostra. Nam præsens vita, non mansio nostra, sed tabernaculum esse mihi videtur, quod una cum fixione etiam destructionem habet.

INTERROGATIO CLXXXVIII.

Occasionem ex responsione nacti, te quæsumus ut dicas quare Ecclesiarum sæpenumero et piorum hominum videmus casum et interitum per terræ motum, aut fulmen, aut per aliam indignationem accidere, ut peccatoribus?

RESPONSIO.

Ex divina Scriptura de istis docemur. Nam si divinæ Arcæ non pepercit Deus, sed ipsam alienigenis tradidit cum sacerdotibus ejus, qui inique egerant: et civitatem sanctam Hierosolymam solo æquavit: et Cherubos gloriæ propitiatorii sustulit, et stolam sanctam disrupit, divinaque charismata, et prophetiam et declarationem, et ephod et rationale, et ex auro puro laminam, arcanos habentem characteres, et reliqua sancti ministerii, gentibus tradidit in conculcationem et direptionem, tunc prævalentibus impiis: ne nunc quidem suis templis parcit, neque in iis

contentis ineffabilibus et incontaminatis mysteriis, timorem injiciens offendentibus, ut severius expectent supplicium, si in malitia perseveraverint. Nam « Ululet pinus, » quoniam cecidit cedrus[1], » inquit Hieremias (20). Hoc est, fortibus et sanctis sublatis, quæ in terra infirmiora sunt erudiantur. Quod itidem tradit hisce verbis peritus ille rerum divinarum Salomon : « Impiis cadentibus, justi ti- » midi fiunt. » Non enim armorum cuspides, et galea, et thorax aut tibialia securam flagitiosis vitam præstabunt, prædatoribus et publicas vias obsidentibus. Multi enim captu difficiles putati, miserabiliter vita privati sunt; apud nos quidem litteris proditi, Orebus, et Zebus, et Zebeas, et Salmana, et Abimelechus et Goliathus, et Absalom, et quicumque similes illis fuere[a]; apud exteros autem, Hectores, et Ajaces, et ipsi qui propter fortitudinem inflati erant Lacedæmonii, quoniam non habebant cum robore conjunctam justitiam. Itaque prius quam nos Deus hostibus tradat, aut Ecclesias concutiat, cum peccantibus propter suam injustitiam certemus, et populum pro peccato, vallo pietatis armemus.

INTERROGATIO CLXXXIX.

Quid sibi vult Dominus dicens, ut benevolentiam habeamus cum adversario dum sumus in via cum ipso[2] ? Non semper nobiscum iter facientes habemus.

RESPONSIO.

Bona quidem et simplex, et prompta est benevolentia, ne succenseat, ne festinet ad ulciscendum eum qui læsit. Inquit enim ipse : « Diligite inimicos vestros, benefacite iis

[1] Zach. xi, 2. — [a] Matth. v, 25.

» qui vos odio prosequuntur, pro devoventibus vos[1], et » nemini malum pro malo reddite[2], » et quæcumque sunt hujusmodi. Habet autem hoc dictum duplicem quemdam sensum, latentem eos, qui crassiore sunt intellectu. Potest enim et domi desidens, et procul ab urbanis tumultibus remotus in extremis secessibus agens habere adversarium. Itaque benevolentiam cum adversario habens, melius et acutius illum intelligere jubet, adversarium quidem corporis appetitum adversus spiritum divine decenterque definiens, vim autem ipsam vitam innuens, a genere nostro inordinate recedentem. Benevolentiam verò velocem sensum corporeæ insurrectionis dicit, qui simul ut appetitus motus fuerit, illico intelligere debet, et quasi freno divino timore refrenare, ne quando si iisdem mandatis nos submiserimus, et indigna fecerimus superna vocatione, tradamur ab illis judici, quando venerit ad retribuendum unicuique secundum dignitatem eorum, quæ in vita gessit. Ne igitur promissionem litteræ sufficere putemus ad salutem neglecto opere, neque per tactum incontaminati sacrificii appropinquare Deo nos imaginemur. Nam facere quam loqui Deo convenientius esse, Deus demonstrat.

INTERROGATIO CXC.

Quid est, quod dicit Dominus, « Quod si dexter oculus » tuus offendit te, erue ipsum, et projice abs te; et si dex- » tra tua manus offendit te, amputa eam, et projice » abs te[3] ? »

RESPONSIO.

Oculo et manui dexteræ, Christus oculus nulli somno

[1] Matth. v, 44. — [2] Rom. xii, 17. — [3] Matth. v, 29, 30.

succumbens, et dextera Dei et Patris, propinquitatem consanguineorum, vel etiam amicos accommodos merito assimilavit, per quos quæ mandata sunt facimus, non aliter quam corporis membris, ad omnem ipsis cooperationem utentes, et una cum ipsis nos moventes. Quando itaque aliquis eorum nobis auctor scandali fit, peccato involvens, et nobis quidem convicium, sibi autem ignominiam affert et opprobrium, mox illum excindere et domo pellere proculque a nobis abjicere divinus homo præcipit, ne quando instar pestis depascatur corporis erectum robur bene habentibus et sanis, suam ipsius odoratus malevolentiam. Ne igitur prætextu philosophiæ veram philosophiam quæ Christus est despiciamus, qui immobilem et nullam adulationem admittentem requirit animum. Inquit enim Paulus vera sapientia plenus : « Christus Dei sapientia est, » non sermonem tantum, sed et vitam ornans [1]. »

INTERROGATIO CXCI.

Quid significat Dominus, cum nos similiter ut maledictus serpens sapere jubet, dicens : « Estote prudentes ut serpentes, et simplices sicut columbæ [2]? »

RESPONSIO.

Prudentes nos esse vult Dominus ut serpentes, in omni periculo aut tentatione caput conservantes, quod est Christus [3], quemadmodum inquit Apostolus. Serpens enim difficulter comprehensus totum quidem percutienti corpus exhibet, caput autem illæsum custodire conatur. Et quieti se tradens et dormiens, semetipsum rotans, medium intra totum corpus caput communit veluti muro conse-

[1] 1 Cor. I, 24. — [2] Matth. X, 16. — [3] Ephes. IV, 15, et V, 23.

quenti tractu circumvallans ipsum. Sed et vetustatem sapienter exuit, ac in angusto aliquo ingressu compressus, senium deponit. Vult igitur et nos per angustam et laboriosam viam pressos veteri homine exui[1], et novo vestiri, qui sit secundum ipsius imaginem renovatus. Ad hæc, etiam illius versutiam in meliori imitari, et quemadmodum ille adulando nos in lapsum et transgressionem seduxit, ita et nos astute proximis accedentibus suggeramus quæ sunt fidei, reducamusque rursus et conjungamus Deo. Totum itaque corpus iis, qui propter Christum flagellant, ad dilacerandum exhibentes, caput illæsum omni robore servemus, quod est fides nostra in Christum. Neque item cœtu sacro bene habente et tranquille agente illam negligamus virtutum intentam operationem, pallium et barbam et baculum sufficere nobis ad perfectionem angelicæ conversationis arbitrantes, instrumentis vitæ nos instituentis instantes, luctam autem et pugnam descrentes, ex qua provenit victoria ei qui obsequitur, qui armatus est thorace, sermone fidei.

INTERROGATIO CXCII.

Post quam nobis bene, quæ serpentem concernunt, recensuisti, cupimus et de columba audire, cur ipsam serpenti conjunxerit, simplicem et absque malitia ipsam esse significans?

RESPONSIO.

Quandoquidem prudens quidem fuit serpens, at non in bonum, conjungit Dominus prudentiæ innocentiam et simplicitatem columbæ, sic prudentiam commendans,

[1] Coloss. III, 9.

ut prudentes quidem simus, sed simpliciter et innocenter, non serpendo et humi reptando instar serpentis, sed in cœlestibus ad Deum subvolantes. « Estote prudentes, in- » quit Dominus, ut serpens » adversus vos, ita et vos adversus ipsum prudenter agite. Sicut ille vos e beata vita, ita et vos ipsum e vestro consortio ejicite. Et simplices et innocentes erga proximos sicut columba, nulli mortalium retribuentes mala. Tradunt enim præ cunctis avibus cæterisque degentibus in aëre innocentem columbam esse, neque felliculum habere, quod est bilis organum. Præterea virtutis et malitiæ in duobus animalibus istis principia invenimus, cum conveniens singula instrumentum habeant. Malitiam quidem velut gravem et humi reptantem serpentemque in simili esse : virtutem autem velut divinam atque cœlestem in ave cœlum permeante apparentem, Dei in humanum genus benignitatem prædicantem. Constat enim, quod per divinum Spiritum virtutes in mortalibus efficaces sunt. Id quidem olim in ea quæ ex arca divina a Noë emissa columba factum, quæ ad divinum illum virum reversa est, ramum olivæ cum foliis ferens. Per ramum quidem lignosam legem, per pingue folium autem semper virentem Evangelii doctrinam ferens. Nam omnes gentes complexæ Ecclesiæ nostræ imago fuit omnigena Noë Arca, innatantis pelago, fluentis, et instabilis hujus vitæ : undique procella tentationum circumfusa nostra Ecclesia. Per serpentem paradiso excidimus, per columbam spiritus, in cœlos subducti sumus. In hujus quippe forma Spiritus sanctus omnium virtutum apex in Jordane super Jesum devolavit. Illum quidem Filium naturalem et non adoptivum demonstrans, nobis autem simplicitatem et innocentiam afferens. Ne ergo simpliciter ut serpens ad seducendum homines prudentes simus, sed ad benefaciendum recte sapiamus. (In-

quit enim benevolus ille præstantique mente præditus Apostolus : « Non ad sapiendum modo, sed ad recte sa-» piendum [1]. » Et rursus idem, « Volo autem vos sapientes » quidem esse ad bonum, simplices autem ad malum [2]. ») Neque laudibus elati sitis et inflati, neque vituperiis dejecti et animo concidentes. Non enim potest verbis læsus et obtestans, et in iram intolerabilem erumpens, operarius fieri dominicæ vineæ. Eum namque, qui in unam percussus maxillam, etiam alteram præbet, definit qui pondus diei præsentis sæculi et æstum in eo tentationum fortiter ferat, Dominus, tanquam omne opus laboriosum sui mandati prompte impleverit. Nec enim ipse tempore spontaneæ passionis a famulo percussus vindicavit, cui ab innumeris Angelis ministrabatur. Ad quem contendens a Judæis quinquies quadragenis una minus plagis affectus, mansuete suscepit, longanimitatem docens similem Deo, virtutem vere nominatam, cujus qui particeps est, ab iracundia procul abest. Quandoquidem igitur omnimoda virtus Deus est, merito longanimis appellatur, tanquam ab animositate longe distans. Quam etiam externæ disciplinæ sectatores honorarunt. Socrates quidem Atticorum dogmatum legislator, percussus non vindicavit. Antisthenes autem a quodam conviciatore in faciem percussus, cum nihil dixisset, abiit, solo percussoris nomine fronti inscripto, ne insanum vel ebrium suspicarentur ipsum ii, qui viderant. Epicteti vero crure a moroso domino convulso, multis philosophis silentii et in periculis occasio doctrinæ fuit. Is enim, qui philosophiæ operam dederat, dominus heri sui demonstratus est. Ne igitur deficiamus contumeliis affecti, sed nostri omniumque opificis vestigiis ingredientes, etiamsi servus alienus fuerit, qui alapam impegerit in divinum Verbum, etiam nos dicamus ei : « Si quidem male locutus

[1] Rom. XIII, 3. — [2] Id. XVI, 19.

» sum, testare de malo; sin bene, cur me cædis[1] ? » Sic enim magnanimitate veluti sagitta adversarius vulnerabitur, et mutata præpropera linguæ sententiæque temeritate, gratiam tibi habebit tanquam auctori traditæ melius mutationis. Non queruli simus aut deficiamus ad minores labores, siquidem magna præmia appetimus, sed et majores amemus, tanquam alias denarium non reportaturi, nisi perfectionis laborum testimonium habentes. « Non sunt » autem pares passiones præsentis temporis ad gloriam » quæ revelabitur[2], » inquit, qui plurima propter Christum passus est, omniaque propter ipsum præsentia pro quisquiliis habuit, eximius ille Apostolus.

INTERROGATIO CXCIII.

Quid est quod dicit Dominus : « Exivit qui seminabat ad » seminandum, et alia quidem ceciderunt juxta viam, alia » vero in loca petrosa, alia autem in spinas. Et quæ juxta » viam quidem, venerunt volucres cæli, et devorarunt. » Quæ autem in petrosa, propterea quod terræ profunditatem non habebant, neque radicem, post quam exorta sunt, » exaruerunt. Quæ vero in spinas, una suffocata sunt[3] : » et quæcumque de his sermo prosequitur.

RESPONSIO.

« Exivit qui seminabat ad seminandum. » Exivit a Patre Christus, ante sæcula Deus. Hic enim est sator salutis nostræ. Semen autem ipsius, divinus et vivificus sermo; arvum universa humanitas; boves Apostoli; aratrum, crux; jugum, concordia; jugatio, dulcis dilectio, colligans et subdens sanctorum cervices. « Exivit qui seminabat ad semi-

[1] Joan. XVIII, 23. — [2] Rom. VIII, 18. — [3] Matth. XIII, 3-7, et Luc. VIII, 5-7.

» nandum, » non triticum, aut hordeum, non aliud aliquid terrenorum, vel si qua insuper alia : sed fidem in Patrem, et Filium et sanctum Spiritum, spem resurrectionis, et dilectionem in Deum et proximum non simulatam. Exivit sator Christus, habens juga Apostolos, ut inquit Esaïas (21), « Non enim per decem juga boum fecerunt amphoram » unam [1]. » Decem autem juga boum rationalia, sacrum cœtum Apostolorum significant, duodecim quidem ante passionem : septem item cum Stephano post divinam resurrectionem sub duodecim electis. Vigesimum autem eum qui ex cœlis audivit, « Saule, Saule, quid me perse- » queris [2] ? » qui rursus pro eo quem persecutus fuerat adversus contribulem Israëlem, in aliam aciem transcribitur, et ad bellum vicissim armatur. Illi itaque rationales satoris illius viginti boves, mortalium effoderunt animale arvum, per Christum disseminaverunt unicuique sub sole eam quæ est in ipsum fidem, facta tota terrena massa nostra amphora una, capace divinarum mixturarum et sanguinis et aquæ, effusorum in cruce per apertionem lanceæ ex vase fictili divini corporis. Ipse enim sator, ipse figulus nostræ massæ Christus : qui ante incarnationem quidem nos ex nihilo creavit, contaminatos autem et inde deterioris capaces factos, per mortem contritos refingit, et per perseverantiam in posterum efficit nullius malitiæ capaces. Ipse siquidem absque mixtione et absque confusione contemperatur cum figmento, et immortales facit nos apparitione nostrorum, et aspectu secundum naturam nostram. Atque ipse fictile vas est, quod ex nostra testa secundum carnem factum est, habens viventem et salientem aquam suæ divinitatis, quod veluti ferens Joannes per prædicationem baptismatis, clamabat, conspecto Jesu : « Ecce » Agnus ille Dei, qui tollit peccata mundi [3], cruce et pro-

[1] Isaï. v, 10. — [2] Act. ix, 4. — [3] Joan. i, 29.

fusione sanguinis et aquæ. De quo item ipse Jesus interrogatus a Discipulis, ubi ipsi Pascha legale pararent, inquit: « Abite in civitatem, et occurret vobis homo fictile vas » aquæ gestans, et ei dicite: Magister dixit: Apud te facio » Pascha cum Discipulis meis. Et ostendet vobis cœnacu- » lum stratum magnum, et illic parate[1]. » Atque facta quidam sunt hæc sensiliter. Intelligantur autem figurate: Homo quidem gestans fictile vas aquæ, Joannes Baptista, prædicans pœnitentiæ baptismum et baptizans. Civitas autem superna Hierusalem, cujus cives Joannes et cætera justorum et sanctorum turba. Cœnaculum vero stratum splendido lapide cœlum, animalibus quibusdam et formis varietate astrorum figuratum, ad cujus similitudinem regale apud nos pavimentum lapidum varietate stratum. Quod autem bobus Apostolos comparavit Propheta, manifeste demonstrat Paulus divini vicenarii præcipuus, dicens: « Scriptum est: Non obligabis os bovi trituranti[2]. » Rursusque infert, « Num boum cura est Deo? omnino de nobis » dicit, propter nos enim scriptum est. » Sed ad sublimem Esaïam redeamus, prophetiam apud ipsum extantem secuti: « Non operantia decem juga boum factura esse » amphoram: » unam rursusque subjungit: « Et qui seminat » artabas sex, metet tres modios[3]. » Num igitur tantam frustrationem aliquando fore censebimus, ut qui seminaverit artabas sex, tantummodo tres recipiat modios? « Non » enim inquit, tres artabas faciet, sed tres modios, » exiguum quid habentes. Verum in interius litteræ velamentum ingredientes, inveniemus omnino id secundum ista futurum. Sex igitur artabas quibus Ecclesiæ conseritur arvum rationale mortalium, esse quatuor quidem divini sermonis

[1] Marc. XIV, 13-15, et Luc. XXII, 10-12, et Matth. XXVI, 18. — [2] 1 Cor. IX, 9, 10 et 1 Tim. V, 18, ex Deut. XXV, 4. — [3] Isaï. V, 10. juxta LXX.

libros, quintam autem sanctorum Acta, sextam vero unico volumine contentas eximii apostoli Pauli quatuordecim Epistolas : ex quibus et per quas fructum fert sacer cœtus institutione antistitum in divinis consitus, tres modios, fidem in Patrem et Filium et Spiritum sanctum. « Exivit » enim qui seminabat ad seminandum [1], » non triticum ex quo panis fit, sed fidem vivificam, at non in omnibus. (Quædam enim juxta viam cadunt, quæ via est Christus.) Nam inquit ipse : « Ego sum via vitæ [2]. » Non ergo procul a via sunt Ariani : quemadmodum et Græci et Judæi, neque item in via sunt, sed juxta viam, id est prope Christum. Quippe quod Christum confitentur, facit ut prope viam sint : quod vero minorem et inæqualem blasphemant, id ex vivente via ipsos ejicit. Quapropter et volatilia cœli, diabolici exercitus advolantes, colligunt semina divina ex corde reproborum. Ipse etenim Dominus quod præcepit, id omnino et facere solet, dicens : « Nolite projicere sanc- » tum meum canibus, neque projicere margaritas meas co- » ram porcis [3]. » Et rursus, « Tollite, inquit, ab ipso talen- » tum, et date ei qui habet talenta decem. Omni enim ha- » benti fidem rectam, dabitur et adjicietur : ab eo autem » qui non habet » fidem, spem, et charitatem in Deum, » etiam id quod videtur habere, auferetur [4], » inquit Dominus. Hoc est quod ipso frui non possint, nisi omni virtute sint perfecti, qui recta fide Deum non colunt. Sicut inquit ipse : « Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit : » qui vero non crediderit, condemnabitur [5]. » Vocat autem nomine, ut puto, incredulorum etiam male credentes, et impios sectatores hæresum. Porro qui in spinosis sunt, Eunomiani mihi videntur, quos propter blasphemiam Anomœos plurimi appellant. Nam quod debacchantes crea-

[1] Matth. XIII, 3. — [2] Joan. XIV, 6. — [3] Matth. VII, 6. — [4] Id. XXV, 28, 29. — [5] Marc. XVI, 16.

turam et cogitationem audent nugari Christum esse, id velut spinæ suffocat eos, et non permittit germinari et perfici fide. Competit etiam idem sermo quibusdam Ecclesiæ nostræ, qui curis vitæ, et spinis negotiorum se suffocant, neque concedunt in se vigere, aut perfectam producere rerum divinarum naturam. Alia autem ceciderunt non super petram, sed super petrosa. « Petra enim Christus est[1], » quemadmodum inquit divus Paulus. Petrosi vero mihi esse videntur obtusum habentes et obedire nescium cor, quod tenerius quidem est quam lapis, durius autem quam propria natura. Talis enim naturæ semen est, tenerius quidem lapide, durius autem terra. Cui comparat Dominus Deo inimicos Macedonios, et Marathonios, qui Spiritum blasphemant, et ipsum creatum esse falso asserunt, implacabilem sibi contrahentes Domini denuntiationem. Inquit enim, « Qui dixerit ver» bum adversus Filium hominis, remittetur illi : qui vero » dixerit adversus Spiritum sanctum, non remittetur ei, » neque hic, neque in sæculo futuro[2]. » Neque igitur terra sunt bona et frugifera, tenens semen sicut Christiani; neque item solida petra sunt, qui exculpentur a doctoribus in structuram sacri cœtus. Quod enim confitentur Dei Filium Jesum Christum similem secundum substantiam Patri, ostendit ipsos molliores esse : quod autem negant Deum esse Spirtum sanctum ipsos ambigere, et ex parte validos circa totum cæcutire, Creatorem cum creatura connumerantes, et de Domino pariter et servo perperam sentientes. Quos a christianismo secludens Apostolus inquit : « Si quis Spiritum Christi non habet, is non est » ejus[3]. Et alia, inquit Dominus, ceciderunt in terram bo» nam: et dabant fructum, alia quidem trigecuplum, alia

[1] 1 Cor. x, 4. — [2] Matth. xii, 32. — [3] Rom. viii, 9.

» vero sexagecuplum, alia vero centuplum[1]. » Terræ bonæ rectissimum et bene sentiens cor, et voluntatis propositum comparans, repurgatum ab hæreticis spinis, et germinans. Primum quidem herbam fidei, deinde spicam spei crescentem, tum maturum fructum dilectionis perfectæ exhibens. Hæc enim et divus Apostolus præcipua esse ostendit, « Fidem, Spem, Charitatem[2]. » Qui igitur credit, facit triginta : qui vero sperat, facit sexaginta : qui vero in dilectione perfecta est, centupla per perfectionem facit opera, quæ sunt acceptissima Deo. Qui ex uno semine tertium reddidit fructum, Deum honorans, Ecclesiam exaltans, semetipsum deificans, cum spiritu se componens, animæ providens, corpori imperans, in terra glorificatus, ex mortuis resurgens, in cœlis requiescit. Qui perfectus in Trinitate, fidelis est, mansuetus, facilis erga omnes et modestus, misericors, benignus, justus : corpus contemnens, divina exercens, cœlestia esuriens, in imagine cum mortalibus degens, et figura super terram apparens. Ideo trigecupla fructificat, tanquam inter homines agens; sexagecupla autem veluti cum Angelis ministrans : centupla vero tanquam cum Deo conversans; per unctionem olei sancti dans fructum in trigecuplis : per baptismum autem in sexagecuplis : per unguenti sacrum ministerium in centuplis. Qui credit in Patrem, profert triginta; qui in Filium, sexaginta; qui in Spiritum, centum..... Quo enim putant imminuere Spiritum divinum, hoc magis ipsum extollunt et ornant, numero præponentes ipsum Patri et Filio, male et imprudenter. Qui enim credit, non in Spiritum, sed in Patrem credit primum, deinde in Filium, atque tum in consummatorem Trinitatis Spiritum sanctum. Quemadmodum et divinorum ille Carminum auctor, opificium Trinitatis significans esse

[1] Matth. XIII, 23, et Marc. IV, 8. — [2] 1 Cor. XIII, 13.

universa, inquit : « Verbo Domini cœli firmati sunt, et » spiritu oris ipsius omnis virtus eorum [1]. » Dominum Patrem, Verbum Filium, Spiritum autem sanctum illum et consummatorem sacræ Trinitatis appellans. Cujus propriam potestatis auctoritatem significans Dominus, post quam a mortuis resurrexisset, inquit Discipulis suis : « Ac- » cipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, » remittuntur eis [2], » auctoritate videlicet Spiritus quem accipitis, divinitus vobis dantis potestatem remittendi peccata. Ne igitur cum hæreticis corruamus, qui a regina Austri condemnabuntur [3], per ignaviam in exercenda virtute. Hæc enim fama sapientiæ a finibus terræ ad Salomonem pervenire properavit; istis autem Christus hodierno tempore clamans, evigilare et aspicere id quod e re ipsorum est, persuasit. Et illam quidem verba et rumores ad salutem velocem reddiderunt; hos autem aspectus et operatio Dei, et Verbi incarnati, nequaquam meliores reddiderunt.

INTERROGATIO CXCIV.

Secundum litteram intelligitur tantum, aut num aliam aliquam considerationem habet interrogatio Petri et responsum Domini? illo quidem interrogante, « Quoties si » peccaverit in me frater meus, remittam ei, num septies? » Hoc autem abundanter respondente : « Amen dico tibi, non » tantum septies, sed septuagies septies [4]. »

RESPONSIO.

Pulchra quidem et facilis responsio, conferens utrique remissionem, cum ei qui peccavit, tum ei contra quem

[1] Psal. xxxii, 6. — [2] Joan. xx, 22, 23. — [3] Matth. xii, 42. — [4] Id. xviii, 21, 22.

commissum est aliquid. Illi quidem in quibus deliquit, veniam; petenti huic autem in gratiam recipienti, tanquam iisdem obnoxio. Nihil enim est quod cadere et capi nequeat, præter solam primæ et incompositæ sacræ Trinitatis in unitate naturam. Inquit enim divinum oraculum : «Quis gloriabitur castam se habere animam? aut quis libere » dicet se purum esse a peccato[1]?» Ante hos autem Jobus ille divinus, turris inconcussa, qui percutienti diabolo et affectibus non cessit, adamantinum laquear, diserte clamat : «Nullus a peccato purus est, si vel uno tantummodo » die super terram duraverit vita ejus[2]. » Vita autem hominis non fuerit ex utero in vitam progressus, sed post corporis incrementum intellectus perfectio, principium est consultationis circa vitam. Quandoquidem igitur futurum erat, ut Petro crederentur claves regni cœlorum, et ecclesiasticus cœtus : (claudere autem, intellige potestatem remittendi peccata : nam pro clave linguam habuit aperientem cœlum claudentemque, id quod et nobis est lingua, aperire nobis ipsis aut claudere cœlum; illo quidem iis qui digna, hoc vero illis, qui indigna Deo locuti sunt, contingente :) potestatem igitur remittendi peccata cum se accepturum speraret, Dominum interrogat, « Quoties si » peccaverit in me frater meus, remittam illi? Num sep- » ties?» Cujus autem gratia non quater, aut decies, aut ulterius quærit, sed usque septies? Videtur mihi ipsum de homicida latenter instrui velle : num venia per baptismum et pœnitentiam dignus habeatur, qui septem peccata incurrit, qui primus in mundo homicidium patravit Caïnus, et totidem damnatus suppliciis se invicem suscipientibus ex cæde peccatis. Primus enim inter homines Caïnus dolose egit : primus homicidium fecit : primus mentitus est Deo, quærenti de interfecto : primus parentibus luctum et la-

[1] Prov. xx, 9. juxta LXX. — [2] Job. xiv, 4, 5. juxta LXX.

mentationem induxit, occiso fratre : primus invidiam et livorem peperit : primus fructuum primitias malitiose obtulit : primus terra sanguine polluta, execrationis ei conciliator fuit.

Porro septem istis in homicidio facinoribus, par numero etiam supplicium per divinam vocem imponitur. Sterilitas et infœcunditas terræ, quæ non amplius homicidam receptura sit : gemitus et quassatio totius corporis. Sed enim in enumeratione etiam ipsum supplicium examinandum esse arbitratus sum. « Maledicta terra a te, » una pœna est. « Operare terram, » altera : nam arcana quadam necessitate ipsum constrinxit, cogente ad ærumnosam et molestam in terra vitam. « Et non adjiciet ut det tibi robur suum, » tertium supplicium, laborare et nullum ex laboribus fructum percipere. « Gemens et tremens eris super terram[1]. » Tribus duo insuper addit supplicia divinum decretum, gemitum assiduum et tremorem indesinentem, ut neque cibum ori vel potum admovere possit, tremente homicidæ dextera, quæ pristino robore male adversus fratrem usa est, et per vim valentem infirmitatem sibi emit. Sextum supplicium, quod exciderat ex ea, quæ erga Deum est, libertate. Vehemens enim et gravissimum est supplicium aversio Dei, in quo omnimoda protectio est, quam deplorans is, qui eam experiebatur, mortem expetit, eam sibi conducibiliorem esse sciens, quam vivere abjectum a Deo. Sic enim ait : « Si ejicis me a terra, » hoc est, si non amplius fructibus ejus fruiturus sum : « Et a facie tua abscondar. » Si ex terra mihi ad vitam necessariis privatus sum, et temetipso indignante, apparere in oculis hominum non potero. « Et » fiet, inquit, ut omnis qui me invenerit, occidat me[2]. » Melius enim mihi est, ut moriar, quam ut vivam male excruciatus. Ad quem Dominus inquit : « Non ita fiet. Posui

[1] Gen. IV, 12. — [2] Id. IV, 14.

» enim signum super te, ne te interficiat, quisquis invene-» rit te[1]. » Septimum id supplicium est, indignum haberi morte, omnem turpitudinem et opinionis gloriam solvente, sed manere cruciatui obnoxium, et signo notatum illum, qui malorum inter homines auctor erat. Gravissimum enim suppliciorum ratione præditis est turpitudo, quam sontibus divinum decretum minatur, dicens : « Resurgent alii » quidem ad vitam æternam, alii autem in turpitudinem et » opprobrium æternum[2]. » Quandoquidem igitur septem inhæserant homicidæ mala, totidem etiam suppliciis damnatus est. Sciebat itaque Petrus quod septimum diem honorandum Dominus destinaverat, in eo requiescens, et ab operibus suis cessans : et quod non aliam, sed hanc honorasset, in ea legem dans, quodque sabbatum propter cessationem ab operibus vacasset : et quod venerandus sit, et peculiarem significationem ferat septenarius numerus, in quo scenopegiæ tubæ : in quo dies expiationis, septimus apud ipsos annus remissionis in pretio habitus, sex annis terram arantes, conserentes et metentes, septimo quiescere sinentes, integramque manere, ex ea sponte nascentibus contentos. Septem annis servitutem serviens famulus, libertatem adipiscebatur. Præterito annuæ septimanæ tempore, septuagenarii captivi ex Babylone liberati sunt. Peculiariter item a sacro cœtu Christigeræ Ecclesiæ nostræ usurpatur septenaria beneficentia. « Septies enim in die » laudavi te[3], » inquit Davides, Carminum divinorum auctor. Dici quidem nomine præsens significans sæculum. Septies autem ipsum per hebdomadam revolvi. Esaïas (22) septem enumerat spiritualia dona, « Et septem oculi Domini[4], » inquit. Id quod et Salomon ait : « Sapientiâ ædifica-» vit sibi domum, et suffulsit columnas septem[5]. » Sapientiam

[1] Gen. IV, 15. — [2] Dan. XII, 2. — [3] Psal. CXVIII, 164. — [4] Zach. III, 9. [5] Prov. IX, 1.

autem Christum esse[1], divus Apostolus interpretatus est. Domus autem hujus cœlum et Ecclesia. In illo quidem septem columnæ angelici ordines, in hac autem Stephani et Philippi collegæ, Apostolorum septem diaconi. Et rursus alius sanctorum Vatum inquit: « Septies cadet justus » et resurget[2]. » Non aliter autem quam per pœnitentiam. Septimus ab Adamo Enochus translatus, non vidit mortem, id docente transpositione ex corruptibili et morti obnoxia vita in immortalem et omnibus ærumnis carentem locum transferri Ecclesiam. Ex diluvio item, solum servatur intellectilem Noë Christum gubernatorem habens. Septimus ab Abrahamo Moyses legislator divinus exhibitus est, mutatio vitæ, iniquitatis sublatio, ad bonam constitutionem legum ascensus. In septem hebdomadis annorum insignem Deus jubilæum dedit, quo tanquam sabbato frueretur, et cessaret terra ab aratione, a debitis autem solverentur debitores. Septuagesima et septima generatione ab Adamo Christus nascitur, quemadmodum per genealogiam divus Lucas demonstrat. Quandoquidem igitur Scriptura numerum remissionis peccatorum septenario definit, cum hebdomade autem præsens ævum extenditur, septem quidem diebus ab opifice integre perfectum, septenaria vero vicissitudine velut semper in se revolutum : habet remissionem peccatorum per pœnitentiam, qui ad correctionem et sobrietatem inclinat, castigatam a Deo. Ideoque putans Petrus, quod difficillime si Domini decretum sit in hoc hebdomadario sæculo, remittatur illud homicidæ septuplex flagitium et crimen, inquit ad Dominum : « Quo- » ties si peccaverit in me frater meus, remittam illi? num » septies[3]. » Quasi dicat, Num etiamsi homicidium patrarit, remittam ei pœnitenti? Dominus autem benignitatem ei commendans, inquit : « Non modo septies, sed etiam sep-

[1] 1 Cor. 1, 24. — [2] Prov. xxiv, 16. — [3] Matth. xviii, 21.

» tuagies septies[1]. » Illud, ut arbitror, docens, quod non modo is qui semel homicidium fecit, et septem illis malis subjacet, recipi debeat si pœnitet : sed et is, qui jam semel quodam modo Deum abnegavit, quod gravius est cæde septuagies septies commissa, recipiendus sit, veniaque danda pœnitenti et lugenti. Propter quæ ista menti adumbrantur; et ut diffidens his Petrus ejusmodi veniam consequatur, qui absque venia fore putabat utrumque, et nunquam per pœnitentiam dignos habendos benignitate : permittit ipsum cadere Dominus septies, propter percussum pontificis servum, et amputatam ejus aurem. Intentione enim interfecit, nisi « Qui plantavit aurem audisset, et qui » formavit oculum animadvertisset[2]. » Qui paulo ante cæci oculos aperuerat, et quidem ejus qui nunquam aspexerat lucem, hic percussi aurem mox restituit tactu manus, utrisque miraculose tanquam a Deo factis. Septuagies autem septies per quæstionem Ballilæ ter ipsum abnegasse dictum esse voce gallinacei. Remisit autem ista et non amplius recordatus est, ferventer ipso et amare super abnegatione lugente et lacrymas fundente, ut quorum ipse veniam consecutus esset in lapsu constitutus, etiam proximis resipiscentibus similiter præstaret. Communiamus igitur nos ipsos, ne pœnitentiam negligamus. Vix enim, quæ est ex hac, procedit consummatio. Quapropter melius mihi videtur, omnibus viribus a corruptibilibus abstinere, quam letiferis impletos dolere et tristari, et conflictari, et medicum invocare post quam aculeo peccati percussi sumus. E diverso si contigerit, ut per abreptionem aliquam labamur, ne desperemus de expiatione, neque de remissione, neque cum revocati sumus, segniter agamus, sed quamprimum a deteriore resiliamus, et virtutum suggestionem apprehendamus, vestimentum et sensum lave-

[1] Matth. xviii, 22. — [2] Psal. xciii, 9.

mus, et res terrenas tanquam quæ suffocent, fugiamus : ad pristinam sublimem illam conversationem veniamus : aures ad divina dogmata inclinemus : eorum quæ humi repunt obliviscamur, et arcem virtutum dilectione possideamus, et tabulis cordis divinam legem insculpamus, facti divinitus sculpta tabula.

INTERROGATIO CXCV.

Quamobrem ergo tam enormiter lapsus sanctus ille vir Petrus, et veniam consecutus, ipse quoque veniam non dedit Ananiæ et Sapphiræ : sed in una hora utrosque occidit verbo, licet nullus esset ipsorum lapsus, respectu illius abnegationis ? Aurum absconderant proprium, non alienum ; vel etiamsi alienum fuisset, non est par peccatum privatarum rerum parvum quiddam abscondisse, et abnegasse Jesum.

RESPONSIO.

Non dementiæ est, primarii illius adversus sontes terror : sed præsciæ disciplinæ plurima mortalium sanantis vitia. Quandoquidem igitur semel Deo dedicatum aurum sacrilegio vulneratus alienaverat, interrogatusque negaverat : idcirco ille qui fuerat exorsus spargere evangelica semina, moxque simul exortas malas herbas conspexerat, prudenter eas illico sustulit, ne forte simul crescentes triticum vastarent. Nam in angustia amaritudinis ipsum esse, quemadmodum Simonem, et incorrigibilem in posterum ad meliora videbat. Neque enim facultas erat concedendi scelus, non consentiente cum labiis corde, sicut inquit de Israële Carminum ille divinorum auctor : « Et dilexerunt » ipsum ore suo, et lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem

» ipsorum non erat rectum cum eo, et in testamento ejus » fideles non fuerunt[1]. » Sic enim et periti medici facere solent, quando extremo corpore tenetur aliquis incurabili morbo, mox resecant a manu vel pede digitum, antequam ad reliqua membra diffundatur labes. Similiter autem et Moses vir divinus ad præcepta legis primitus facta consideratione excitans, ob leve delictum lapidibus obrui eum, qui ligna legerat in sabbato, præcepit, idque Deum denuntiasse scripsit. « Nam in magno et mediocri transgressio » judicatur[2] : » quemadmodum inquit Dominus, « Quod si » totam legem impleverit aliquis, offenderit autem in uno, » factus est omnium reus[3]. » Non quod omnis ejus virtus evanuerit : (injustum enim id vel his, qui leviter de divino justoque judicio sentiunt, merito videatur) sed reus mihi videtur fieri omnium, qui recesserit ab uno, se pœnæ unius sceleris et compensationi omnium obnoxium faciens : aut quod ex illorum ipsorum corpore excidit, aut ab ipsorum numero recessit. Qui ergo non prorsus de semetipso desperaverit, et plane deteriori additus fuerit, sed vel raro obtulerit Deo virtutem, et proximi misertus fuerit : debet quidem illi, in quibus offendit; debetur autem vicissim ipsi, in quibus benefecit. Subtracta igitur compensatione, ad ejus quod redundat, locum decernitur. Id quod etiam apud nos sæpenumero accidere cognovimus, si debeamus nos centum denaria, nobisque debeantur triginta. Quemadmodum igitur pecuniæ debitor de omnibus obligatus est creditori, usque ad debiti persolutionem : ita cui debetur apud Deum pro mille recte factis, ipse vero unius delicti debitor est, reus est omnium, donec ratio subducitur uniuscujusque dispensationis. Transgressio enim in parvo et majori judicatur, in comparatione differentiam habens.

[1] Psal. LXXVII, 36, 37. — [2] Luc. XVI, 10. — [3] Jacob. II, 10.

Enitamur igitur, qui plus habeamus in bono, injustitiam justitia deprimentes.

INTERROGATIO CXCVI.

Si inevitabilis est consummatio mundi, et adventus Christi, quomodo inquit ipse : « Tunc qui in Judæa sunt, » fugiant ad montes, et qui in tecto est, non descendat ad » tollendum aliquid ex domo sua, et qui in agro est, ne re- » vertatur ad tollendum vestimentum suum. » Et iterum, inquit, « Sed orate ne fiat fuga vestra in sabbato, vel in » hyeme. Væ autem prægnantibus et lactantibus in illis » diebus[1]. » Num quasi si contingat æstate, vel dominica, vel alia die consummatio, possimus latere vel fugere? Cur autem cum tanta tunc sit futura turba, tantusque populus, solas prægnantes et lactantes ex omnibus miseras pronuntiavit, atque deploravit, quasi propter partum? Num quod ad partum perventuræ non sint, vel quasi graviori supplicio afficiendæ?

RESPONSIO.

Futuram Judæorum fugam præmonstrans, ipsis ad montes fugere præcipit Dominus. Nam post Vespasianum Titus superveniens, prorsus æquavit solo desolavitque Hierosolymam, male perditis Judæis, viris quidem gladio prostratis, infantibus vero recens natis pavimento allisis, prægnantibusque dissectis, omni perditione et interitu inimicum Deo genus delevit. Sabbato vero id accidit capta civitate, omnibusque domi vacantibus propter otium sabbati : hyeme item, nullus ipsorum effugere captivitatem interitumque poterat. Qui vero in tecto erat, latitare

[1] Matth. XXIV, 16-20.

tentabat, nihil eorum quæ infra erant tollere volens, præstabilius esse vivere, quam aliquid habere ducens. Qui autem in agro, non modo qui ad domum reverteretur manebat; sed et ulterius abire cogebatur, incensam et captam civitatem cernens. Quod si per sublimiorem intellectum ad nostra, ut par est, sermonem applicari vultis : « Qui in Judæa sunt ad montes fugiant : » qui in pietate firmi sunt, (id enim Judæa ex interpretatione sonat) ad sublime refugium, nempe Christum, respiciant, sub ejus confessione custoditi. « Qui vero in tecto est, ne » descendat ad tollendum aliquid ex domo sua : » qui præsenti contempta umbratili vita, omnique hic conculcato tabernaculo, superior evasit hac vita, relegatis internis affectibus, ne quid eorum secum trahat, non timorem, non animi angustiam, non vanam gloriam, non opum amorem : quæ sunt ab alto descensus. « Qui in agro est, » non revertatur ad tollendum vestimentum suum. » Qui veterem exuit hominem, et carnalibus renuntiavit, novum gestet, qui ipsum ad innovationem Dei renovavit, ac cœno repurgavit. In hoc enim habebit virtutem ad omne consilium invictam. Nulla igitur perturbatio agnatorumve mu tuus doloris affectus a Christi nos dilectione abstrahat. Neque enim Christus cum a matre et fratribus quæreretur, vocationem admisit, cum apud auditores salutiferam doctrinam exorsus esset, docens spiritualia carnalibus esse potiora. Ad eumdem modum ipsius quoque Discipuli, relicta mensarum observatione, pietatis sermonem potius capessere voluerunt, non verbis tantum sapienter docentes, sed et factis instituentes. Nam bene loqui, lyræ vel cymbalo simile est : utiliter autem agere, cum Angelorum natura conjunctum est.

INTERROGATIO CXCVII.

At erit eis reversio ad consummationem mundi, et quando qui sunt ex gentibus omnes crediderint, tunc et residuum ex Judæis convertetur? Dicit enim in Evangelio Dominus : « Quoniam habeo et alias oves, quæ non sunt » ex hoc ovili : oportet me et illas adducere, ut fiat unus » pastor[1]. » Et Apostolus cum hoc consentiens inquit : « Quando plenitudo gentium ingressa fuerit, tunc omnis » Israël servabitur[2]. »

RESPONSIO.

Nunquam persuadebor Judæos revocandos. Neque enim docet Dominus, neque eximius ille Apostolus, per ea, quæ recte quidem ab ipsis dicta sunt, male autem a te tum intellecta, tum prolata. Nam quod dixit Dominus, « Quoniam et alias oves habeo : » constat nos dici, qui non sumus ex eo ovili, utpote Judaïco, quorum prima fuit manifestatio Domini, videlicet divorum Apostolorum, et cum ipsis, atque per ipsos conversorum fidelium Judæorum. Nondum enim id, quod ex gentibus constat, fuit ante salutarem passionem, eo quod nondum esset prædicatum nobis, neque baptizati essemus, id quod post resurrectionem per Apostolos suos Christus effecit, nosque ad fidele Judæorum ovile simul induxit, sumusque omnes fideles unus grex sub uno pastore, summo pontifice, summoque pastore Christo pasti et custoditi : « Unus » enim Dominus, una fides, unum baptisma[3], » inquit is, qui summi quidem Pastoris Discipulus, cujusvis vero sub cœlo magister est, eximius Apostolus, qui idem inquit : « Quando plenitudo gentium intraverit, tunc omnis

[1] Joan. x, 16. — [2] Rom. xi, 25, 26. — [3] Ephes. iv, 5.

» Israël servabitur. » Non Judæos circa consummationem servandos et revocandos significans : sed qui per puritatem mentis et per fidem vident Deum. Id enim esse Israëlem, ab omnibus, atque etiam ab ipsis Judæis exponitur. Mentem nimirum cernentem Deum. « Non enim omnes, » qui ex Israële, sunt Israël; neque quod sunt semen » Abrahami, omnes filii sunt : sed in Isaaco vocabitur tibi » semen[1]. Hoc est, non ii, qui filii carnis sunt, iidem et » Filii Dei, » inquit idem Apostolus. Iterumque Dominus inquit in Evangelio, « Multi sunt vocati : » utpote Israëlitæ et Christiani : « Pauci vero electi[2], » utpote illi qui servantur. « Quando igitur plenitudo gentium, » hoc est, universos populos complexa Ecclesia, intraverit, in judicium videlicet : tunc omnis Israël, mens videlicet Deum cernens, hoc est, omnis homo, per fidem et pietatem cognitionem habens, salvus erit.

[1] Rom. IX, 6-8. -- [2] Matth. XX, 16, et XXII, 4.

DIDYMI CÆCI

ALEXANDRINI

LIBER UNUS DE SPIRITU SANCTO.
LIBER CONTRA MANICHÆOS.

DIDYMUS CÆCUS

DOCTOR ALEXANDRINUS.

(AN. 399.)

GRÆCUS.

Didymus Alexandrinus, vir plane admirabilis ac disertissimus, (*Socrat. Hist. Eccl. lib.* IV, *c.* XXV) et ad Ecclesiæ gloriam Dei munere concessus, (*Rufin. Hist. Eccl. lib.* II, *c.* VII), « captus a parva » ætate oculis, et ob id elementorum quoque igna- » rus, tantum miraculum sui omnibus præbuit, ut » dialecticam quoque ac geometriam, quæ vel » maxime visu indiget, usque ad perfectum didi- » cerit. (*Hier. lib. de Vir. illustr. c.* CIX.) » Hanc autem a Deo accepit divinarum rerum notitiam, ut scholæ Alexandrinæ præfectus sacras Litteras magna cum laude fuerit interpretatus. Crescebat in dies ejus scientiæ et eloquentiæ fama; nemo jam erat inter doctos qui Didymo magistro caruisse sustineret, quos inter eminebant Hieronymus ipse

et Rufinus, qui ad talem tantumque virum convenire ab extremis terræ partibus non dubitabant. Persuadebat enim facillime pro ea, qua in dicendo valebat, facultate, (*Sozom. Hist. Eccl.*), divinumque nescio quid ac supra humanam vocem sonans, (*Rufin. Hist. Eccl.*) omnium admirationem rapiebat. Arianorum validissimus oppugnator, eorum fraudes sæpius valuit dissolvere, unde Catholicis omnibus maxime charus habebatur, licet Origenis scripta defendere sustinuerit; « Non, ut dicit Hie» ronymus, ubi de Filio et Spiritu sancto agitur, iis » quæ ab hæreticis in ejus operibus addita sunt » consentiens, sed breves dictans commentariolos, » quibus ostendit quo sensu in bonam partem accipi » debeant. (*Hier. lib. adv. Rufin.*) » In hujus autem scriptis non reperitur quod locum dare possit huic ejusdem Doctoris exprobrationi: « Cæterum in aliis » dogmatibus in Origenis scita Eusebius et Didymus » apertissime concedunt, et quod omnes Ecclesiæ » catholicæ reprobant, catholice et pie dictum esse » defendunt. (*Id. ibid.*) »

Synodi generales sexta et septima Didymum tanquam a Synodo quinta generali damnatum, et ipsi reprobarunt; quod errore facti suppositum fuisse contendunt P. Hallix et P. Garnier. Quidquid sit de illa quæstione, certum est opera, quæ supersunt, et nomine Didymi merito circumferuntur, nihil

prorsus complecti, quod ita severum judicium expostulare videatur. Illum e contra acceptissimum fuisse Catholicis patet ex hoc potissimum, quod magnus ille Antonius, cum de Thebaide Alexandriam descendisset, ut Athanasii fidem suo testimonio comprobaret, Didymo isthæc dixisse feratur : « Non » est grave nec dolendum, o Didyme, quod oculis » careas, quibus lacertæ, mures et vilissima quæ- » que prædita sunt animalia : sed beatum potius » et jucundum est, quod perinde atque Angeli ocu- » los habeas, quibus Deum perspicue contemplaris, » veræque cognitionis lumen intueris. »

Vivebat adhuc Didymus an. 392, quo suum scribebat librum *de Viris illustribus* B. Hieronymus, tumque jam « octogesimum tertium ætatis annum » excesserat. (*Hier. lib. de Vir. illust c.* CIX.) » Quod sequitur autem in Palladii historia, mortem ejus ante annum 399 ineuntem ponere non sinit.

« Plura illum et nobilissima conscripsisse opera, » testis est Hieronymus, inter quæ præcipue eminet liber unus de Spiritu sancto, quem idem sanctus Doctor in latinum convertit. Non aliter dictum reperies, sive apud S. Augustinum, (*Quæst. in Exod. lib.* II, *quæst.* XXV.) sive apud Ratramnum. (*lib.* II, *contra. Græcos, c.* V.) Unde immerito unicum hunc librum in tres libros divisum fuisse constat. Recte igitur Vallarsius editionem suam ad Didymi Hiero-

nymique sententiam exegit, quam nos iterum ex Bibl. Patrum Gallandii extractam evulgamus.

Restat adhuc parvus contra Manichæos tractatus, qui Didymi ingenium ita refert, ut illi abjudicandus minime videatur. Hunc igitur publici juris iterum facere operæ-pretium duximus; non ita vero « Breves in Epistolas canonicas enarrationes, » quæ auctorem latinum sapiunt, non autem græcum, et aliunde plura continent quæ minus probata viris doctis, censura in nonnullis notanda sunt, quamvis sententias magno Didymo non indignas hinc et inde deprehendi affirmet Tillemontius. (*Mem. eccl. tom.* x, *pag.* 393.)

Didymum imperitum sermone, non scientia proclamat Hieronymus, illumque dicit « Apostolicum » virum ex ipso sermone exprimere, tam sensuum » lumine quam simplicitate verborum. (*Præf. ad* » *lib. Did. de Spiritu sancto.*) » Adhuc adjungere potuisset illum ingeniosum simul esse et potentem in argumentando, sanctæque Scripturæ verba, naturali sensu explanata, non infeliciter suis dictis accommodare. Sufficit autem ad ejus præconium, quod Hieronymum interpretem habere meruerit.

Legitur *Tractatus de Spiritu sancto*, qui solummodo ex versione S. Hieronymi habetur, sive inter ejus B. Doctoris opera, sive in *Bibliothecis Patrum*, et maxime in illa Gallandii posteriore, tom. VI, ex quo illum stampandum assumpsimus.

Breves autem, quas negligimus, in Scripturam Enarrationes apud easdem Bibliothecas, si velis, reperies.

Quoad autem *Librum contra Manichæos*, habetur tum in *Apparatu sacro* Possevini, tum in *Antiq. Lect.* Canisii, tum in *Thesauro Canisiano* Basnagii, tum in Bibliothecis Coloniensi et Lugdunensi, tum in *Auctario noviss. Combefisii*, tum demum juxta ultimum hoc exemplar in Bibliotheca Gallandii, juxta quam referendum illum et nos delegimus.

PRÆFATIO

S. HIERONYMI PRESBYTERI

AD PAULIANUM.

IN LIBRUM DIDYMI DE SPIRITU SANCTO.

Cum in Babylone versarer, et purpuratæ meretricis essem colonus, et jure Quiritum viverem, volui garrire aliquid de Spiritu sancto, et cœptum opusculum, ejusdem urbis pontifici dedicari. Et ecce olla illa, quæ in Jeremia post baculum cernitur a facie Aquilonis, cœpit ardere; et Pharisæorum conclamavit Senatus : et nullus scriba vel fictus (23), sed omnis quasi indicto sibi prælio doctrinarum, adversum me imperitiæ factio conjuravit. Illico ego velut postliminio Hierosolymam sum reversus : et post Romuli casam et ludorum lupercalia, diversorium Mariæ, et Salvatoris speluncam aspexi. Itaque, mi Pauliniane frater, quia supradictus pontifex Damasus, qui me ad hoc opus primus impulerat, jam dormit in Christo; tam tuo quam venerabilium mihi ancillarum Christi, Paullæ et Eustochii nunc adjutus oratu; canticum, quod cantare non potui in terra aliena, hic a vobis in Judæa provocatus immurmuro, angustiorem multo locum existimans, qui Salvatorem mundi, quam qui fratris genuit parricidam. Et ut auctorem titulo fatear, malui alieni operis interpres existere, quam (ut quidam faciunt) informis cornicula, alienis me coloribus adornare. Legi dudum cujusdam libellos de Spiritu sancto : et juxta Comici sententiam, ex græcis bo-

nis, latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum, quod lectorem vel ingratis in assensum trahat : sed totum flaccidum, molle, nitidum, atque formosum et exquisitis hinc inde odoribus pigmentatum. Didymus vero meus, oculum habens sponsæ de Cantico Canticorum, et illa lumina quæ in candentes segetes sublimari Jesus præcepit, procul altius intuetur : et antiquum nobis morem reddidit, ut Videns vocetur Propheta. Certe qui hunc legerit, Latinorum furta cognoscet, et contemnet rivulos, cum cœperit haurire de fontibus. Imperitus sermone est, et non scientia : apostolicum virum ex ipso sermone exprimens, tam sensuum lumine quam simplicitate verborum.

DIDYMI ALEXANDRINI

DE SPIRITU SANCTO.

LIBER UNUS.

I. Omnibus quidem quæ divina sunt, cum reverentia et vehementi cura oportet intendere; maxime autem his, quæ de Spiritus divinitate dicuntur : præsertim cum blasphemia in eum sine venia sit : ita ut blasphemantis pœna tendatur, non solum in omne præsens sæculum, sed etiam in futurum. Ait quippe Salvator, blasphemanti in Spiritum sanctum non esse remissionem, « Neque in isto sæculo, » neque in futuro [1]. » Unde magis ac magis oportet intendere quæ Scripturarum de eo relatio sit, ne in aliquem saltem per ignorantiam blasphemiæ error obrepat. Expedierat quidem fideli et timido, moderanti vires suas, magnitudinem præsentis quæstionis silentio prætcrire : et rem plenam periculo, non in suum discrimen attrahere. Verum quoniam quidam temeritate potius quam recta via, etiam in superna eriguntur : et hæc de Spiritu sancto jactitant, quæ neque in Scripturis lecta, neque a quoquam Ecclesiasticorum veterum usurpata sunt, compulsi sumus creberrimæ exhortationi fratrum cedere : quæque sit nostra de eo opinio, etiam Scripturarum testimoniis comprobare : ne imperitia tanti dogmatis, hi qui contraria opponunt, decipiant eos qui sine discussione sollicita, in adversariorum sententiam statim pertrahuntur.

[1] Matth. III, 29. Luc. XII, 10. Matth. XII, 31.

II. Appellatio Spiritus sancti, et ea quæ monstratur ex ipsa appellatione substantia, penitus ab his ignoratur qui extra sacram Scripturam philosophantur. Solummodo enim in nostratibus Litteris, et notio ejus et vocabulum refertur, tam in novis quam in veteribus. Veteris quippe Testamenti homo David particeps ejus effectus, orabat ut in se permaneret, dicens : « Spiritum tuum sanctum ne » auferas a me [1]. » Et Danieli adhuc puero suscitasse dicitur Deus Spiritum sanctum quasi jam habitantem in eo [2]. Nec non etiam in Novo Testamento, hi viri qui Deo placuisse referuntur, Spiritu sancto pleni sunt. Joannes quippe adhuc in matris utero sanctificatus exultat [3]. Et Jesus a mortuis resurgens, cum insufflasset in faciem Discipulorum ait : « Accipite Spiritum sanctum [4]. » Plena sunt volumina divinarum Scripturarum his sermonibus, quorum congeriem in præsenti opere digerere supersedi : quia difficile non est ex his quæ assumpsimus unumquemque lectorem sibi similia reperire.

III. Nemo autem suspicetur alium Spiritum sanctum fuisse in sanctis viris ante adventum Domini, et alium in Apostolis cæterisque Discipulis, et quasi homonynum in differentibus esse substantiis. Possumus quidem testimonia de divinis Litteris exhibere : quia idem spiritus et in Apostolis, et in Prophetis fuerit. Paulus in Epistola quam ad Hebræos scribit, de Psalmorum volumine testimonium proferens, ab Spiritu sancto id dictum esse commemorat : « Et sicut dicit hic Spiritus sanctus : Hodie si vocem ejus » audieritis nolite obdurare corda vestra [5], etc. » In fine quoque Actuum Apostolorum cum Judæis disputans, ait : « Sicut Spiritus sanctus locutus est per Esaïam pro- » phetam ad patres nostros, dicens : Auditionem audietis,

[1] Psal. L, 13. — [2] Dan. XIII, 45. — [3] Luc. I, 44. — [4] Joan. XX, 22. — [5] Hebr. III, 7, et Psal. XCIV, 8.

» et non intelligetis [1]. » Neque enim Paulus alium habens Spiritum sanctum, hæc de eo scripsit, qui in Prophetis ante adventum Domini alius fuit : sed de eo cujus et ipse particeps fuit, et omnes qui in fide consummatæ virtutis ferebantur. Unde et cum articulo ejus meminit, quasi solitarium et unum esse contestans : ubi dicit non simpliciter πνεῦμα ἅγιον, hoc est, Spiritus sanctus, sed cum additamento articuli τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, hoc est, hic Spiritus sanctus. Et Esaïam prophetasse commemorat cum articulata voce διὰ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον : id est, per hunc Spiritum sanctum, et non simpliciter πνευμᾶ ἅγιον. Petrus quoque in eo sermone quo præsentibus persuadebat : « Oportuerat, » inquit, impleri Scripturam, quam locutus est Spiritus » sanctus, (id est, τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον) per os David de Juda [2]. » ostendens, et ipse eumdem Spiritum, et in Prophetis, et in Apostolis operatum.

IV. Plenius de hoc in consequentibus tractabimus, cum dicere cœperimus non solum Dominum Verbum factum esse ad Prophetas, sed et Spiritum sanctum : quia et inseparabiliter possidetur, cum unigenito Filio Dei. Ipsa vox Spiritus sancti, non est vacua appellatio, sed subjacentis essentiæ demonstratrix, Patri Filioque socia, et a creaturis penitus aliena. Cum enim creaturæ in visibilia, et in invisibilia, id est, in corporalia et in incorporalia partiantur : nec de corporalibus substantiis est Spiritus sanctus, animæ et sensus habitator, sermonis, et sapientiæ, et scientiæ effector : nec de invisibilibus creaturis. Hæc quippe omnia, sapientiæ et cæterarum virtutum, et sanctificationis capacia sunt. Ista vero substantia de qua nunc sermo est, sapientiæ, et scientiæ, et sanctificationis effectrix est. Neque enim inveniri potest aliqua in Spiritu sancto fortitudo, aut operatio sanctificationis virtutisque, quam ab

[1] Act. XXVIII, 26, 27. — [2] Id. I, 16.

extraneo quodam sustineat : quia istiusmodi natura mutabilis est. Porro Spiritus sanctus, confessione omnium immutabilis est, sanctificator scientiæ divinæ et universorum attributor bonorum : et ut brevius dicam, ipse subsistens in his bonis quæ a Domino largiuntur. Nam eumdem Evangelii locum Matthæus Lucasque describens, alter ex his ait : « Quanto magis Pater cœlestis dabit bona » petentibus se[1] ? » Alter vero : « Quanto magis Pater vester » cœlestis dabit Spiritum suum sanctum petentibus se[2] ? » Ex quibus apparet Spiritum sanctum plenitudinem esse donorum Dei : et ea, quæ divinitus administrantur, non absque eo subsistere ; quia omnes utilitates, quæ ex donorum Dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte demanant. Quod autem substantialiter bonum est, non potest extraneæ capax esse bonitatis : cum ipsum tribuat cæteris bonitatem. Igitur manifestum est, non a corporalibus tantum, sed et ab incorporalibus creaturis extraneum esse Spiritum sanctum : quia cæteræ substantiæ hanc substantiam sanctificationis accipiunt : iste vere non tantum non est capax sanctificationis alienæ, sed insuper attributor est et creator. Denique qui communione ejus fruuntur, participes dicuntur Spiritus sancti, sanctificati utique ab eo. Perspicue enim scriptum est : « Et Spiritui gratiæ contumeliam » faciens[3] ; » haud dubium quin is, qui post susceptionem ejus peccaverit. Si autem sanctificatus est per communionem Spiritus sancti, ostenditur quod ipse particeps ejus fuerit, et largitor ejus sanctificationis Spiritus sanctus. Apostolus quoque ad Corinthios scribens, et enumerans eos qui regnum cœlorum sunt consecuturi, addit dicens : « Et hæc » quidem fuistis : sed abluti estis, sed sanctificati estis, » sed justificati estis in nomine Jesu Christi et in Spiritu » Dei nostri[4]. » Spiritum Dei non alium asserens esse quam

[1] Matth. VII, 11. — [2] Luc. XI, 13. — [3] Hebr. X, 29. — [4] 1 Cor. VI, 11.

Spiritum sanctum. Etenim in consequentibus idem approbat, dicens : « Nemo in Spiritu Dei loquens, dicit anathema » Jesu : et nemo dicit Dominum Jesum, nisi in Spiritu » sancto [1], » Spiritum Dei Spiritum sanctum esse confirmans.

V. Si igitur sanctificator est, non mutabilis, sed immutabilis substantiæ ostenditur. Immutabilem autem substantiam Dei tantum et unigeniti Filii ejus, manifestissime tradunt divina eloquia : convertibilem et mutabilem omnem creaturarum substantiam prædicantia. Ergo quoniam substantia Spiritus sancti non convertibilis, sed inconvertibilis demonstrata est : non erit creaturæ ὁμοούσιον. Esset quippe et creatura immutabilis, si cum Patre poneretur, et Filio, eamdem habens inconvertibilitatem. Omne enim quod alieni boni capax est, ab hac substantia separatur. Tales autem sunt cunctæ creaturæ : Deus vero cum bonus sit, fons et principium bonorum est : facit igitur eos bonos, quibus se impertit, bonus ipse non factus ab alio, sed subsistens : ideo capabilis, non capax. Unigenitus quoque Filius, ejus sapientia et sanctificatio non fit sapiens, sed sapientes facit : et non sanctificatur, sed sanctificat. Unde et ipse capabilis est, et non capax. Cum igitur invisibilis creatura, quam rationabilem et incorporalem substantiam vocari consuetudinis est, non sit capabilis, sed capax : si enim capabilis esset, nullius boni capax esset, per se simplex ipsa subsistens et alterius boni receptatrix : participatione habeat bonum, et non de his quæ habentur ab aliis, sed de his quæ habent alia intelligatur, Patre et Filio habitis magis quam habentibus, creatura vero habente, et non habita : de Spiritu quoque sancto retractemus : Et si quidem ipse quoque participatione alterius sanctimoniæ sanctus est, connumeretur cæteris creaturis. Si vero sanc-

[1] 1 Cor. XII, 3.

tos facit capaces sui, cum Patre ponatur et Filio. Quod autem ab aliis capiatur Spiritus sanctus, et non alia capiat; et nunc, et in Sectarum volumine (prout potuimus) expressimus : et ex omni Scriptura sermonem nostrum affirmare perfacile est. Beatus quoque Apostolus ad Ephesios scribens ait : « In quo et credentes signati estis Spiritu » promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ[1]. » Si enim signantur quidam Spiritu sancto, formam et speciem ejus assumentes : ex his est Spiritus sanctus, quæ habentur et non habent : habentibus illum signaculo ejus impressis. Ad Corinthios quoque idem scribens : « Nolite, » inquit, contristare Spiritum sanctum, in quo signati es- » tis[2] : » signatos esse contestans eos qui susceperant communionem Spiritus sancti. Quomodo enim disciplinæ et virtutis assumptor, signaculum et figuram (ut ita dicam) in suum sensum recipit ejus scientiæ, quam assumpsit : sic et is qui Spiritus sancti particeps efficitur, per communionem ejus fit spiritualis pariter et sanctus.

VI. Ipse vero Spiritus sanctus, si unus de creaturis esset, saltem circumscriptam haberet substantiam, sicut universa quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco et finibus invisibiles creaturæ, tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus, cum in pluribus sit, non habet substantiam circumscriptam. Mittens quippe Jesus prædicatores doctrinæ suæ, replevit eos Spiritu, et insufflans in faciem eorum : « Accipite, inquit, Spi- » ritum sanctum[3], » et, « Euntes, docete omnes gentes[4] : » quasi omnes cunctis gentibus mitteret. Neque enim omnes Apostoli ad omnes gentes pariter sunt profecti, sed quidam in Asiam, quidam in Scythiam, et alii in alias dispersi nationes : secundum dispensationem illius, quam secum

[1] Ephes. I, 13, 14. — [2] Id. IV, 30. — [3] Joan. XX, 22. — [4] Matth. XXVIII, 19.

habebant Spiritus sancti, quomodo et Dominum dicentem : « Vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummatio-» nem sæculi[1]. » His et illud congruit : « Accipietis virtutem » supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis testes mihi » in Jerusalem, et in omni Judæa et Samaria, et usque ad » extremum terræ[2]. » Si ergo hi in extremis finibus terræ ob testimonium Domini constituti, distabant inter se longissimis spatiis; aderat autem eis inhabitator Spiritus sanctus, incircumscriptam habens substantiam, demonstratur angelica virtus ab hoc prorsus aliena. Angelus quippe qui aderat, verbi gratia, Apostolo in Asia oranti, non poterat simul eodem tempore adesse aliis in cæteris partibus mundi constitutis. Spiritus autem sanctus non solum sejunctis a se hominibus præsto est, sed et singulis quibusque Angelis, Principatibus, Thronis, Dominationibus inhabitator assistit : et ut homines sanctificans, alterius, quam sunt homines, est naturæ : sic et alias creaturas sanctificans, alius ab earum est substantia : quoniam omnis creatura non ex substantia, sed ex communione alterius sanctitatis, sancta perficitur.

VII. Dicti sunt quidem sancti Angeli in Evangelio, Salvatore dicente : « Venturum esse Filium hominis in majes-» tate sua, et Patris, et sanctorum Angelorum[3]. » Et Cornelius in Actibus Apostolorum a sancto Angelo scribitur accepisse responsum[4], ut Petrum ad se Christi discipulum vocaret. Verum sancti sunt Angeli participatione Spiritus sancti, et inhabitatione unigeniti Filii Dei, qui sanctitas est, et communicatio Patris. De quo Salvator ait : « Pater » sancte[5]. » Si igitur Angeli non ex propria substantia sancti sunt, sed ex participatione sanctæ Trinitatis : alia Angelorum ostenditur a Trinitate esse substantia. Ut enim

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] Act. i, 8. — [3] Luc. ix, 26. — [4] Act x, 5. — [5] Joan. xvii, 11.

Pater sanctificans, alius est ab his qui sanctificantur, et Filius est alius ab his, quos efficit sanctos, ita et Spiritus sanctus alterius est substantiæ ab his quos sui largitione sanctificat. Si vero hæretici proposuerint ex natura conditionis suæ Angelos sanctos esse, consequenter coguntur dicere ὁμοουσίους esse Trinitati, et inconvertibiliter eos juxta substantiam sanctos esse. Si autem hoc refugientes, dixerint unius quidem naturæ esse cum cæteris creaturis, non tamen eamdem habere sanctitatem, quam homines habent : necessario deducentur, ut dicant multo melioris homines esse substantiæ : cum hi per communionem Trinitatis habeant sanctitatem, et Angeli propria natura sancti, ab ea sint alieni. Sed vota sunt hominum perfectorum, et ad consummationem sanctitatis venientium, æquales Angelis fieri. Angeli quippe hominibus, et non homines Angelis auxilium tribuunt, ministrantes eis salutem, et annuntiantes eis largiora Dei beneficia. Ex quo liquido ostenditur honorabiliores et multo meliores esse Angelos hominibus, per germaniorem, ut ita dicam, et pleniorem Trinitatis assumptionem.

VIII. Quapropter cum alius sit Spiritus sanctus ab eis, quæ ipse sanctificat : non est unius naturæ, cum cæteris creaturis quæ eum recipiunt. Si autem alterius est naturæ a creaturis, et in propria subsistit essentia, increatus et neffectus ostenditur. Multæ Scripturæ sunt, quæ sine ambiguitate convincant, alterius eum a cunctis conditionibus esse naturæ. Quidam etiam Spiritu sancto pleni esse dicuntur : nemo autem sive in Scripturis, sive in consuetudine, plenus creatura dicitur. Neque enim aut Scriptura sibi hoc vindicat, aut sermo communis : ut dicas plenum esse quempiam Angelo, Throno, Dominatione : soli quippe divinæ naturæ hic convenit sermo. Dicimus autem virtutis et disciplinæ quosdam esse plenos, ut illud : « Repletus

» est Spiritu Sancto[1] : » non aliud significantes quam plenos esse consummatæ atque perfectæ virtutis. Scriptum est de Joanne : « Et Spiritu sancto implebitur adhuc ex utero » matris suæ. » Et iterum : « Repleta est Spiritu sancto Eli- » zabeth. » Et post alia : « Et Spiritu sancto repletus est » Zacharias pater ejus[2]. » Haud dubium quin et Joannes prophetavit. Nec non in Actibus Apostolorum de multis credentibus, qui in unum convenerant, refertur : « Repleti » sunt Spiritu sancto[3]. » Cum autem participabilis sit Spiritus sanctus, ad similitudinem sapientiæ ac disciplinæ, non incassis nominibus scientiæ substantiam possidet : sed per naturam sanctificantem et implentem bonis universa, bonus ipse subsistit, juxta quam et repleti quidam Spiritu sancto esse dicuntur, ut in Actibus Apostolorum scriptum est : « Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et loquebantur » verbum Dei cum fiducia[4]. » Quomodo enim qui aliqua disciplina plenus est, qui perfecte eam habet, erudite et subtiliter potest de ea proferre sermonem : sic qui Spiritum sanctum consummate acceperint, ita ut impleantur eo, cum fiducia verbum Dei loquuntur, quia præsens Spiritus sanctus dignam Deo vocem ministrat. Hinc quidam cum supercilio ait : « Hæc dicit Spiritus sanctus. » Et Apostolus; « Sed implemini, inquit, Spiritu sancto[5]. » Et in multis locis Actuum Apostolorum, pleni fuisse Spiritu sancto Discipuli Domini scribuntur : « Considerate ergo fratres viros ex vobis » testimonium habentes septem, plenos Spiritu sancto, et » sapientia[6]. » Et de Stephano : « Cum autem plenus esset » Spiritu sancto, intuens in cœlum vidit gloriam Dei, et » Jesum stantem a dextris Dei[7]. » Et de electionis vase dicitur : « Saulus qui et Paulus, plenus Spiritu sancto, intuens » in eum ait[8]. » Et in commune de universis credentibus

[1] Exod. xxxi, 3. — [2] Luc. i, 15, 41 et 67. — [3] Act. ii, 4. — [4] Id. iv, 31. — [5] Ephes. v, 18. — [6] Act. vi, 3. — [7] Id. viii, 55. — [8] Id. xiii, 9.

annotatur : « Discipuli quoque replebantur gaudio et Spi-» ritu sancto[1]. » Angeli autem præsentia, sive alicujus alterius excellentis naturæ, quæ facta est, non implet mentem atque sensum : quia et ipsa aliunde completur. Quomodo enim ex plenitudine quis accipiens Salvatoris, plenus efficitur sapientia, et virtute, et justitia, et sermone Dei : sic qui Spiritu sancto plenus est, statim universis donationibus Dei repletur, sapientia, scientia, fide, cæterisque virtutibus. Qui igitur implet universas creaturas, quæ tamen possunt virtutem et sapientiam capere, non est ex his quæ ipse complet. Ex quo colligitur alterius cum esse substantiæ, quam sunt omnes creaturæ. Diximus et alibi, quia superintelligatur in sancti Spiritus substantia etiam plenitudo munerum divinorum.

IX. Denique impossibile est gratiam Dei sortiri quempiam, si non habeat Spiritum sanctum : in quo approbamus cuncta Dei dona consistere. Quod vero is qui habeat eum, sermonem quoque sapientiæ, et reliqua bona perfecte consecutus sit, et nunc manifeste sermo demonstrat, et paulo ante diximus substantiam bonorum Dei Spiritum sanctum esse, cum posuimus exemplum : « Dabit pater » Spiritum sanctum petentibus se[2], » et « Dabit pater bona » petentibus se[3]. » Nec existimare debemus Spiritum sanctum secundum substantias esse divisum, quia multitudo bonorum dicatur. Impassibilis enim et indivisibilis atque immutabilis est; sed juxta differentes et efficientias et intellectus, multis bonorum vocabulis nuncupatur : quia participes suos non juxta unam eamdemque virtutem communione sui donet : quippe cum ad utilitatem uniuscujusque aptus sit, et repleat bonis eos, quibus judicat se adesse debere. Denique Stephanus primus ille testis veritatis, et dignus suo nomine, plenus sapientia et Spiritu

[1] Act. XIII, 52. — [2] Luc. XI, 13. — [3] Matth. VII, 11.

sancto dictus est : sapientia consequenter super intellecta, commorante in eo Spiritu sancto, sicut loquitur Scriptura : « Et elegerunt Stephanum plenum fide et Spiritu sancto » Apostoli. » Et « Stephanus autem plenus gratia et virtute, » faciebat prodigia et signa magna in populo. » Et adhuc de eodem : « Et non valebant resistere sapientiæ et Spiri- » tui, qui loquebatur in illo[1]. » Plenus enim Spiritu sancto vir beatus et fidei effectus est particeps, quæ ex Spiritu sancto venit, juxta illud ; « Alii autem fides in eodem » Spiritu [2]. » Et gratiam atque virtutem, juxta eumdem Spiritum habens, signa et prodigia magna faciebat in populo. Necnon et illis donationibus secundum eumdem Spiritum affluebat, quæ vocantur curationum gratiæ atque virtutes. Et hæc enim in enumeratione donorum Dei, in Spiritu et secundum Spiritum, in prima Apostoli Pauli Epistola ad Corinthios collocantur. In tantum autem Stephanus divina gratia abundabat, ut nemo contradicentium, et eorum qui adversus eum disputabant, valerent resistere sapientiæ et Spiritui, qui loquebatur in illo. Erat quippe e Spiritu sancto sapiens. Unde et ad Discipulos suos Jesus perspicue proclamat : Cum introducti fueritis ad principatus et potestates, et concilia, et synagogas, nolite esse solliciti quid vos oporteat dicere : aut quid loquamini in illo tempore. Dabuntur enim vobis a Spiritu sancto sermones sapientiæ, quibus non queant contradicere, nec hi quidem qui vehementer in disputationibus calent.

X. Sed ponamus ipsum testimonium quod ita contexitur : « Cum autem introduxerint vos in synagogas ad principa- » tus et potestates ; nolite solliciti esse quomodo, aut quid » respondeatis, Spiritus enim sanctus docebit vos in eadem » hora quæ oporteat dicere [3]. » Et in alio Evangelio : « Po- » nite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmo-

[1] Act. VI, 5, 8 et 10. — [2] 1 Cor. XII, 9. — [3] Luc. XII, 11, 12.

» dum respondeatis : Ego quippe dabo vobis os et sapien-» siam, cui non valeant contradicere, aut respondere [1]. » Spiritu vero sancto tribuente Apostolis verba adversus eos qui Evangelio contraibant, dilucide ostenditur in substantia ejus superintelligi sapientiæ et scientiæ sermonem. Quomodo autem Salvator in illa hora os et sapientiam Discipulis largiatur, quibus contradicere non queant, ne hi quidem qui apud homines eloquentissimi putantur, non est hujus temporis disserere : quia nunc proposuimus ostendere superintelligi semper in Spiritu sancto dona virtutum, ita ut is qui eum habet, donationibus Dei plenus habeatur. Unde et in Esaïa, ipse Deus cuidam dicit : « Ponam Spi-» ritum meum super semen tuum : et benedictiones meas » super filios tuos [2]. » Nunquam enim accipit quisquam spirituales benedictiones Dei, nisi præcesserit Spiritus sanctus. Qui enim acceperit Spiritum sanctum, consequenter habebit benedictiones, id est, sapientiam et intellectum, et cætera, de quibus ita scribit Apostolus: « Prop-» ter hoc et nos, ex quo die audivimus, non cessamus » orantes pro vobis, et deprecantes, ut impleamini cogni-» tione voluntatis ejus in omni sapientia et intelligentia » spirituali, ambulantes digne Deo [3]. » Eos enim, qui digne sibi per opera, et sermones, et prudentiam incedunt, impleri ait voluntate Dei, ponentis super eos Spiritum sanctum, ut impleantur sapientia et intellectu, et reliquis spiritualibus bonis. Sapientia autem, et intellectus quæ in Spiritu sunt, a Deo dantur. « Dominus, inquit, dabit sapientiam, » et a facie ejus sapientia et intellectus procedit [4] ; » cum ea sapientia quæ ab hominibus venit, non sit spiritualis, sed carnea et humana. De hac itaque Apostolus scribit : « Non » in sapientia carnali, sed in gratia Dei conversati sumus » in mundo [5], » carnalem sapientiam dicens, quæ in rebus

[1] Luc. xxi, 14, 15. — [2] Isaï. xliv, 3. — [3] Coloss. i, 9. — [4] Prov. ii, 6, et Eccli. i, 1. — [5] 2 Cor. i, 12.

corporeis ex humano subsistit cogitatu. Porro spiritualis sapientia et intellectualis, circa invisibilia, et intellectualia se tenens, per operationem Spiritus sancti capientibus se sui præsentiam tribuit. In multis quoque aliis locis Apostolus memorat in Spiritus sancti substantia Dei munera commorari, sicut in illo: « Deus autem spei repleat vos » omni gaudio et pace in credendo, ut abundetis in spe, et » virtute Spiritus sancti[1]. »

XI. Deus autem largitor bonorum, spem quam promisit, reddet in virtute Spiritus sancti, his qui habent illum : gaudio et pace complet eos, qui imperturbatam et sedatam cogitationem possidentes, lætas habent mentes, et ab omni perturbationum tempestate tranquillas. Qui autem in virtute Spiritus sancti prædicta bona fuerint consecuti, etiam rectam fidem in Trinitatis mysterio consequentur. In alio quoque loco ejusdem Epistolæ ; « Non » est, inquit, regnum Dei cibus et potus, sed justitia, et » pax, et gaudium in Spiritu sancto[2]. » In Spiritu enim sancto justitiam, id est, universam virtutem, et quam supra diximus pacem, Dei gaudio copulatam esse asserens, his qui se audire poterant, manifestissime probat, non alia hæc bona, quam Spiritus sancti esse substantiam. Cum ergo hæc bona largitione Spiritus sancti ad homines veniant, vocatio gentium quam introduxit per doctrinam evangelicam, acceptabilis, et sanctificata redditur in Spiritu sancto : quia et in hac sanctificatos et acceptos faciens Spiritus sanctus, substantia est bonorum Dei. Et qui illo plenus est, universa juxta rationem agit, docens recte, vivens irreprehensibiliter, signa atque portenta vere perfecteque demonstrans. Habet enim fortitudinem Spiritus sancti præstantem sibi thesaurum, et causam plenitudinis omnium bonorum. Novit Petrus discipulus Domini Jesu largitionem Spiritus sancti donorum Dei esse naturam. Ait

[1] Rom. xv, 3. — [2] Id. xiv, 17.

quippe ad eos qui objurgabant introitum suum ad Cornelium : « Si itaque æqualem gratiam dedit illis Deus præ» bens Spiritum sanctum, quomodo et nobis in principio : » ego quis eram qui possem prohibere Dominum [1] ? » Et insuper ad suos : « Agnitor, inquit, cordium Deus testi» monium tribuit eis, dans Spiritum sanctum sicut et no» bis, et nihil discrevit inter nos et eos, fide mundans » corda eorum [2]. » In hunc sensum congruit etiam illud quod in multis locis dicitur Spiritum sanctum dari a Domino : « Jacob puer meus, suscipiam eum ; Israël electus meus, » suscipiet anima mea : dedi Spiritum meum in eo [3]. » Et adhuc : « Qui dat afflatum populo constituto super eam, » haud dubium quin terram, « et Spiritum calcantibus eam [4]. » Ostendimus autem supra non alium esse Spiritum Dei, et alium Spiritum sanctum. Paulus quoque : « Charitas, in» quit, Dei diffusa est in cordibus vestris, per Spiritum » sanctum qui datus est vobis [5]. » Et illud : « Quanto ma» gis Pater vester cœlestis dabit Spiritum sanctum petenti» bus se [6]. » Iste autem Spiritus effusus quoque esse a Deo super omnem carnem dicitur, ut prophetent, et visiones videant, qui eum acceperint secundum Joëlem, qui ex persona Dei loquitur : « Effundam de Spiritu meo super » omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ ves» træ [7]. » Effusio quippe Spiritus, causa existit prophetandi, et videndi sensum pulchritudinemque veritatis. Ipsum quoque effusionis nomen, increatam Spiritus sancti substantiam probat. Neque enim Deus, cum Angelum mittit, aut aliam creaturam : Effundam, dicit, de Angelo meo, aut Principatu, aut Throno, aut Dominatione. In solis quippe his quæ ab aliis participantur, hic sermo consentit : sicut et nunc, et paulo ante de charitate Dei diximus, quæ effusa

[1] Act. xi, 17. — [2] Id. xv, 8, 9. — [3] Isaï. xlii, 1. — [4] Ibid. 5. — [5] Rom. v, 5. — [6] Luc. xi, 13. — [7] Joël. ii, 28.

est in cordibus eorum qui Spiritum sanctum receperunt. « Charitas, inquit, Dei diffusa est in cordibus vestris, per » Spiritum sanctum, qui datus est vobis [1]. » Salvator quoque, quia et ipse capabilis est, in similitudinem quoque unguenti effusus dicitur : « Unguentum effusum nomen » tuum [2]. » Nam et unguentum, quod in vase continetur, habet quidem odoris substantiam, sed prohibetur longius ar gi, quia vase intrinsecus clauditur : cum autem vas foris fuerit effusum, emittit procul benecolentiam suam : ita Christi nomen benecolens, ante adventum ejus in solo Israëlis populo versabatur, quasi Judææ vase inclusum : «Notus enim, ait, in Judæa Deus, in Israël magnum no- » men ejus [3]. » Quando autem coruscans in carne sua Salvator, in universam terram, quin potius in omnem creaturam extendit vocabulum suum, impleto eo quod scriptum est : « Quam admirabile est nomen tuum in universa » terra [4] : » quibus consequenter Apostolus loquitur : « Non » enim aliud nomen datum est sub cœlo, in quo oporteat sal- » vari nos [5]. » Et Psalmista ad Dominum loquitur : « Mag- » nificasti super omnia nomen sanctum tuum, » tunc completum est, « Unguentum effusum nomen tuum [6]. » Significat autem effusionis verbum, largam et divitem muneris abundantiam.

XII. Itaque cum unus quis alicubi, aut duo Spiritum sanctum accipiunt, non dicitur : Effundam de Spiritu meo, sed tunc quando in universas gentes munus Spiritus sancti redundaverit. Et ad Titum Apostolus salutem factam gentibus commemorat : « Non ex operibus justitiæ, quæ feci- » mus nos, sed per lavacrum secundæ regenerationis et » renovationis Spiritus sancti, quem effudit super nos » abundanter [7]. » Et hic enim largam attributionem Spiri-

[1] Rom. v, 5. — [2] Cant. i, 2. — [3] Psal. lxxv, 2. — [4] Id. viii, 2. — [5] Act. iv, 12. — [6] Psal. cxxxvii, 2. — [7] Tit. iii, 5, 6.

tus, verbum effusionis ostendit. Ex quibus universis docemur capabilem Spiritus sancti esse substantiam, et ex hoc increatam. Capabilem substantiam vocat, quæ capitur a pluribus, et eis sui consortium tribuit; capacem vero eam quæ communicatione substantiæ alterius impletur : et capiens aliud, ipsa non capitur ab alio. Capabili quippe statim inconvertibile, et inconvertibili æternum est consequens, quomodo e contrario capienti convertibile, et convertibili creabile subsequens est. Nihil ergo de creaturis inconvertibile, propter quod neque sempiternum est. Non solum igitur quod in hominibus est rationale, convertitur et creatur, verumetiam in omnibus creaturis hæc eadem conversio reperitur. Nam et Angelorum conversiones et ruinas, divina eloquia demonstrant. Licet enim multitudo Angelorum, et aliarum excellentium Virtutum, in beatitudine et sanctimonia perseverent : tamen cum in ea, quæ similem habent naturam, conversa sint, dilucide ostenditur in primo eos statu non per immutabilitatem suæ substantiæ; sed per sollicitius in Domino servitium permanere. Neque enim potest coæqualium diversa esse natura. Nam quia omne genus hominum mortale est, et singuli homines mortales sunt; ut e diverso quoque si qua de superioribus immortalia sunt, haud dubium quin omnia in eodem genere, et specie constituta, sint immortalia.

XIII. Cum autem hæc se ita habeant, etiamsi unus Angelus convertibilis apparuerit, omnes convertibiles erunt, licet non sint conversi in beatitudine perseverantes : quomodo et cuncta hominum corpora divisibilia sunt, quanquam non omnia dividantur. Quædam enim eorum passa divisionem, et reliquorum similium sui naturam interpretantur. His ita edissertis, alterius substantiæ et visibilibus et invisibilibus creaturis Spiritus sanctus ostenditur. Si autem hoc verum est, impiissime quidam inter omnia connumerant Spiritum sanctum : dicentes in eo, quod omnia

per Verbum a Deo facta sunt, etiam significari Spiritus sancti facturam. Neque enim unum ex omnibus, sed aliud extra omnia per substantiam ex utroque demonstratus est Spiritus sanctus. Nam si creatura, ut superius ostendimus, dividitur in corporalia et in incorporalia, et conditus est Spiritus sanctus, utique aut visibilis, aut invisibilis creatura erit, id est, corporalis aut incorporalis. Verum corpus nequaquam erit, sicut prius diximus, cum doceat et scientiam præstet, et a sensu et anima capiatur. Sed neque invisibilis creatura erit, ut paulo ante de eo disputavimus. Unde et Apostolus in Epistola, quam ad Hebræos scripsit, alium eum esse ab omnibus Angelis demonstrat, dicens : « Cui enim Angelorum dixit aliquando : Sede a » dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pe- » dum tuorum ? Nonne omnes sunt administratores Spiritus, » in ministerium missi, propter eos qui accepturi erant » salutem [1] ? » Et post alia : « Quomodo nos effugiemus » tantam negligentes salutem ? Quæ principium accipiens » ad loquendum per Dominum, ab his qui audierunt in nos » confirmata est, testimonium dante Deo signis et prodi- » giis et variis virtutibus, et Spiritus sancti divisionibus, » juxta suam voluntatem [2]. » Hoc enim quod ait, « Cui An- » gelorum, » æque accipitur, ac si diceret : Nulli ; per angelicum nomen significans omnium substantiam invisibilium creaturarum. Neque enim ulli quidem Angelorum, et aliæ cuidam rationabili creaturæ dixit Deus : « Sede a dextris » meis. » In commune itaque sermo pronuntiat non esse dictum cuiquam creaturæ : « Sede a dextris meis. » Et hoc in commune de creatura. Et pronuntians de omnibus invisibilibus creaturis, ait eas esse administratores Spiritus. Propter quod subjecit : « Nonne omnes sunt administra- » tores Spiritus in ministerium missi. » Licet enim non

[1] Hebr. I, 13, 14, ex Psal. CIX, 1. — [2] Hebr. II, 3, 4.

omnes singillatim invisibiles creaturæ missæ sunt, tamen quia ejusdem generis, et honoris aliæ missæ sunt, quodam modo et ipsæ possibilitate sunt missæ : missarum consortes æqualisque substantiæ. Quomodo igitur alius est ab universis creaturis Dominus, per quem principium ad loquendum acceperat illa magna salus, cujus negligentes Apostolus nolens nos esse ait : « Quomodo nos effugiemus » tantam negligentes salutem? Quæ principium accipiens » ad loquendum per Dominum ab his qui audierunt in nos » confirmata est : » sed et Deus qui testimonium perhibet signis et portentis isti saluti, alius est ab omnibus administratoriis spiritibus. Sic et Spiritus sanctus, cujus divisionibus juxta voluntatem ejus testimonium perhibet Deus, distribuens eum, non per concisionis partes, sed per communionem quibus eum præstare decreverit, alterius est ipse substantiæ ab his, in quæ dispartitur effusus.

XIV. Igitur quoniam approbavimus juxta Scripturarum sensum, alium extra omnem creaturam esse Spiritum sanctum, incassum, imo impie quidam creatum eum esse ostendere volentes, testimonio utuntur, quo omnia per Verbum facta referuntur, ut scilicet in omnibus etiam æterna substantia contineatur. Et quia ad conditionem ejus approbandam etiam propheticum sermonem usurpant dicente Deo : « Creo Spiritum : » etiam in hoc eos monstrare debemus prorsus ab intellectu veritatis alienos. Neque enim de Spiritu sancto propositus sermo Prophetæ fuit et ex ipsa serie et contextu eloquii intelligitur. Siquidem Amos propheta ex persona Dei : « Præparare, inquit, » ad invocandum Deum tuum, o Israël : quoniam ego sum » firmans tonitruum, et creans Spiritum, et annuntians in » homines Christum suum, faciens diluculum et nebulam, » et ascendens super excelsa terræ, Dominus Deus omni-

» potens nomen ejus [1]. » Deus enim qui se Spiritum condere fuerat prælocutus, et facere, et tonitruum dixit se firmare, et diluculum et nebulas facere. Si igitur in prædicta narratione perseveramus, id est, in tonitruo et diluculo et nubibus, eumdem narrationis ordinem etiam in Spiritu tenere debemus, ut id quod dicitur a Deo tale sit : Ut invoces me, qui Deus sum, qui universa procuro, qui et creator sum omnium, qui firmo tonitruum, et condo Spiritum, qui diluculum et nebulam ad quasdam utilitates facio hominum, præparare ut invoces, o Israël, ut cum præparatus fueris ad invocandum, et me oraveris, qui supradicta constituo, felicitate temporum, et aliorum bonorum largitionibus perfruaris; me tibi per singulos annos omnia juxta naturæ ordinem ministrante, ut fœcunde annus fluat, ut suis spatiis horarum momenta decurrant, ut suo tempore tonitrua mugiant, ut salutaris aura opportunis flatibus inspiret. Si vero per allegoriam, tonitruum, et diluculum, et nebula, et creatio Spiritus intelligantur, non substantiam rei, sed figuratam interpretationem significabunt.

XV. Quod si e diverso opposuerit manifeste de Spiritu sancto hæc dici, quia inferatur ad creationem Spiritus, illud quod sequitur : « Et annuntians in omnes homines Christum » suum, » in hebræo habetur, « Annuntiat in hominem lo- » quelam suam : » quod scilicet qui creator est omnium, ipse etiam Prophetis inspiret, et suam per eos hominibus indicet voluntatem. Et ad hoc respondendum est, quia quidam hæretici alium extra creatorem Dominum Patrem Salvatoris mentiuntur, hoc impiissime prædicantes, non sceleratam eorum suspicionem providentes a Deo percuti dicente : Ego formans tonitruum et creans Spiritum, et alias mundi partes faciens et gubernans, annuntio in homi-

[1] Amos. IV, 12, 13.

nes Christum meum. Et hoc enim providentiæ meæ opus super omnia opera mea est, ut non solum eorum, quæ foris sunt, sed et quæ ad emolumentum animæ et mentis utilitatem pertinent, causa subsistam. Ergo hoc, quod dicitur : « Creo spiritum, » æque arbitror positum ac si diceretur : Creans ventum. Deus quippe flatus hos, qui per aëris motum efficiuntur, dispositione sua ducit : secundum illud, quod alibi legimus : « Qui producit ventos de the» sauris suis[1]. » Bene autem quod in ipsa sententia non ait : Qui creavi : sed « Qui creo Spiritum. » Si enim de substantialitate Spiritus sancti sermo esset, dixisset utique : « Qui » creavi. » Neque enim semper eumdem creat. Nunc autem consequenter de flatu dictum est : « Qui creo, » quia non semel venti facti sunt, sed in eo, quod subsistunt, quotidie fiunt. Neque enim frustra sine articulo, qui in græco sermone singularitatis significator est, nunc spiritus creatus dicitur, quoniam non est sanctus, cum pene semper Spiritus sanctus cum articulo nominetur, ut in illo αὐτὸ τὸ πνεῦμα, id est, « Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nos» tro[2]. » Et alibi, αὐτὸς ἐστιν τὸ ζωοποιοῦν, id est, « Ipse est, » qui vivificat[3]. » Et rursum : « Sic et quæ Dei sunt, nemo » cognovit, nisi τὸ πνεῦμα, id est, Spiritus Dei, τὸ γὰρ πνεῦμα, » hoc est, Spiritus enim scrutatur omnia etiam alta » Dei[4]. » Et multa, quæ de Scripturis sacris excerpere possibile est. Quod sicubi raro sine articulo nominatur Spiritus sanctus, sciendum est cum additamento eum nominari significante magnificentiam ejus. Siquidem dicitur aliquando, et sine articulo, cum non ipse per se, sed participatio ejus ostenditur, ut puta : « Spiritus Heliæ[5] » et « Spiritu ambulate[6], » et quæcumque his similia sunt.

XVI. Quoniam igitur ex his, quæ memoravi, et ex

[1] Isaï. CXXXIV. — [2] Rom. VIII, 16. — [3] Joan. VI, 64. — [4] 1 Cor. II, 10, 11. — [5] 4 Reg. II, 9. — [6] Gal. V, 16.

multis aliis, non esse creaturam Spiritum sanctum demonstratum est, nusquam conditionibus connumeratus est, sed semper cum Patre et Filio positus, nunc videamus quam cum utroque habeat indifferentiam. In fine Epistolæ secundæ, quam ad Corinthios scribit Paulus, ait : « Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et » communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus » vobis[1]. » Ostenditur quippe ex sermone præsenti una Trinitatis assumptio : cum is, qui gratiam Christi accepit, habeat eam tam per administrationem Patris quam per largitionem Spiritus sancti. Datur enim a Deo Patre et Jesu Christo, juxta illud : « Gratia vobiscum, et pax a » Deo Patre, et Domino Jesu Christo[2]; » non aliam dante gratiam Patre, et aliam Salvatore. Siquidem et a Patre et Domino Jesu Christo eam dari describit, Spiritus sancti communicatione completam. Nam et ipse Spiritus dictus est gratia secundum illud : « Et Spiritui gratiæ injuriam » faciens, in quo sanctificatus est[3]. » In Zacharia quoque repromittit Deus effusurum se, id est, abundantissime tributurum Hierusalem Spiritum gratiæ et miserationis[4]. Cum enim quis Spiritus sancti acceperit gratiam, habebit eam datam a Deo Patre, et a Jesu Christo Domino nostro. Una igitur gratia Patris et Filii et Spiritus sancti operatione completa, Trinitas unius substantiæ demonstratur. In alio quoque loco : « Charitas, inquit, Dei cum omnibus » vobis[5] : » quæ a Trinitate, et tribuitur, et firmatur. Ait quippe Salvator : « Qui audit verba mea, et servat ea, hic » est, qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum[6]. » Neque enim alia dilectio est Salvatoris super his, qui amantur, et alia dilectio Patris. Deus enim diligit in salutem, quia « Sic dilexit Deus mun-

[1] 2 Cor. XIII, 13. — [2] Rom. I, 7, et 1 Cor. I, 3. — [3] Hebr. X, 29. — [4] Zach. XII, 10. — [5] 2 Cor. XIII, 13. — [6] Joan. XIV, 21.

» dum, ut Filium suum unigenitum daret : ut omnis, qui » credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æter- » nam[1]. » Similiter et Filius, quia vita est, ut tribuat vitam et salutem, diligit eos, quos vult fieri meliores. Unde amare se dicit eum, qui amatur a Patre. Et de eo ponitur in Propheta : «Et ipse salvabit illos, quia dilexit illos[2]. »

XVII. Hanc dilectionem, fructum esse Spiritus sancti contestatur Apostolus, sicut et gaudium et pacem, quæ a Patre ministratur et Filio, dicens : « Fructus autem Spi- » ritus, gaudium, pax, charitas[3]. » Quæ charitas effusa est in cordibus credentium per Spiritum sanctum. « Charitas » quippe, ait, Dei diffusa est in cordibus vestris in Spiritu » sancto[4]. » Omnis quippe, qui communicat Spiritui sancto, per participationem ejus communicat, juxta illud, « Et » communicatio sancti Spiritus sit semper cum omnibus » vobis[5]. » Et in alio loco : « Si qua communicatio Spiri- » tus[6]. » Cum habuerit sapientiam Dei et sermonem, et in omnibus veritatem, habebit quoque consortium sanctitatis in Patre et Filio, et Spiritu sancto. « Fidelis autem Deus, » per quem vocati estis in communicationem Filii ejus[7]. » Scribit et Joannes de Patre : « Si in lumine ambulamus, » sicut ipse est in lumine, communicationem habemus cum » illo[7] : » et adhuc, « Communicatio autem nostra cum Pa- » tre et Filio ejus Jesu Christo[8]. » Igitur quicumque communicat Spiritui sancto, statim communicat Patri et Filio. Et qui charitatem habet Patris, habet eam a Filio, contributam per Spiritum sanctum. Sed et qui particeps est gratiæ Jesu Christi, eamdem gratiam habet, datam a Patre per Spiritum sanctum. In omnibus enim approbatur eamdem operationem esse Patris et Filii, et Spiritus sancti.

[1] Joan. III, 16. — [2] Isaï. XXXIII, 22, et XXXV, 9. — [3] Galat. V, 22. — [4] Rom. V, 5. — [5] 2 Cor. XIII, 13. — [6] Philip. II, 1. — [7] 1 Cor. I, 9. — [8] 1 Joan. I, 7. — [9] Ibid. 3.

Quorum autem una est operatio, una est et substantia, quia quæ eidem substantiæ ὁμοούσια sunt, easdem habent operationes, et quæ alterius substantiæ et ἀνομούσια, dissona atque diversa sunt.

XVIII. Neque enim ex his tantum, quæ præmisimus, Trinitatis unitas docetur, sed ex innumerabilibus aliis, de quibus rursum secundum suum ordinem pauca ponemus. Arguens Petrus Ananiam, in eo quod in venditione agri, cujus se totum pretium obtulisse dicebat, fraudem fecisset ex medio, sancti Spiritus unitatem ad Deum, non secundum numerum, sed juxta substantiam comprobavit, dicens : « Anania, quare complevit Satanas cor tuum, ut » mentireris Spiritui sancto, et absconderes de pretio agri? » Nonne manens tibi manebat, et venditum in tua erat po- » testate? Quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non ho- » minibus mentitus es, sed Deo[1]. » Si enim qui Domino mentitur, mentitur Spiritui sancto, et qui Spiritui sancto mentitur, mentitur Deo, nulli dubium est consortium Spiritus sancti esse cum Deo. Et quomodo sanctitas subsistit in Deo, eodem modo et Deitas intelligitur in Spiritu sancto. Iste autem Spiritus sanctus, quem diximus ejusdem naturæ esse cum Patre, etiam a Filii divinitate non differt, Salvatore dicente Discipulis : « Cum in synagogam » ad principatus et potestates introduxerint vos, nolite soli- » liciti esse quomodo, aut quid respondeatis : Spiritus enim » sanctus docebit vos in illa hora quid debeatis dicere. Po » nite in cordibus vestris non præmeditari ad responden » dum. Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non » poterunt resistere, aut contradicere[2]. » Et in his quippe dicens non debere eos esse sollicitos quid respondeant contradicentibus, quia in eadem hora doceantur a Spiritu sancto quid debeant respondere, statim intulit quæ sit

[1] Act. v, 3, 4. — [2] Luc. XII, 11, 12, et XXI, 12 et 15.

causa fiduciæ : « Ponite, dicens, in cordibus vestris non » præmeditari ad respondendum, ego enim dabo vobis os » et sapientiam cui non poterunt resistere, aut contradi- » cere. » Cum enim dixerit in tempore respondendi doceri eos a Spiritu sancto quid debeant respondere, in sequentibus ait : « Ego enim dabo vobis os et sapientiam, etc. »

XIX. Ex quibus ostenditur sapientiam, quæ Discipulis datur a Filio, Spiritus sancti esse sapientiam, et doctrinam Spiritus sancti, Domini esse doctrinam, unumque naturæ et voluntatis esse consortium Spiritus sancti cum Filio. Et quia superius demonstratum est socium esse per naturam Spiritum Unigenito Dei et Deo Patri, Filius vero et Pater unum sunt, juxta illud : « Ego et Pater unum su- » mus[1], » non divisa et inseparabilis, secundum naturam ostensa est Trinitas. In alio quoque Evangelio dicitur : « Non » enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, » qui loquitur in vobis[2]. » Si ergo Spiritus Patris in Apostolis loquitur, docens eos, quæ debeant respondere, et quæ docentur a Spiritu, sapientia est, quam non possumus aliam præter Filium intelligere, liquido apparet ejusdem naturæ Spiritum esse cum Filio, et cum Patre, cujus Spiritus est. Porro Pater et Filius unum sunt. Igitur Trinitas substantiæ unitate sociatur.

XX. Per aliud quoque Scripturarum exemplum, Trinitatis unitas et natura, et virtus ostenditur. Filius et manus et dextera, et brachium Patris dicitur. Sicut crebro docuimus, ex his vocabulis, unius naturæ indifferentia demonstratur. Spiritus etiam sanctus, digitus Dei, secundum conjunctionem naturæ Patris et Filii nominatur. Siquidem in uno de Evangeliis adversus eos, qui signis Domini detrahebant, dicentes : « In Beelzebub principe dæmoniorum » ejicit dæmonia : » sciscitans Salvator ait : « Si ego in

[1] Joan. x, 30. — [2] Matth. x, 20.

» Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri in qu ejiciunt? Si » autem ego in digito Dei ejicio dæmonia, ergo supervenit » in vos regnum Dei[1]. » Hunc eumdem locum alius Evangelista describens, loquentem intulit Filium : « Si autem » ego in Spiritu Dei ejicio dæmonia[2]. » Ex quibus ostenditur digitum Dei esse Spiritum sanctum. Si ergo conjunctus est digitus manui, et manus ei, cujus manus est, et digitus, sine dubio ad ejus substantiam refertur, cujus digitus est.

XXI. Verum cave ne ad humilia dejectus, et oblitus sermonis, de quo nunc disputatur, depingas in animo tuo corporalium artuum diversitates, et incipias tibi magnitudines et inæqualitates, et cætera corporum majora vel minora membra confingere : dicens, digitum a manu, et manum ab eo, cujus est manus, multis inæqualitatibus discrepare : quia de incorporalibus nunc Scriptura loquitur, unitatem tantum volens, non etiam mensuram substantiæ demonstrare : sicut enim manus non dividitur a corpore, per quam cuncta perficit et operatur, et in eo est, cujus est manus : sic et digitus non separatur a manu, cujus est digitus. Itaque rejice inæqualitates et mensuras, cum de Deo cogitas, et intellige digiti, et manus, et totius substantiæ unitatem, quo digito lex in tabulis lapideis scripta est. Per aliam quoque Scripturam, fidei nostræ probationem monstrare perfacile est. Solus sapiens dictus est Deus : non accipiens ab alio sapientiam, neque per cujusdam alterius sapientiæ participationem, sapiens nominatur. Siquidem multi sapientes dicuntur, non ex sua natura, sed ex communicatione sapientiæ. Deus vero non alterius sapientiæ participatione, neque aliunde sapiens effectus, dictus est solus sapiens, et generans sapientiam, et alios faciens sapientes. Quæ sapientia Dominus noster

[1] Luc. xi, 15, 19 et 20. — [2] Matth. xii, 28.

est Jesus Christus qui dicitur Dei virtus et Dei sapientia. Spiritus quoque sanctus dicitur sapientia. Siquidem et in veteribus libris refertur repletum esse Jesum Nave a Domino spiritu sapientiæ. Sicut ergo solus sapiens Deus, non accipiens aliunde sapientiam, sed sapientes faciens et generans sapientiam, solus est sapiens extra omnes, qui per nuncupationem ejus sapientes dicuntur ; « Multitudo quippe » sapientium salus mundi [1], » et « Qui semetipsos cognos- » cunt, hi sunt sapientes [2], » et rursum : « Cum fueris cum » sapientibus, sapiens eris [3]. » Sic et Spiritus sanctus non accipiens aliunde sapientiam, dictus est spiritus sapientiæ; hoc enim ipsum quod subsistit, spiritus sapientiæ est : et natura ejus nihil est aliud, nisi Spiritus veritatis et Spiritus Dei; de quibus jam abundanter in Sectarum volumine disputavimus. Unde ne eadem superflue replicemus, contenti simus disputatione præterita.

XXII. Quia igitur (24) Spiritus sapientiæ et veritatis inseparabiliter cum Filio est, ipse quoque sapientia subsistit et veritas. Si enim capax esset sapientiæ et veritatis, in id aliquando descenderet, ut desineret habere quod aliunde susceperat, id est, sapientiam et veritatem. Et Filius sapientia et veritas ipse subsistens, non separatur a Patre, qui solus sapiens et veritas, Scripturarum vocibus prædicatur. Eumdem circulum unitatis atque substantiæ Spiritus sancti secundum id quod sapientiæ et veritatis est spiritus, videmus habere cum Filio, et rursum Filium a Patris non discrepare substantia. Cum autem Filius imago sit Dei invisibilis, et forma substantiæ ejus, quicumque ad hanc imaginem, vel formam imaginantur atque formantur, adducuntur in similitudinem Dei : juxta vires tamen humani profectus, istiusmodi formam et imaginem consequentes. Similiter et Spiritus sanctus cum sit signaculum

[1] Sap. VI, 26. — [2] Prov. XIII, 20. — [3] 1 Cor. XII, 6.

Dei, hi qui formam et imaginem Dei capiunt, signati, per eum, in eo ducuntur ad signaculum Christi sapientiæ et scientiæ, et insuper fide pleni. « Nam divisiones operationum sunt, idem autem ipse Spiritus qui operatur omnia » in omnibus [1]. » Operante ergo Patre multiplicem charismatum plenitudinem, multiplicat eam Filius subsistentem per Spiritum sanctum. « Alii enim per Spiritum datur sermo » sapientiæ; alii vero scientiæ secundum eumdem Spiritum; » alii fides in eodem Spiritu [2], » et cætera quæ ab Apostolo enumerata sunt dona, quibus additur. « Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus, dividens singulis » prout vult [3]. »

XXIII. Unde dicentes operatricem, et ut ita dicam, distributricem naturam Spiritus sancti, non abducamur ab his qui dicunt operationem et non substantiam Dei esse Spiritum sanctum. Et ex aliis quoque plurimis locis subsistens natura demonstratur Spiritus sancti : ut in illo quod Apostoli scribunt : « Visum est enim Spiritui sancto e » nobis [4]. » Quia hoc quod dicitur, « Visum est, » non operationem significat, sed naturam : maxime cum et de Domino simile quid reperiatur, ut « Sicut Domino visum est, » ita factum est [5]. » Denique et sermones ejus sæpissime lectitantur, ut in illo, « Jejunantibus eis et ministrantibus, » id est, Discipulis Christi, dixit Spiritus sanctus : Separate mihi Barnabam et Saulum in opus ad quod vocavi » eos [6]. » Quæ vox divinitatis, et auctoritatis index, non creatam, sed increatam substantiam monstrat. Neque enim Spiritus sanctus in aliud quoddam opus vocavit Barnabam et Paulum quod non sit Patris et Filii : cum ministerium quod eis commisit et tradidit Spiritus, Patris et Filii sit ministerium. Ad Galatas Paulus loquitur. « Qui

[1] 1 Cor. XII, 6. — [2] Ibid. 8, 9. — [3] Ibid. 11. — [4] Act. XV, — [5] Joh. I, 21. — [6] Act. XIII, 2.

» enim operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi in gentes et Barnabæ [1]. » Pariter enim ad nationes Spiritus sancti auctoritate directi sunt. Christo quoque operante in Apostolis, Spiritus completum est ministerium, ut ipsi Apostoli confitentur se in Christo loqui, et id quod suis oculis viderunt, et ministri facti sunt sermonis, id est, Christi : et dispensatores mysteriorum Dei. Denique quasi principatum in sacerdotio possidentes, et initiatores fidei a Christo sunt demonstrati, dicente : « Euntes ite et docete omnes gentes, baptizantes » eas in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti [2]. » Et sicut » Apostolus scribit rectissime : « Unus est Dominus, una » fides, unum baptisma. » Quis non ex ipsa cogetur veritate suscipere indifferentiam sanctæ Trinitatis, dum una sit des in Patre et Filio et Spiritu sancto : et lavacrum detur atque firmetur in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti?

XXIV. Non arbitror quemquam tam vecordem atque insanum futurum, ut perfectum baptisma putet id quod datur in nomine Patris et Filii, sine assumptione Spiritus sancti, aut rursus in nomine Patris et Spiritus sancti, Filii vocabulo prætermisso; aut certe in nomine Filii et Spiritus sancti, non præposito vocabulo Patris. Licet enim quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis et penitus mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, ut unum de præceptis nominibus prætermittat : videlicet contrarius legislator Christi : tamen sine perfectione baptizabit : imo penitus a peccatis liberare non poterit, quos a se baptizatos existimaverit. Ex his colligitur quam indivisa sit substantia Trinitatis, et Patrem vere Filii esse Patrem, et Filium vere Patris Filium, et Spiritum sanctum vere Patris et Dei esse Spiritum et insuper sapientiæ et veritatis, id est, Filii Dei. Hæc est salus ergo credentium, et dispensatio ecclesias-

[1] Galat. II, 8. — [2] Matth. XXVIII, 19.

ticæ disciplinæ in hac Trinitate perficitur. Nam cum Salvator Discipulos suos ad prædicandum Evangelium miserit, et ad dogmata veritatis docenda Pater in Ecclesia constituisse dicatur, primo Apostolos, secundo Prophetas, tertio magistros : super hac re etiam Apostoli congruente sententia : « Et sicut probati sumus a Deo et credendum Evan-» gelium, sic loquimur, non ut hominibus placentes, sed » Deo qui probavit corda nostra [1], » hos eosdem quos Christus magistros esse præcepit, et Pater probavit, et Spiritus sanctus dispensatores et præpositos in Ecclesia constituisse perhibetur. Siquidem cum Miletum Paulus apostolus presbyteros de diversis locis et plurimis Ecclesiis congregasset ; « Attendite, inquit, vobis et universo gregi, » super quos Spiritus sanctus posuit vos episcopos ad re-» gendam Ecclesiam Domini, quam acquisivit per sanguinem » suum [2]. » Si enim quos Christus ad evangelizandum et baptizandas nationes misit, Spiritus sanctus Ecclesiæ præposuit, Patris sententia destinatos, nulli dubium est unam Patris et Filii et Spiritus sancti operationem et probationem, et consequenter eamdem Trinitatis esse substantiam. Necnon et illud considerandum, quod in corde et sensu habitare non potest creatura, nisi Deus et sermo ejus in Spiritu sancto, sicut ad quosdam loquitur Pater. « Inha-» bitabo in eis, et inambulabo [3]. » Et ad ipsum quidam dirigit vocem : « Tu autem in sancto habitas laus Israël [4]. » Altus quippe in altis habitat universæ conditor creaturæ. Habitat vero et unigenitus Filius in mente pura, et corde credentium. Per fidem quippe habitare Christum in interiori homine, in Spiritu ait Apostolus, ita scribens : « In » Spiritu, in interiori homine habitare Christum per fidem » in cordibus vestris [5]. » Ipse quoque de se loquitur : « Vivit

[1] 1 Thes. II, 4. — [2] Act. XX, 28. — [3] Levit. XXVI, 12, et 2 Cor. VI, 16. [4] Psal. XXI, 4. — [5] Ephes. III, 16, 17.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

» in me Christus [1]. » Et iterum : « Qui in me loquitur » Christus [2]. » Et Salvator : « Veniemus, inquit, ego et » Pater, » haud dubium quin ad eum qui præcepta ejus servaverit, « et mansionem apud eum faciemus. » Porro sic sermo iste contexitur. « Si quis diligit me, sermonem » meum servabit. Et Pater meus diliget eum, et ad eum » veniemus, et mansionem apud eum faciemus [3]. » In alio quoque loco, omnis natura rationalium creaturarum, domus dicitur Salvatoris.

XXV. Sicut autem super domum suam Dominus Jesus, cujus domus sumus nos, ita domus Christi templum Dei est, in quo Spiritus ejusdem inhabitat Dei. Scribens quippe Corinthiis Paulus ait : « Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis[4] ? » Si autem in domo et templo quo Pater et Salvator inhabitat, illico invenitur et Spiritus sanctus, ex hoc indivisa Trinitatis substantia demonstratur. Et post non multa ejusdem Epistolæ : « Nescitis, in- » quit, quia corpora vestra templum Spiritus sancti, quem » habetis a Deo [5] ? » Cum ergo Spiritus sanctus, similiter ut Pater et Filius, mentem et interiorem hominem inhabitare doceatur, non dicam ineptum, sed impium est eum dicere creaturam. Disciplinas quippe, virtutes dico et artes, et his contrarias perturbationes et imperitias et affectus in animabus habitare possibile est, non tamen ut substantivas, sed ut accidentes. Creatam vero naturam in sensu habitare impossibile est. Quod si verum est, et Spiritus sanctus absque ulla ambiguitate subsistens, animæ est habitator et cordis : nulli dubium est, quin cum Patre et Filio credi debeat increatus. Ex omnibus igitur, quæ præcedens sermo disserit, incorruptibilis et sempiternus secundum naturam Patris et Filii, Spiritus sanctus demons-

[1] Galat. II, 20. — [2] 2 Cor. XIII, 3. — [3] Joan. XIV, 23. — [4] 1 Cor. III, 16. — [5] 1 Cor. VI, 19.

tratus, universam de se ambiguitatem abstulit et suspicionem, ne unus de creatis substantiis existimetur. Sed et ambigi nequit quin is Spiritus Dei sit, quem exire de Patre Salvatoris in Evangelio verba declarant. « Cum venerit, inquit, Consolator, quem ego mittam vobis Spiritum » veritatis, qui a Patre egreditur; ipse testimonium dabit » de me [1]. » Consolatorem autem venientem Spiritum sanctum dicit, ab operatione ei nomen imponens, quia non solum consolatur eos quos se dignos repererit, et ab omni tristitia et perturbatione reddit alienos: verum incredibile quoddam gaudium et hilaritatem eis tribuit, in tantum ut possit quis Deo gratias referens, quod tali hospite dignus habeatur, dicere : « Dedisti lætitiam in corde meo [2]. » Sempiterna quippe lætitia in eorum corde versatur, quorum Spiritus sanctus habitator est. Iste Spiritus sanctus consolator a Filio mittitur, non secundum Angelorum, aut Prophetarum, aut Apostolorum ministerium, sed ut mitti decet a sapientia et veritate Spiritum Dei, indivisam habentem cum eadem sapientia et veritate naturam. Etenim Filius missus a Patre non separatur, nec disjungitur ab eo, manens in eo et habens illum in semetipso. Quin Spiritus veritatis supradicto modo missus a Filio de Patre egreditur, non aliunde ad alia transmigrans. Impossibile quippe hoc pariter et blasphemum est. Si enim de loco ad locum egreditur Spiritus, et ipse Pater in loco invenietur, et Spiritus veritatis juxta naturam corporum certo spatio circumscriptus, alium deserens locum, ad alium commigrabit. Sed quomodo Pater non consistens in loco, ultra omnem corporum est naturam : Ita et Spiritus veritatis nequaquam locorum fine clauditur, cum sit incorporalis, et, ut verius dicam, excellens universam rationalem creaturam.

XXVI. Quia ergo et impossibile est, et impium, ista quæ diximus, decorporalibus credere, exire de Patre Spi-

[1] Joan. xv, 26. — [2] Psal. iv, 7.

ritum sanctum, sic intelligendum, ut se Salvator de Deo exisse testatur, dicens : « Ego de Deo exivi et veni [1]. » Et sicut loca et commutationes locorum ab incorporalibus separamus : sic et prolationes intus dico et foris ab intellectualium natura discernimus, quia istæ corporum sunt recipientium tactum et habentium vastitates. Ineffabili itaque et sola fide noto sermone credendum est Salvatorem dictum esse exisse a Deo, et Spiritum veritatis a Patre egredi, loquente « Spiritus qui a me egredi» tur. » Cum enim dicere posset de Deo, sive de Domino, sive de omnipotente, nihil horum tetigit, sed ait : « De »Patre » non quod Pater a Deo omnipotente sit alius, quia hoc scelus est etiam cogitare, sed secundum proprietatem et intellectum parentis egredi ab eo dicitur Spiritus veritatis. Licet enim ex Deo frequenter se dicat exisse Salvator, proprietatem tamen et (ut ita dicam) familiaritatem, de qua jam sæpe tractavimus, ex vocabulo magis sibi Patris assumit, dicens : « Ego in Patre et Pater »in me [2]. » Et alibi : « Ego et Pater unum sumus [3], » et multa alia his similia, quæ in Evangelio observans lector inveniet. « Iste ergo Spiritus sanctus qui de Patre egredi» tur, testificabitur, inquit Dominus, de me [4], » testimonium simile ferens ei Patris testimonio, de quo ait : « Tes» timonium dicit de me, qui misit me Pater [5]. » Mittente autem Filio Spiritum veritatis, quem Consolatorem vocavit, simul mittit et Pater. Neque enim Pater mittente Filio non mittit, cum eadem voluntate Patris et Filii Spiritus veniat, Salvatore quoque per Prophetam loquente, sicut manifestum esse poterit ei qui totum perlegerit locum, « Et »Dominus misit me et Spiritum suum [6]. » Siquidem non solum Filium, sed Spiritum mittit Deus. Sed et Apostolus loquitur : « Quæ nunc annuntiata sunt vobis per eos qui

[1] Joan. VIII, 42. — [2] Id. XIV, 10. — [3] Id. X, 30. — [4] Id. XV, 26. — [5] Id. V, 37. — [6] Isaï. XLVIII, 16.

» evangelizaverunt vobis, Spiritu sancto misso de cœlis[1]. » Et in libro qui Sapientia inscribitur, ab his qui divina charismata consecuti sunt, vox gratias Deo perferens destinatur : « Quæ autem in cœlis sunt quis investigavit? Volun- » tatem autem tuam quis cognovit : nisi quod tu dedisti » sapientiam, et Spiritum sanctum tuum misisti de excel- » sis? Et sic correctæ sunt semitæ eorum, qui super terram » erant, et placita tibi edocti sunt homines[2]. » Et in præsenti siquidem lectione, non sola sapientia Dei, id est, unigenitus Filius ejus datur a Patre, sed et Spiritus sanctus mittitur.

XXVII. In ipso quoque Evangelio dari prædicatur a Patre, et mitti Spiritus sanctus, Salvatore dicente : « Et » ego rogabo Patrem meum, et alium Paracletum dabit » vobis, ut sit vobiscum in æternum, Spiritum veritatis[3]. » Et iterum : « Paracletus autem Spiritus sanctus, quem » mittet Pater in nomine meo [4], ille vos docebit omnia. » Nam et in his sermonibus, alium Paracletum dare dicitur Pater; non autem alium ab eo, qui a Filio mittitur, secundum illud: « Cum autem venerit ille Paracletus, quem » mittam vobis a Patre Spiritum veritatis[5]. » Quem alium Paracletum nominavit, non juxta naturæ differentiam, sed operationis diversitatem. Cum enim Salvator mediatoris et legati personam habeat, et qua pontifex deprecetur pro peccatis nostris, salvans in sempiternum eos, qui per ipsum accesserunt ad Deum, quia semper vivens interpellat pro eis Patrem, Spiritus sanctus secundum aliam significantiam Paracletus ab eo quod consolatur in tristitia positos nuncupatus est. Verum noli ex Filii et Spiritus sancti operatione diversa, varias æstimare naturas. Siquidem in alio loco reperitur Paracletus Spiritus, legati ad Patrem

[1] 1 Petr. I, 12.— [2] Sap. IX 16-18.— [3] Joan. XIV, 16, 17.— [4] Ibid. 26.— [5] Id. XV, 26.

persona fungi, ut in illo : « Quid enim oremus juxta id quod » oportet, nescimus ; sed ipse Spiritus interpellat pro nobis » gemitibus inenarrabilibus. Qui autem scrutatur corda, » scit quid desideret Spiritus, quomodo secundum Deum » postulat pro sanctis [1]. »

XXVIII. Salvator quoque consolationem a qua Spiritus sanctus Paracletus nuncupatus est, operatur in cordibus eorum, qui ea indigent. Scriptum est enim : « Et humiles » populi consolatus est [2]. » Unde et his qui hoc beneficium fuerat consecutus, cum prædicans, loquebatur : « Domine, » secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, » consolationes tuæ lætificaverunt cor meum, » sive, « Di- » lexerunt animam meam [3] : » utroque enim scriptum esse modo diversis exemplaribus invenitur. Sed et Pater, Deus omnis consolationis dicitur : consolans eos, qui in tribulatione sunt, ut ex ipsis angustiis per patientiam salutem primum, dehinc coronam gloriæ consequantur. Spiritus igitur consolator, et sanctus, et Spiritus veritatis datur a Patre, ut semper cum Christi Discipulis commoretur, cum quibus et ipse Salvator est, dicens : « Ecce enim vobis- » cum sum usque ad consummationem sæculi [4]. » Cum autem semper Apostolis et Spiritus sanctus adsit et Filius, sequitur ut et Pater cum ipsis sit, quia qui recipit Filium, recipit et Patrem, et mansionem Filius cum Patre facit apud eos, qui digni adventu ejus extiterint. Sed et ubi Spiritus sanctus fuerit, statim invenitur et Filius. Siquidem cum in Prophetis Spiritus sanctus sit, faciens eos futura præcinere, et alia quæ prophetalis operationis sunt, sermo Dei ad eos dicitur factus, ut ad id quod ad consuetudinem Prophetarum est, « Hæc dicit Dominus, » etiam illud addatur, « Sermo qui factus est ad Esaïam, » sive ad reliquos.

[1] Rom. VIII, 26, 27. — [2] Psal. XVII, 13, et XXXIII, 19. — [3] Id. XCIII, 19. — [4] Matth. XXVIII, 20.

XXIX. Quod autem Prophetæ Spiritum sanctum habuerint, Deo manifeste loquente cognoscimus. Ait enim : « Quæcumque mandavi in Spiritu meo servis meis Prophe- » tis [1]. » Et Salvator in Evangelio significat justos viros, et eos qui ante adventum suum populo ventura cecinerant, Spiritus sancti aspiratione completos. Interrogans quippe Pharisæos quid eis de Christo videretur, et audiens quia esset Filius David, loquitur : « Quomodo David in Spiritu » vocat eum Dominum dicens : Dixit Dominus Domino » meo : Sede a dextris meis ? Si ergo David vocat eum in » Spiritu sancto Dominum, quomodo filius ejus est [2]. » Et Petrus ad consortes fidei loquitur : « Oportebat impleri » Scripturam, quam prædixit Spiritus sanctus per os David » de Juda [3], » etc. Et in eodem rursus libro : « Qui per » Spiritum, inquit, sanctum ore David pueri tui locutus es : » Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt ina- » nia [4] ? » Esaïas quoque, cum sermone Dei impulsus ad prophetandum fuisset, Spiritus sancti imperio prophetasse perhibetur, ut in fine eorumdem Actuum scribitur : « Bene » Spiritus sanctus locutus est per Esaïam prophetam ad pa- » tres vestros, dicens : Vade ad populum istum, et dic : » Aure audietis [5], » et reliqua. Hanc igitur prophetiam quam apostolus Paulus affirmat a Spiritu sancto pronuntiatam, ipse liber Prophetæ a Domino dictam esse commemorat. « Et audivi, inquit Esaïas, vocem Domini dicen- » tem : Quem mittam, et quis ibit ad populum istum ? Et » dixi : Ecce ego, mitte me. Vade, inquit, et dic populo » huic : Aure audietis [6]. » Et post alia ipse Dominus ait : « Et convertentur et sanabo illos. » Et statim Propheta : « Quousque, Domine ? » Cum enim Dominus ad Prophetam dixisset, ut ea quæ scripta sunt, diceret, et Propheta

[1] Zach. I, 6. juxta LXX. — [2] Matth. XXII, 43-45. — [3] Act. I, 16. — [4] Id. IV, 25 ex Psal. II, 1. — [5] Id. XXVIII, 25, 26. — [6] Isaï. VI, 8-11.

jubenti Domino respondisset : « Usquequo Domine ? » ea quæ in Propheta a Domino dicta sunt, in Spiritu sancto commemorata Paulus affirmat. Ex quo liquido ostenditur, ut sæpe jam diximus, unam et voluntatem et naturam Domini esse et Spiritus sancti, et in nuncupatione Spiritus, etiam nomen Domini intelligi. Quomodo enim ad Corinthios vocabulum Dei super Patre positum, et Domini super Filio, neque Patri aufert dominationem, neque Filio deitatem : siquidem eadem ratione qua Pater Dominus est, et Filius Deus est, sic et Spiritus sanctus Dominus nuncupatur. Si autem Dominus, consequenter et Deus, ut paulo ante jam diximus, cum vocem Apostoli Petri ad Ananiam qui pecuniam subtraxerat poneremus : quia et deitas superintelligitur in Spiritu sancto.

XXX. Verum quoniam inde quæstionis ordo deductus esse : « Cum autem venerit Paracletus Spiritus sanctus, quem » mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia [1], » age nunc ex ipso sermone quæramus, si quid in eo possimus invenire cum his consentire quæ dicta sunt. Spiritum sanctum a Patre in suo mitti nomine, Salvator affirmat, cum proprie Salvatoris nomen sit Filius, siquidem naturæ consortium, et, ut ita dicam, proprietas personarum ex ista voce signatur. In qua appellatione Filii, missus a Patre Spiritus sanctus, non servus, non alius, nec disjunctus a Filio intelligatur. Et quomodo Filius in Patris appellatione venit, dicens : « Ego veni in nomine Patris mei [2], » Filii quippe tantummodo est in nomine Patris venire, salva proprietate Filii ad Patrem, et Patris ad Filium : sic e contrario, nullus alius venit in nomine Patris, sed verbi gratia, in Domini et Dei et omnipotentis. Quod manifestius advertere poteris Prophetas relegens ex animo. Nam et Moyses magnus Dei minister et famulus, in nomine ejus,

[1] Joan. xiv, 26. — [2] Id. v, 43.

« Qui est; » et in nomine Dei Abraham et Isaac et Jacob venit, Deo ad eum loquente : « Sic dices filiis Israël : Qui » est, misit me ad vos. » Et rursus, « Dices eis : Deus Abra- » ham, Isaac et Jacob misit ad me vos [1]. » Servorum quippe justorum quales erant de quibus dixit : « Mandabo » in Spiritu meo servis meis Prophetis [2], » in nomine Dei facta est missio. Et quia dignos se exhibuerunt Deo, in nomine Dei venisse referuntur. Rursus proficientes in majus, et sub unius Dei imperio non sistentes, in omnipotentis Dei nuncupatione venerunt. Quia vero filii Israël in Ægypto commorantes, didicerunt eos, qui non sunt, quasi deos colere, et mundi patres divino honore venerari, consequens fuit, ut Moyses sub ejus, « Qui est, » vocabulo ad eos mitteretur, et a falsis eos liberans diis, ad veram transduceret deitatem, et ad Dominum patrum Abraham, Isaac, et Jacob.

XXXI. Quomodo ergo servi qui in nomine Domini veniunt, per hoc ipsum quod subjecti sunt et serviunt, indicant Dominum, proprietatem ejus referentes; servi quippe sunt Domini; sic et Filius, qui venit in nomine Patris, proprietatem Patris portat et nomen, et per hæc unigenitus Dei Filius approbatur. Quia ergo Spiritus sanctus in nomine Filii a Patre mittitur, habens Filii proprietatem, secundum quod Deus est, non tamen filieitatem, ut Filius ejus sit; ostendit quia unitate sit junctus ad Filium. Unde et Filii dictus est Spiritus, per adoptionem faciens filios eos, qui se recipere voluissent. « Qui enim, inquit, estis filii Dei, » misit Pater Spiritum Filii sui in corda nostra, clamantem : » Abba, Pater [3]. » Iste autem Spiritus sanctus, qui venit in nomine Filii missus a Patre docebit omnia eos, qui in fide Christi perfecti sunt. Omnia autem illa, quæ spiritualia sunt et intellectualia, et, ut breviter universa concludam,

[1] Exod. III, 14, 15. — [2] Zach. I, 4. — [3] Gal. IV, 6.

omnia veritatis et sapientiæ sacramenta. Docebit vero non quasi doctor et magister disciplinæ, quam aliunde est consecutus; siquidem hoc eorum est, qui sapientiam et artes aliquas studio industriaque didicere, sed quasi ipse ars atque doctrina et sapientia veritatisque Spiritus, invisibiliter menti insinuat scientiam divinorum. Nam et Pater docet sic Discipulos suos, dicente illo qui ab eo doctus fuerat: « Deus docuisti me sapientiam [2], » et audacter alio conclamante: « Docuisti me Deus a juventute mea, » atque ita omnes fiunt docti. Dei quoque Filius et sapientia Dei et veritas sic docet participes suos, ut disciplinam non arte doceat, sed natura. Unde et cum docentur solum magistrum vocare Discipuli. Has easdem disciplinas, quæ dantur a Patre et Filio in corda credentium, Spiritus sanctus ministrat his qui animales esse desierint. « Animalis quippe » homo non percipit ea quæ Spiritus sunt, arbitrans esse » stultitiam quæ dicuntur [2]. » Qui vero a perturbationibus purgaverit mentem suam, Spiritus sancti disciplinis, id est, sermonibus sapientiæ, scientiæque complebitur, in tantum ut is qui ea susceperit dicat: « Nobis au- » tem revelavit Deus per Spiritum sanctum [3]. » Deus autem his qui se ita præparaverint Spiritum sapientiæ revelationisque largitur ad cognoscendum semetipsum, qui accipientes Spiritum sapientiæ, non aliunde, sed ab ipso Spiritu sancto efficiuntur sapientes, et ab ipso intelligunt Dominum et quidquid Dei est voluntatis, et eumdem ipsum Spiritum ipso revelante cognoscunt, « Ut sciant quæ a » Domino donata sunt eis [4]: » ita ut is qui fuerit Spiritum revelationis et sapientiæ consecutus, sufficiens sit veritatis dogmata prædicare, non humana, sed Dei arte subnixus, sicut et unum ex his Apostolum possumus audire dicentem: « Est prædicatio mea et sermo meus non in persua-

[1] Psal. LXX, 17. — [2] 1 Cor. II, 14. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 12.

» sibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spi-» ritus et virtutis Dei[1]. » Æqualem vero Spiritui virtutem non possumus aliam præter Christum Dominum nostrum interpretari. Ipse enim Discipulis ait : « Accipietis enim » virtutem Spiritus sancti venientem super vos [2]. » Et ad Mariam Angelus : « Spiritus, inquit, sanctus superveniet in » te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi [3]. » Creatrix igitur virtus Altissimi, Spiritu sancto superveniente in virginem Mariam, Christi corpus fabricavit, quo ille usus templo, sine viri natus est semine.

XXXII. Ex quibus ostenditur esse Spiritum sanctum creatorem, ut jam in Dogmatum volumine breviter ostendimus. Et in Psalmo ad Dominum dicitur : « Auferes ab » eis Spiritum tuum et deficient, et in terram suam rever-» tentur. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis » faciem terræ [4]. » Nec mirum si dominici tantum corporis Spiritus sanctus conditor sit, cum Patri Filioque sociatus, eadem potestate creaverit omnia quæ Pater creavit et Filius. « Emitte enim, ait, Spiritum tuum, et creabuntur. » Porro jam frequenter ostendimus ejusdem operationis esse Spiritum sanctum, cujus est Pater et Filius, et in eadem operatione unam esse substantiam, et reciproce eorum quæ ὁμοούσια sunt, operationem quoque non esse diversam. Ut autem et aliud quoque testimonium quod nos possit adjuvare in fide Spiritus sancti ponamus, in Evangelio ita sermo contexitur : « Adhuc multa habeo vobis dicere : sed » non potestis ea portare modo. Cum autem venerit ille » Spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem. Neque » enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet lo-» quetur, et quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me » clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis,

[1] 1 Cor. II, 4. — [2] Act. I, 8. — [3] Luc. I, 35. — [4] Psal. CIII, 29, 30.

» Omnia quæ habet Pater, mea sunt. Propterea dixi vobis : » quia de meo accipiet et annuntiabit vobis [1]. »

XXXIII. Ex his enim sacramentorum verbis edocemur, quod cum multa docuisset Discipulos suos Jesus, dixerit : « Adhuc habeo plurima dicere vobis, » quia verbum istud « Adhuc multa habeo dicere vobis, » non ad novos quoslibet et penitus Dei gratia vacuos dirigitur, sed ad eos qui auditores verborum ejus, necdum fuerant omnia consecuti. Quæcumque enim sufficere poterant, tradens eis, in futurum tempus reliqua distulit, quæ sine disciplina Spiritus sancti scire non poterant, quia ante adventum dominicæ passionis non erat datus hominibus Spiritus sanctus, Evangelista dicente : « Non enim erat cuiquam Spiritus » datus, quia Jesus necdum erat glorificatus [2]. » Glorificari dicens Jesum, mortem gustare pro cunctis. Itaque post resurrectionem apparens Discipulis suis, et insufflans in faciem eorum : « Accipite, inquit, Spiritum » sanctum [3]. » Et rursum : « Accipietis virtutem Spiritus » sancti venientis super vos [4]. » Quo veniente in corda credentium, impletur sermonibus sapientiæ et scientiæ, et sic spirituales effecti, suscipiunt Spiritus sancti disciplinam, quæ possit eos deducere in omnem veritatem. Necdum enim instante hora, in qua oportebat eos Spiritu sancto repleri, tunc quando dixit ad eos, « Adhuc multa habeo vobis » dicere,» consequenter addidit, « Sed non potestis ea portare » modo. » Adhuc enim typo legis, et umbræ, et imaginibus servientes, non poterant veritatem, cujus umbram lex portabat, inspicere, unde nec spiritualia sustinere. « Cum au- » tem, ait, venerit ille, hoc est, Paracletus Spiritus veritatis, » diriget vos in omnem veritatem, » sua doctrina et institutione vos transferens a morte litteræ ad Spiritum vivificantem, in quo solo omnis Scripturæ veritas posita est. Ipse

[1] Joan. xvi, 12-15. — [2] Id. vii, 39. — [3] Id. xx, 22. — [4] Act. i, 8.

ergo Spiritus veritatis, ingrediens puram et simplicem mentem, signabit in vobis scientiam veritatis, et semper nova veteribus adjungens, diriget vos in omnem veritatem.

XXXIV. Ad Deum quoque Patrem quidam allegans preces, loquitur : « Dirige me in veritate tua[1], » hoc est, in Unigenito tuo, propria voce testante : « Ego sum veri» tas [2]. » Quam perfectionem tribuit Deus mittens Spiritum veritatis, quia credentes in totam dirigat veritatem. Dehinc in consequentibus de Spiritu veritatis, qui a Patre mittatur, et sit Paracletus, Salvator, qui et veritas, ait : « Non enim loquetur a semetipso, » hoc est, non sine me, et sine meo et Patris arbitrio, quia inseparabilis a mea et Patris est voluntate. Quia non ex se est, sed ex Patre et me est, hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a Patre et me illi est. Ego veritatem loquor, id est, inspiro quæ loquitur. Siquidem Spiritus veritatis est. Dicere autem et loqui in Trinitate, non secundum consuetudinem nostram, qua ad nos invicem sermocinamur et loquimur, accipiendum, sed juxta formam incorporalium naturarum, et maxime Trinitatis, quæ voluntatem suam inserit in corde credentium, et eorum qui eam audire sunt digni, hoc est, dicere et loqui.

XXXV. Nos quippe homines quando de aliqua re ad alterum loquimur, primum quod volumus, mente concipimus absque sermone. Inde in alterius sensum volentes transferre, linguæ organum commovemus, et quasi quoddam plectrum chordis dentium collidentes, vocalem sonum emittimus. Quomodo igitur nos linguam, quam palato dentibusque collidimus, et ictum aërem in diversa temperamus eloquia, ut nobis nota communicemus in alios, ita et auditorem necesse est patulas præbere aures, et nullo vitio coarctatas, in ea quæ dicuntur arrigere, ut possit ita scire

[1] Psal. xxiv, 5. — [2] Joan. xiv, 6.

quæ proferuntur, quomodo novit ea ille qui loquitur. Porro Deus simplex et incompositæ spiritualisque naturæ, neque aures, neque organa, quibus vox emittitur, habet, sed solitaria incomprehensibilisque substantia nullis membris partibusque componitur. Quæ quidem de Filio et de Spiritu sancto similiter accipienda.

XXXVI. Si quando ergo legimus in Scripturis : « Dixit » Dominus Domino meo [1]. » Et alibi : « Dixit Deus : Fiat » lux [2], » et si qua his similia, digne Deo accipere debemus. Neque enim ignorante Filio, qui sapientia et veritas est, Pater suam nuntiat voluntatem, cum omne quod loquitur, sapiens verusque subsistens, in sapientia habeat et in substantia. Loqui ergo Patrem et audire Filium, vel e contrario, Filio loquente, audire Patrem, ejusdem naturæ in Patre et Filio consensusque significatio est. Spiritus quoque sanctus, qui est Spiritus veritatis, Spiritusque sapientiæ, non potest Filio loquente audire quæ nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur a Filio, id est, procedens a veritate, consolator manans de consolatore, Deus de Deo, Spiritus veritatis procedens. Denique ne quis illum a Patris et Filii voluntate et societate discerneret, scriptum est : « Non enim a semetipso loquetur, sed sicut audiet » loquetur [3]. » Cui etiam simile de ipso Salvator ait : « Si- » cut audio et judico [4]. » Et alibi : « Non potest Filius a se fa- » cere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem [5]. » Si enim unus est Patri Filius, non juxta Sabellii dictum Patrem et Filium confundentis, sed juxta indiscretionem essentiæ sive substantiæ, non potest quidquam absque Patre facere, quia separatorum diversa sunt opera, sed videns operantem Patrem, et ipse operatur, non secundo gradu, et post illum operans. Alia quippe Patris, alia Filii opera esse inciperent, si non æqualiter fierent. Scriptum est

[1] Psal. cix, 1. — [2] Gen. 1, 3. — [3] Joan. xvi, 13. — [4] Id. v, 30. — [5] Ibid. 19.

autem : « Quæ enim ille facit, haud dubium quin Pater, » hæc eadem Filius similiter facit. » Quod si operante Patre et Filio, non juxta ordinem primi et secundi, sed juxta idem tempus operandi eadem et indissimilia, subsistunt universa quæ fiunt et Filius non potest a semetipso quidquam facere, quia a Patre non potest separari, sic et Spiritus sanctus nequaquam separatus a Filio, propter voluntatis naturæque consortium, non a semetipso creditur loqui, sed juxta verbum et veritatem Dei loquitur universa quæ loquitur. Hanc opinionem sequentia Domini verba confirmant, dicentis : « Ille me clarificabit, id est, Paracletus, » quia de meo accipiet. » Rursum hic, accipere, ut divinæ naturæ conveniat intelligendum.

XXXVII. Quomodo ergo Filius dans, non privatur his quæ tribuit, neque cum damno suo impertit aliis, sic et Spiritus non accipit quod ante non habuit. Si enim quod prius non habebat accepit, translato in alium munere, vacuus largitor effectus est, cessans habere quod tribuit. Quomodo igitur supra de naturis incorporalibus disputantes intelleximus, sic nunc et Spiritum sanctum a Filio accipere, id quod suæ naturæ fuerat cognoscendum est, et non dantem et accipientem, sed unam significare substantiam. Siquidem et Filius eadem a Patre accipere dicitur, quibus ipse subsistit. Neque enim quid aliud est Filius, exceptis his quæ ei dantur a Patre, neque alia substantia est Spiritus sancti præter id quod datur ei a Filio. Propterea autem ista dicuntur, ut eamdem in Trinitate credamus esse naturam Spiritus sancti quæ est Patris et Filii.

XXXVIII. Quia ergo omnis humana vox nihil potest aliud judicare quam corpora, et Trinitas, de qua nunc nobis sermo est, omnes materiales substantias superat, idcirco nullum verbum potest ei proprie coaptari, et ejus significare substantiam, sed omne quod loquimur, καταχρηστικῶς, id

est, abusive est, et de incorporalibus cunctis, et maxime cum de Trinitate loquimur. Glorificat itaque Filium Spiritus sanctus, ostendens illum et in apertum proferens his qui mundo corde eum intelligere et videre sunt digni, et splendorem substantiæ et imaginem invisibilis Dei scire. Rursum imago ipsa ostendens se puris mentibus, glorificat Patrem, insinuans eum nescientibus ; ipse enim ait : « Qui » videt me, videt et Patrem [1]. » Pater quoque revelans Filium his qui ad calcem scientiæ pervenire meruerunt, glorificat Unigenitum suum, ostendens ejus magnificentiam atque virtutem. Sed et ipse Filius tribuens Spiritum sanctum his qui se dignos ejus munere præparaverunt, et pandens sublimitatem glorificationis et magnitudinis ejus virtutem, glorificat illum. Deinde interpretationem inferens cum modo dixisset : « De meo accipiet ; » protinus subjecit : « Omnia quæ habet Pater, mea sunt, propterea dixi : De » meo accipiet et annuntiabit vobis [2], » quodam modo loquens : Licet a Patre procedat Spiritus veritatis, et det illi Deus Spiritum sanctum petentibus se, tamen quia omnia, quæ habet Pater, mea sunt, et ipse Spiritus Patris meus est, et de meo accipiet. Cave autem, cum ista dicuntur, ne grave labaris intelligentiæ in vitium, et putes rem aliquam esse, et possessionem, quæ a Patre habeatur ac Filio. Verum quæ habet Pater juxta substantiam, id est, æternitatem, immutabilitatem, incorruptionem, immutabilem bonitatem, de se et in se subsistentem, hæc eadem habet et Filius. Et, ut plus inferam, quidquid Filius ipse subsistit, et quæcumque sunt Filii, hæc eadem et Pater habet. Procul hinc absint dialecticorum tendiculæ, et sophismata a veritate pellantur, quæ occasionem impietatis ex pia prædicatione capientia, dicunt : Ergo et Pater est Filius, et Filius Pater. Si enim dixisset : Omnia quæcumque habet Deus, mea sunt, haberet impietas occa-

[1] Joan. XIV, 9. — [2] Id. XVI, 15.

sionem confingendi, et verisimile videretur esse mendacium. Cum vero dixerit : « Omnia quæ habet Pater, mea » sunt, » Patris nomine se Filium declaravit, paternitatem qui Filius erat, non usurpavit ; quanquam et ipse per adoptionis gratiam, multorum sanctorum sit Pater, secundum illud quod in Psalmis legitur : « Si custodierint filii tui. » Et iterum : « Si dereliquerint filii ejus legem meam[1]. » Sed in hoc sermone sensuque præposito, consequenter ea quæ diximus superius Patris esse, habet et Filius, et quæ Filii sunt, habet et Spiritus sanctus. Ait quippe : « De meo accipiet, propterea et ventura annuntiabit vobis. » Per Spiritum siquidem veritatis, sanctis viris futurorum scientia certa conceditur. Unde et Prophetæ hoc eodem repleti Spiritu, prænuntiabant sensu, et quasi præsentia intuebantur, quæ erant deinceps secutura. Satis hæc abundeque juxta ingenii nostri paupertatem de præsenti Evangelii capitulo dixisse sufficiat. Si quibus autem Dominus revelaverit, et in viciniam veritatis adducti sunt, magisque possunt cernere veritatem, disputationi illorum concedamus meliora, quibus ille suffragatur qui est Spiritus veritatis, et petimus eos qui lecturi sunt ut ignoscant imperitiæ, studioque dent veniam, cupienti totum Deo offerre quod potuit, licet suam non quiverit implere voluntatem.

XXXIX. Proponamus et Apostoli ad Romanos Epistolæ testimonium, quæque nobis in illa videntur præsenti materiæ congruere, ventilemus. « Ut justificatio, inquit, » legis impleatur in vobis. Qui non juxta carnem ambula- » tis, sed secundum Spiritum, qui enim juxta carnem sunt, » ea quæ carnis sunt sapiunt ; qui vero juxta Spiritum, ea quæ » Spiritus sunt sentiunt. Sapientia quippe carnis mors est: » Sapientia autem Spiritus vita et pax. Quoniam sapientia » carnis inimica est Deo ; legi quippe Dei non subjicitur, ne

[1] Psal. CXXXI, 12. Id. LXXXVIII, 31.

» que enim potest. Qui vero in carne sunt, Deo placere » non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in Spi- » ritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem » Spiritum Christi non habet, hic non est ejus. Si autem » Christus est in vobis, corpus quidem mortuum est prop- » ter peccatum, Spiritus vero vivit propter justitiam. Si » autem Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat » in vobis, qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivi- » ficabit et mortalia corpora vestra propter inhabitantem Spi- » ritum ejus in vobis. Ergo, fratres, debitores sumus non carni, » ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem » vixeritis, moriemini. Si autem Spiritu facta carnis mor- » tificaveritis, vivetis. Quicumque enim Spiritu Dei agun- » tur, hi filii sunt Dei. Non enim accepistis Spiritum servitutis » iterum in timore; sed accepistis Spiritum adoptionis, in quo » clamamus : Abba, Pater. Ipse enim Spiritus testimonium » perhibet Spiritui nostro, quia sumus filii Dei. Si autem » filii, et hæredes. Hæredes quidem Dei, cohæredes autem » Christi : si tamen compatimur, ut et conglorificemur [1]. »

In præsenti Apostoli capitulo plurima de societate Spiritus, quam habet cum Patre et Filio demonstrantur. Ait quippe Apostolus justificationem divinam et spiritualis legis expleri in his : non qui juxta carnem ambulant, sed juxta Spiritum : juxta carnem ambulantem eum, qui per voluptates et vitia carnis corpori copulatus, facit omnia quæ carnis sunt et corporis opera, apostolicus sermo descripsit. Porro juxta Spiritum ambulantem eum, qui in præceptis legis Dei et Evangelii gradiens, spiritualium sequitur ordinem mandatorum. Siquidem sicut carnalium vitium est ea sapere quæ carnis sunt, ea cogitare quæ corporum : sic e contrario spiritualium virtus est, semper cogitare de cœlestibus et æternis, et his tractare

[1] Rom. VIII, 4-17.

quæ Spiritus sunt. Sed carnis sapientia, illico morte sibi sociata, interficit eos, qui juxta carnem gradiuntur et sapiunt; sapientia vero Spiritus, mentis tranquillitatem, et pacem, et vitam habentibus se largitur æternam. Quam cum possederint, omnes perturbationes et genera vitiorum, et ipsos quoque dæmones, qui hæc suggerere nituntur habebunt sub pedibus suis. Sapientia ergo carnis cum morti juncta sit, inimica est Deo. Inimicos quippe eos reddit, qui suis legibus vixerint : contraria semper et repugnans voluntati et legi Dei. Neque enim fieri potest, ut qui in sapientia carnis est, Dei præcepta custodiat et voluntati illius subjiciatur. Quandiu servimus voluptatibus, servire Deo non possumus. Cum autem titillantem subjecerimus nostris pedibus luxuriam, et totos nos ad Spiritum transferentes, nequaquam fuerimus in carne, id est, in carnis passionibus : tunc subjiciemur Deo. Neque enim de carne hac, in qua vivimus, et in cujus vasculo nostra anima continetur, Apostoli sermo est, quia omnes sancti corpore et carne circumdati placuerunt Deo : sed ad id potius quod contra Dei præceptum ex humana societate perpetratur, de quibus est : « Diliges Dominum Deum » tuum [1]. » Et, « Quod tibi non vis fieri [2], etc. » Vos autem, ait, haud dubium quin discipuli Christi, qui sapientiam Spiritus suscepistis et vitam et pacem non estis in carne, id est, in carnis operibus, neque ejus opera perpetratis : siquidem Spiritum Dei habetis in vobis. Idem autem Spiritus Dei et Spiritus Christi est, deducens et copulans eum qui in se habuerit, Domino Jesu Christo. Unde et in consequentibus scribitur : « Si quis autem Spiritum Christi non » habet, hic non est ejus. »

XL. Rursum in præsenti discimus societatem quam habet Spiritus sanctus ad Deum et ad Deum et ad Christum.

[1] Deut. VI, 5. — [2] Tob. IV, 16.

Sed et in Epistola Petri, Spiritus sanctus esse Christi Spiritus comprobatur : « Scrutantes, inquit, et inquirentes, id » est, Prophetæ, de quibus ei fuerat sermo superior, in » quod, et quale tempus significabat is, qui eis in erat Spiritus » Christi : testificans in Christo passiones, et ea quæ post » erant secutura decreta, in quibus revelatum est : quia » non sibi, sed nobis ministrabant ea quæ nunc annuntiata » sunt vobis per Spiritum sanctum [1]. » Iste autem Spiritus sanctus dictus est, et Spiritus Dei, non in præsenti tantum sermone, sed et in aliis locis compluribus, ut ibi : « Ea » quæ Dei sunt, nemo novit nisi Spiritus Dei [2]. » Deinde sequitur post hoc quod ait : « Si quis autem Spiritum Dei » non habet, hic non est ejus [3] : » et infertur : « Si autem » Christus in vobis, » et manifestissime demonstratur inseparabilem esse Spiritum sanctum a Christo : quia ubicumque Spiritus sanctus fuerit, ibi et Christus est, et undecumque Christi Spiritus discesserit, inde pariter recedit et Christus. « Si quis enim Spiritum Christi non habet, hic » non est ejus. » Cui conjuncto si quis contrarium assumat, dicere potest : « Si quis Christi est, ita ut Christus in » eo sit, in hoc Spiritus Dei est. » Hoc autem idem et de Deo Patre similiter usurpandum. Si quis Spiritum Dei non habet, iste non est ejus. Cui rursum contrarium si quis assumat, dicens : Si quis Dei est, in hoc Spiritus Dei est. Unde scribitur : « Nescitis quia templum Dei estis, et in » vobis habitat Spiritus Dei [4] ? » Et in Joannis Epistola : « In hoc » cognoscitur Deus habitans in quibusdam, cum manserit in » eis Spiritus quem dedit [5]. » Ex quibus omnibus indissociabilis atque indiscreta Trinitatis substantia demonstratur.

LXI. Cum ergo ait : « Si Christus in vobis est, corpus » quidem mortuum propter peccatum [6], » nequaquam

[1] 1 Petr. I, 11, 12. — [2] 1 Cor. II, 2. — [3] Rom. VIII, 9, 10. — [4] 1 Cor. III, 1. — [5] 1 Joan. IV, 13. — [6] Rom. VIII, 10.

vitiis lasciviæque deserviens, sed mortificatum peccato, non commovetur ad vitia : et nequaquam erit vitale peccato. Post quam autem corpus peccato mortuum fuerit, Christus in his qui sua corpora mortificaverunt, præsens Spiritum vitæ ostendit per justitiam, sive correctionem operum virtutum immortalium, sive fidem Jesu Christi, in his qui juxta fidem illius conversantur. Deinde Apostolus alio syllogismo conjuncto utitur, quod significantius dialectici ἀξίωμα vocant, et ait : « Si autem Spiritus ejus qui » suscitavit Christum a mortuis, habitat in vobis, qui sus» citavit Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora » vestra per inhabitantem Spiritum suum in vobis [1]. » Nonne tibi videtur dicere, quia si Spiritus ejus qui suscitavit Christum Jesum, id est, qui ejusdem Jesu Christi Spiritus est, habitat in vobis : consequenter vivificabuntur et mortalia corpora vestra cum immortalibus animabus ab eo qui suscitavit Christum Jesum a mortuis, principem et primogenitum resurrectionis ? Et quibus tale tantumque divinitus per Spiritum munus indultum est, debitores sumus Spiritui, non carni, ut juxta eam vivamus. Siquidem qui juxta carnem vixerit, morietur illa morte quæ peccatum sequitur : « Peccatum quippe cum consummatum fuerit, » generat mortem [2], » secundum Jacobum. Sed et Ezechiel peccantem animam mori scribit [3] : Separatur enim jam a vita quæ in sapientia Spiritus collocata est.

XLII. Si quis autem transcenderit vitam carnis, et Spiritu opera carnis mortificaverit : vivet beata æternaque vita, relatus in filios Dei, et directus in viam rectam propter Spiritum sanctum, qui et Dei Spiritus appellatur. « Si » enim, inquit, juxta carnem vixeritis, moriemini. Quod si » spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. » Et in consequentibus : « Quotquot enim Spiritu Dei aguntur, hi filii

[1] Rom. VIII, 11. — [2] Jacob. I, 15. — [3] Ezech. XVIII, 20.

» Dei [1]. » Rursum refocillans eos, et consolans et provocans sperare meliora, quibus loquebatur, ait : « Non enim ac- » cepistis iterum spiritum servitutis in timore [2] : » id est, non similitudine servorum, metu et terrore pœnarum vos abstinetis a vitiis, quia habetis vobis datum a Patre Spiritum adoptionis, id est, Spiritum sanctum, qui ipse Spiritus, et Dei, et Christi, et veritatis dicitur atque sapientiæ. Si autem spiritus iste adoptat in filios Dei eos, quorum dignatione sui habitator efficitur, tibi consequentium super potentia ejus intelligentiam derelinquo.

XLIII. Porro in hoc adoptionis Spiritu clamant qui habuerint illum, Patrem Deum, sicut ostendit sermo, dicens : « In quo clamamus : Abba, Pater [3] : » ipso Spiritu qui nos adoptat in filios, testimonium præbente participatione sui, quod a nostro Spiritu possidetur, quia filii Dei sumus. Cui consequens est Deum quidem quasi patrem, hæreditarias nobis divitias contulisse, spiritualia dona : Christi vero cohæredes nos esse, eo quod fratres ejus per gratiam et benignitatem ipsius appellamur. Erimus autem hæredes Dei, cohæredes autem Christi, si compatiamur, ut et conglorificari ei ex passionum societate mereamur.

XLIV. Verum quia et hoc juxta id quod potuimus edissertum est, proponamus Prophetæ capitulum, quædam de Spiritu sancto continens, ut non solum de Novo, verumetiam de Veteri Testamento super ejus fide intellectuque doceamur. Nam et superius prælocuti sumus, in omnibus sanctis, tam his qui post adventum Domini nostri fuerunt, quam etiam retro, in Patriarchis videlicet et Prophetis, Spiritus sancti gratiam fuisse versatam, et eos diversis charismatibus virtutibusque complesse. Quomodo enim unius Dei et Unigeniti ejus gratiam possidentes, tam hi qui ante, quam etiam illi qui post adventum ejus, justitiæ

[1] Rom. VIII, 15, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid.

erexere vexillum, veritatis sunt scientiam consecuti : sic et Spiritus sancti gratiam possidebunt, quia inseparabilem a Patre et Filio esse Spiritum sanctum in multis supra locis ostendimus. Scriptum est ergo in Propheta : « Misericordiæ Domini recordatus sum, et virtutis ejus in » omnibus quæ retribuit nobis. Dominus judex bonus do- » mui Israël : inferens nobis juxta misericordiam suam, et » juxta multitudinem justitiæ suæ. Et dixit : Nonne populus » meus, filii ? et non prævaricabuntur. Et factus est illis in » salutem ex omni tribulatione eorum. Non legatus, neque » Angelus, sed ipse salvavit eos, eo quod dilexit eos, et » pepercerit eis. Ipse redemit eos et suscepit eos, et exal- » tavit eos in omnibus diebus sæculi. Ipsi vero non credide- » runt et irritaverunt Spiritum sanctum ejus, et conversus » est eis ad inimicitiam. Ipse debellavit eos, et recordatus » est dierum antiquorum. Qui eduxit de terra pastorem » ovium, qui posuit in eis Spiritum sanctum, congregans » dextera Moysen [1]. »

XLV. Qui frequenter Dei adepti sunt beneficia, scientes gratia magis et misericordia ejus, quam propriis ex se fuisse operibus consecutos, quasi uno omnes consensu et animo concordantes loquuntur, « Misericordiæ Domini re- » cordatus sum. » Cogitantes enim quæ ab eo frequenter in Moyse dona susceperint, gratias referunt, et cum misericordia, etiam virtutum Domini recordantur, sive mirabilium, quæ crebro pro eis fecit in populis, sive profectuum animæ, quibus per legem, et Prophetas, et præcepta ejus salubria eruditi sunt. Siquidem in Scripturis nomen virtutis utrumque significat. Recordari autem se misericordiæ et virtutum, ejus inquiunt, in omnibus quæ retribuit eis, non juxta justitiam suam, sed juxta misericordiam et bonitatem ejus, qui est judex domui videnti, et sensui mundo

[1] Isaï. LXIII, 7-12. juxta LXX.

corde cernenti Dominum. Hoc siquidem ex hebræo sermone in lingua nostra interpretatur « Israël, id est, mens videns Deum. » Licet enim tormenta et cruciatus judex nonnunquam inferat judicium merentibus ; tamen qui causas rerum altius intuetur, videns propositum bonitatis ejus, qui cupit corrigere peccantem, bonum illum confitetur, dicens : « Inferens nobis juxta misericordiam suam. » Si enim iniquitates eorum quod judicat attendat Dominus, quis sustinebit? Porro quia apud Dominum propitiatio est. Dominus videlicet noster atque Salvator, infert nobis secundum misericordiam suam omnia quæ nos provehant ad salutem. Inferens quoque juxta misericordiam suam, et hoc faciens in judicio, cum justitia nobis tribuit, quæ admixta misericordiæ bonitate largitus est.

XLVI. Arguendus est ex præsenti capitulo (25) hæreticorum error, qui bonitatem a justitia separantes, alium Deum bonum, alium justum finxerunt. Ecce enim in præsentiarum ipse est Deus et bonus, et judex, et juxta misericordiam suam justitiamque restituens, et pariter bonus justusque subsistens. Frustra igitur iniquum dogma simulantes, bonum Deum Evangelii et Veteris Testamenti justum esse defendunt, quia et in plurimis aliis locis, et nunc in Prophetæ sermone, « Judex bonus » scribitur Deus, et e contrario quod nolunt, in Pauli apostoli Epistola (qui certe Novi Testamenti prædicator est) Deus justus judex refertur. « Reposita est mihi, inquit, corona justitiæ, quam » reddet mihi Dominus in illa die justus judex [1]. Idem est ergo, licet nolint, Novi et Veteris Testamenti Deus, visibilium et invisibilium conditor, Salvatore etiam in Evangelio justum et bonum Patrem liquido attestante : « Pater » juste, mundus te non cognovit [2]. » Et in alio loco : « Nemo » bonus nisi unus Deus [3]. » Sed et in veteri lege alibi jus-

[1] 2 Tim. IV, 8. — [2] Joan. XVII, 25. — [3] Marc. X, 18.

tus, alibi bonus dicitur Deus. In Psalmis : « Justus Domi- » nus, inquit, et justitias dilexit [1] : » Et e contrario in Jeremia : « Bonus Dominus his qui sustinent eum [2]. » Rursus in Psalmis. « Quam bonus Deus Israël, his qui recto sunt » corde [3]. » Et hæc quidem e latere contra hæreticos strictim dicta sunt. Tempus autem est, ut propositum Prophetæ ordinem prosequamur, qui ita contexitur : « Et dixit, » haud dubium quin Dominus : « Nonne populus meus, filii? nec » prævaricabuntur [4]? » Non erant, inquit, similes his qui generati sunt et exaltati, et eum qui genuit illos, despexere. « Et factus est eis in salutem, » id est, illis de quibus Dominus ait : « Nonne populus meus, filii ? et « non prævaricabuntur. » Hoc enim ipsum quod non prævaricati sunt, nec spreverunt Patrem, eis factus est in salutem : vel ob idipsum quod appellati sunt filii, causa eis salutis effectus est. Quæ salus a Christo Domino contributa, Angeli quoque ad pastores voce firmatur, dicentis : « Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni » populo : quia natus est vobis hodie Salvator, qui est » Christus Dominus, in civitate David [5]. » Ipse factus est cunctis, qui in eum credunt, occasio salutis æternæ, et ipse est Salvator mundi, qui venit quærere quod perierat. Et ipse est, de quo chorus sanctorum canit : « Deus noster, » Deus salvandi [6]. »

XLVII. Quia igitur Deus erat, qui salutem præbebat æternam, dictum est : « Non legatus, neque Angelus, » id » est, non Propheta, non Patriarcha, non legislator Moyses salvavit eos. Omnes enim, quos nominavi, poterant ad Dominum fungi legatione pro populo. Denique Moyses interpellans eum pro delinquente plebe, ait : « Si dimittis eis » peccatum eorum, dimitte [7]. Sed obsecravit veniam quadraginta diebus jejunans, et misericordiam Dei, animæ

[1] Psal. x, 18. — [2] Thren. III, 25. — [3] Psal. LXXII, 1. — [4] Isaï. LIII, 8. juxta LXX. — [5] Luc. II, 10, 11. — [6] Psal. LXVII, 21. — [7] Exod. XXII, 31.

afflictione provocans. Nemo autem de horum numero legatorum potest esse salvator, indigens et ipse eo, qui salutis largitor verus est. Nam et Angeli quanquam spiritus sint, et ad diversa propter eos, qui salutem accepturi sunt, ministeria mittantur, non sunt tamen auctores salutis, sed eum qui fons salutis est, interpretantur et nuntiant. Unde dictum est : « Non legatus, neque Angelus, sed ipse » Dominus salvavit eos. » Non propter aliud quid, sed propter id, « Quod diligeret eos et parceret eis. » Parcere autem dicitur, quasi creaturis suis, juxta illud quod alibi scribitur : « Parces autem omnibus, Domine amator anima» rum, quia tuæ sunt : neque enim odies quos fecisti [1]. » Quapropter et pro eorum salute proprio Filio non parcens Pater, tradidit eum in mortem, ut per mortem Filii sui destructo eo qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolo, redimeret omnes qui ab eo captivitatis vinculo tenebantur. Unde subjicitur : « Ipse autem redemit eos, et susce» pit eos, et exaltavit illos. » Suscipit enim exaltatque salvatos, et redemptos in sublime tollit virtutum alis, et eruditione et scientia veritatis, non ad unum tantum et alterum diem, sed in omnibus diebus æternitatis habitans in eis et cum eis, et usque ad consummationem sæculi vitam eis tribuens, salutisque auctor existens. Omnibus autem diebus sæculi illuminans corda eorum, non sinit eos in tenebris ignorantiæ et errore versari. Et hoc puto esse quod scriptum est, « In omnibus diebus » exaltari eos.

XLVIII. Quia vero mutabiles et ad vitia sponte labentes, post tanta beneficia Deo fuerunt increduli, et præcepta illius reliquerunt, et exacerbaverunt Spiritum sanctum Dei, qui eis multa bona largitus est, in peccatum simile corruerunt, his qui post quam geniti sunt et exaltati, spreverunt patrem suum. Vel certe nunc ipsi describuntur, qui et

[1] Sap. XI, 25, 27.

ante descripti sunt : siquidem et ibi post peccatum dicitur ad eos : « Dereliquistis Dominum, et ad iracundiam » concitastis Sanctum Israël, et nunc quod ipsi non credi- » derunt et exacerbaverunt Spiritum sanctum ejus. » Ex præsenti ergo loco societas Spiritus ad Dominum ostenditur. Qui dereliquit Dominum, et est incredulus, et ad iracundiam provocat Sanctum Israël, et exacerbat Spiritum sanctum ejus. Eadem indignatio super peccatoribus tam ad Spiritum sanctum, quam ad sanctum Israël refertur. Unde et in consequentibus similis copula Trinitatis ostenditur, dicente Scriptura Dominum ad inimicitias esse conversum his qui exacerbaverunt Spiritum sanctum ejus, et tradidisse eos sempiterno cruciatui, post quam non sermone, sed rebus in sanctum ejus Spiritum blasphemaverunt. « Ipse igitur, qui eis conversus est ad inimicitias, debella- » vit eos », et subjecit multiplicibus, longisque cruciatibus, ut nec in præsenti tempore, nec in futuro consequantur veniam peccatorum. Exacerbaverunt enim Spiritum sanctum ejus, et blasphemaverunt in illum.

XLIX. Si autem volueris hoc de Judæis intelligere, qui crucifixerunt Dominum Salvatorem, et idcirco exacerbaverunt Spiritum sanctum, id quod scriptum est, « Ipse » debellavit eos, » ad illam est intelligentiam referendum, quod Romanis traditi sunt, quando venit super eos ira Dei in finem. In universo enim orbe cunctisque regionibus soli exules patriæ, in terra vagantur aliena, non urbem antiquam, non sedes proprias possidentes, id quod Prophetis et Salvatori suo fecerunt, receperunt. Quia enim sanguinarii et vesano semper furore capti, non solum Prophetas occiderunt, lapidaveruntque eos, qui ad se missi fuerant, sed ad impietatis culmen egressi, Dominum Salvatorem, qui pro cunctorum salute descendere dignatus fuerat ad terras, prodiderunt, et crucifixerunt; propterea

expulsi sunt urbe, quam Prophetarum et Christi cruore maculaverunt. Secundum igitur hunc sensum debellatos eos a Domino intelligere debemus, non ad breve tempus, sed ad omne futurum sæculum usque ad consummationem mundi. Quippe (ut diximus) profugi atque captivi, in universis aberrant nationibus, non urbem, non regionem propriam possidentes. Attamen quia naturaliter benignus est et misericors is qui eos debellaverat, tribuit eis locum pœnitentiæ, si velint ad meliora converti. Unde et dicitur : « Recordatus est dierum sæculi. » Recordatus enim temporum futurorum, clausam januam aliqua eis ex parte reseravit, ut post quam intraverit plenitudo gentium, tunc omnis Israël (qui hac fuerit dignus appellatione) salvetur. Licet enim in id temeritatis eruperint, ut eum qui propter eos missus fuerat, interficerent, dicentes : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros[1] : » tamen Deus suscitavit eum de terra, in cujus corde tribus diebus et tribus noctibus fuerat commoratus, pastorem ovium suarum. Siquidem ita contexitur : « Qui eduxit de terra » pastorem ovium suarum[2]. »

L. Quod vero pastor ovium Deus, qui nunc prophetali sermone describitur, Dominus sit, manifestius in Evangelio discimus, ipso Salvatore testante : « Ego sum pastor bo» nus, et animam meam pono pro ovibus meis[3]. Et iterum : » Oves meæ vocem meam audiunt[4]. » Post hæc omnia Prophetes ait : « Ubi est qui posuit super eos Spiritum sanctum[5] ? » Admiratur quippe de quanta felicitate ad quantas miserias pervenerint. Et quodam modo loquitur? Qui eos redemerat, qui posuerat in illis Spiritum sanctum suum, habitans cum eis, ubi nunc est? quo abiit? Dereliquit eos, quia ipsi prius dereliquerunt, et ad iracundiam provocaverunt Sanctum Israël. Posuerat autem dudum in eis Spiritum

[1] Matth. XXVII, 25. — [2] Isaï. LXIII, 11. juxta LXX. — [3] Joan. X, 14, 15. — [4] Ibid. 27. — [5] Isaï. LXIII, 11. juxta LXX.

sanctum Deus, cum adhuc boni essent, et præceptis ejus obsequi niterentur. His enim tantummodo Spiritus sanctus inseritur, qui, vitiis derelictis, virtutum sectantur chorum, et juxta eas, et per eas in fide Christi victitant. Quod si paulatim negligentia subrepente, cœperint ad pejora confluere, concitant adversum se habitatorem suum Spiritum sanctum : et eum, qui illum dederat, convertunt ad inimicitias. Huic quid simile et Apostolus ad Thessalonicenses scribens, ait : « Neque enim vocavit nos » Deus ad immunditiam, sed ad sanctificationem[1]. »

LI. Itaque qui spernit, sive quod melius habetur in græco, « Qui prævaricatur, » non hominem prævaricabitur, sed Deum, qui dedit Spiritum sanctum suum in vobis. Nam in his sermonibus Deus vocans per fidem in sanctificationem, id est, ut sancti Spiritus fierent credentes, dedit eis Spiritum sanctum. Et quandiu præcepta Dei servaverunt, permansit in eis Spiritus sanctus, quem acceperunt. Quando vero amore lubrico corruerunt, et ad immunditiam sunt delapsi, spreverunt, sive prævaricati sunt Dominum, qui dederat eis Spiritum sanctum, ut non immunditiæ deservirent, sed ut sanctificarentur. Unde pœnas luent qui ista commiserunt, non quasi hominem, sed quasi Deum spernentes. Et ut sciamus Dominum esse Spiritum sanctum, qui datur credentibus, ex ipsis prophetæ Esaïæ discamus eloquio, qui inducit ad quempiam dicentem Dominum : « Spiritus meus in te est, et verba mea dedi in os » tuum[2]. » Ostenditur enim ex sermone præsenti, quod qui acceperit Spiritum Dei, simul cum eo et verba Dei possideat, sermones videlicet scientiæ et sapientiæ. Necnon et in alio loco ejusdem Prophetæ Deus loquitur : « Dedi Spi» ritum meum super eum[3]. » Qui ergo posuit in eis Spiritum sanctum, Moysen dextera sua sanctificatum esse com-

[1] 1 Thes. IV, 7. — [2] Isaï. LIX, 21. — [3] Id. XLII, 1.

memorat, sive illum illustrem virum et mysteriorum Dei initiatorem, de quo ad Jesum filium Nave Dominus ait : « Moyses famulus meus[1] : » sive legem suam, quæ in veteri scripta est instrumento. Nam crebro legisse me memini Moysen appellatum esse pro lege, ut in Apostolo : « Usque in hodiernum diem, quando legitur Moyses[2]. » Et Abraham ad divitem in suppliciis constitutum : « Habent inquit, Moysen et Prophetas[3]. » Et certe liquido comprobatur ibi Moysen, non supradictum virum significatum esse, sed legem.

LII. Porro quæ est dextera Dei, quæ adduxit Moysen, nisi Dominus et Salvator noster? Ipse est enim dextera Patris, per quem salvat, et exaltat et facit virtutem, sicut alibi de Deo dicitur : « Salvavit sibi dextera sua, et brachium sanctum ejus[4]. » Et rursum : « Dextera Domini » fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Non moriar, » sed vivam, et narrabo opera Domini[5]. » Et certe vocem hanc ex persona Dominici hominis proferri, quem unigenitus Filius Dei assumere dignatus est ex Virgine, ex ipso loco manifestissime comprobatur, quia ipse est dextera Dei, sicut scriptum est in Actibus Apostolorum, quod factus sit ex semine David secundum carnem, genitus de Virgine, superveniente in eam Spiritu sancto, et virtute Excelsi obumbrante eam. De quo David prophetavit in Spiritu, quod a mortuis resurgens, assumptus sit in cœlos, dextera Dei sublevatus. Scribitur ibi autem in hunc modum : « Prævidens idem David locutus est de resurrec- » tione Christi, quoniam non est derelictus in inferno, ne- » que caro ejus vidit corruptionem. Hunc Jesum suscitavit » Deus, cui nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei » elevatus, et repromissionem Spiritus sancti accipiens a

[1] Josuë. I, 2. — [2] 2 Cor. III, 14. — [3] Luc. XVI, 29. — [4] Psal. XCVII, 1. — [5] Id. CXVII, 16, 17.

» Patre, effudit hoc donum in nobis, quod vos videtis et au-» ditis. Neque enim David ascendit in cœlos[1]. » Nulli quippe dubium exaltatum dextera Dei, et ab inferis resurgentem esse Dominum Jesum, sicut ipse Scripturæ sermone testatus est. Iste ergo qui resurrexit a mortuis dicit : « Ego dormivi et somnum cepi, et resurrexi, quia Domi-» nus suscitavit me[2]. »

LIII. Ipse ergo sermone Dei assumptus in cœlum, elevatus esse ab ea, de qua supra diximus, dextera Dei prædicatur, et accepisse repromissiones Spiritus sancti a Patre, et effudisse illum in credentes, ita ut omnium linguis loquerentur magnalia Dei. Nam et Dominicus homo accepit communicationem Spiritus sancti, sicut in Evangeliis scribitur : « Jesus ergo repletus Spiritu sancto, re-» gressus est a Jordane. » Et in alio loco : « Reversus est » Jesus in virtute Spiritus in Galilæam[3]. » Hæc autem absque ulla calumnia de Dominico homine, qui totus Christus, unus est Jesus Filius Dei, sensu debemus pietatis accipere, non quod alter et alter sit, sed quod de uno atque eodem, quasi de altero secundum naturam Dei et hominis disputetur, et quia Deus Verbum unigenitus Filius Dei, neque immutationem recipit, nec augmentum. Siquidem ipse est bonorum omnium plenitudo.

LIV. Satis abundeque de Prophetæ testimonio disputatum est, nunc ad reliqua pergamus, ut quomodo scimus quod Pater et Filius sanctos et bonos sui communicatione perficiunt, sic sanctus quoque Spiritus participatione sui, bonos efficiat sanctosque credentes : et ex hoc etiam unius cum Patre et Filio substantiæ esse doceatur. Dicitur in Psalmis ad Dominum : « Spiritus tuus bonus » deducet me in terram rectam[4]. » Scimus autem in quibusdam exemplaribus scriptum esse : « Spiritus sanctus

[1] Act. II, 31-34. — [2] Psal. III, 6. — [3] Luc. IV, 14. — [4] Psal. CXLII, 10.

» tuus. » Porro in Esdra absque ulla ambiguitate bonus Spiritus appellatur : « Spiritum tuum bonum dedisti, ut » eos faceres intelligere[1]. » Quod autem Pater sanctificet, Apostolus scribit, dicens : « Deus autem pacis sanctifi- » cet vos perfectos[2]. » Et Salvator ait : « Pater sancte, » sanctifica eos in veritate, quia verbum tuum est veritas[3]. » Perspicue dicens : In me (qui Verbum tuum sum et veritas tua) sanctifica illos fide et consortio mei. Dictus est et alibi bonus Deus : « Nemo bonus, nisi unus Deus[4]. » Superius quoque ostendimus quoniam Filius sanctificet, Paulo in eadem verba congruente : « Etenim qui sanctifi- » cat et qui sanctificantur, ex uno omnes ; » sanctificantem significans Christum, et sanctificatos eos, qui possunt dicere : « Factus est nobis sapientia ex Deo Christus, » et justitia et sanctificatio[5]. » Appellatur siquidem et Spiritus sanctificationis. Unde et ad eum dicitur : « Et » omnes sanctificati sub manibus tuis, et sub te sunt. » Bonus Dominus noster Jesus Christus, et ex bono Patre generatus est, et de eo legimus : « Confitemini Domino » quoniam bonus[6]. » Confiteantur autem illi, qui ab eo aut veniam obsecrant peccatorum, aut gratias referunt ejus clementiæ pro indultis beneficiis. Spiritus quoque sanctus eos, quos dignatur implere, sanctificat, ut superius jam demonstratum est, quando ostendimus eum participabilem et a multis simul capi posse. Et nunc in præsenti Pauli testimonio largitor sanctificationis ostenditur, in eo quod ait : « Debemus autem et nos gratias agere Deo sem- » per pro vobis, fratres dilecti a Domino, quia elegit Deus » vos primitias in salutem, in sanctificatione Spiritus sancti » et fide veritatis[7]. » Nam et in hoc loco charismata Dei

[1] 2 Esdr. IX, 20. — [2] 2 Thess. V, 23. — [3] Joan. XVII, 11, et 17. — [4] Marc. X, 18. — [5] 1 Cor. I, 30. — [6] Psal. CXVIII, 1. — [7] 2 Thess. II, 12.

subintelliguntur in Spiritu, cum in sanctificatione spiritus, fides pariter et veritas possidentur.

LV. Quia ergo recte, et pie, et ut se veritas habet, hæc diximus, sanctificationis, bonitatisque vocabulum, et ad Patrem, et ad Filium, et ad Spiritum sanctum æque refertur, sicut ipsa quoque appellatio Spiritus. Nam et Pater Spiritus dicitur, ut ibi : « Spiritus est Deus[1]. » Et Filius Spiritus, « Dominus, inquit, Spiritus est[2] ?» Spiritus autem sanctus, semper Spiritus sancti appellatione censetur : non quod ex consortio tantum nominis Spiritus cum Patre ponatur et Filio, sed quod una natura, unum possideat et nomen. Quia vero Spiritus vocabulum multa significat, enumerandum est breviter, quibus rebus nomen ejus aptetur. Vocatur Spiritus et ventus, sicut in Ezechiele : « Tertiam autem partem disperges in spiritum, » hoc est, in ventum[3]. » Quod si volueris secundum historiam illud sentire, quod scriptum est : « In spiritu vio» lento conteres naves Tharsis[4], » non aliud ibi spiritus quam ventus accipitur. Necnon Salomon inter multa hoc quoque munus a Deo accepit, ut sciret violentias spirituum : non aliud se in hoc accepisse demonstrans, quam scire rapidos ventorum flatus, et quibus causis eorum natura subsistat. Vocatur et anima spiritus, ut in Jacobi Epistola : « Quomodo corpus tuum sine spiritu mortuum est[5], » et reliqua. Manifestissime enim spiritus hic, nihil aliud nisi anima nuncupatur. Juxta quam intelligentiam et Stephanus animam suam spiritum vocans : « Domine, inquit, » Jesu, suscipe spiritum meum[6]. » Illud quoque quod in Ecclesiaste dicitur : « Quis scit an spiritus hominis ascen» dat sursum, et spiritus jumenti deorsum[7]. » Considerandum utrumnam et pecudum animæ spiritus appellen-

[1] Joan. IV, 24. — [2] 2 Cor. III, 17. — [3] Ezech. V, 2. juxta LXX. — [4] Psal. XLVII, 8. — [5] Jacob. II, 26. — [6] Act. VII, 58. — [7] Eccle. III, 21.

tur. Dicitur etiam excepta anima, et excepto spiritu nostro, spiritus alius quis esse in homine, de quo Paulus scribit : « Quis enim scit hominum ea quæ sunt hominis » nisi spiritus hominis qui in eo est [1] ? » Si enim voluerit contendere quispiam animam hic significari in spiritu, quis erit homo, cujus cogitationes et arcana, et secreta cordis occulta nesciat homo nisi spiritus ejus ? quia de corpore solitario hoc intelligere velle perstultum est.

LVI. Quod si arguta nititur fraude surrepere, de Spiritu sancto hæc scripta contestans, si diligenter verba ipsa consideret, cessabit asserere mendacium. Siquidem ita scriptum est : « Quis enim scit hominum quæ sunt homi- » nis nisi spiritus hominis qui in eo est ? Sic et ea quæ sunt » Dei, nemo scit nisi spiritus Dei. » Quomodo enim alius est homo, alius est Deus : sic et spiritus hominis, qui est in eo, separatur a Spiritu Dei, qui est in eo, quem Spiritum sanctum frequenter ostendimus. Sed et in alio loco idem Apostolus a nostro spiritu, Spiritum Dei secernens, ait : « Ipse Spiritus testimonium perhibet spiritui nostro [2], » hoc significans, quod Spiritus Dei, id est, Spiritus sanctus, testimonium spiritui nostro præbeat, quem nunc diximus esse spiritum hominis. Ad Thessalonicenses quoque, « In- » teger, inquit, spiritus vester et anima et corpus [3]. » Sicut enim alia est anima et corpus aliud : sic et aliud est spiritus ab anima, quæ suo loco specialiter appellatur. De quo et oravit, ut integer cum anima servetur et corpore, quia incredibile est, atque blasphemum, orare Apostolum, ut Spiritus sanctus integer servetur, qui nec imminutionem potest recipere, nec profectum. De humano ergo, ut diximus, spiritu in hoc loco Apostoli sermo testatus est.

LVII. Appellantur quoque supernæ rationabilesque Virtutes, quas solet Scriptura Angelos et Fortitudines nomi-

[1] 1 Cor. II, 11, — [2] Rom. V, 14. — [3] Thess. V, 23.

nare vocabulo Spiritus, ut ibi : « Qui facis Angelos tuos » Spiritus [1]. » Et alibi : « Nonne omnes sunt administrato- » res Spiritus [2] ? » Puto ad hunc sensum et illud referri, quod in Actibus Apostolorum scribitur : « Spiritus Domini » rapuit Philippum, et non amplius eum vidit Eunuchus [3], » id est, Angelus Domini in sublime elevans Philippum, transtulit illum in alium locum. Rationales quoque aliæ creaturæ, et de bono in malum sponte propria profluentes, spiritus pessimi et spiritus appellantur immundi, sicut ibi : « Cum autem spiritus immundus exierit ab homine [4]. » Et in consequentibus : « Assumit septem alios spiritus ne- » quiores se. » Spiritus quoque dæmones in Evangeliis appellantur. Sed et hoc notandum, nunquam simpliciter spiritum, sed cum aliquo additamento spiritum significari contrarium, ut spiritus immundus, et spiritus dæmonis : hi vero qui sancti sunt spiritus, absque ullo additamento spiritus simpliciter appellantur.

LVIII. Sciendum quoque quod nomen spiritus, et voluntatem hominis et animi sententiam sonet. Volens quippe Apostolus virginem non solum opere, sed et mente sanctam esse, id est, non tantum corpore, sed et motu cordis interno, ait : « Ut sit sancta corpore et spiritu [5], » voluntatem spiritus et corpore opera significans. Considera utrum hoc ipsum in Esaïa sonet, quod scriptum est : « Et scient qui spiritu errant intellectum [6]. » Qui enim errore judicii alia pro aliis bona existimant, accipient intellectum, ut corrigatur error illorum, ut pro pravis ea quæ recta sunt eligant. Necnon et illud : « Una fortitudo spiritus » vestri », vide an idipsum ostendat. Et super omnia vocabulum spiritus altiorem et mysticum in Scripturis sanctis significat intellectum, ut ibi : « Littera occidit, spiritus au-

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Hebr. I, 14. — [3] Act. III, 39. — [4] Luc. XI, 24. — [5] Ibid. 26. — [6] 1 Cor. VII, 34. — [7] Isaï. XXIX, 24.

» tem vivificat[1] : » litteram dicens simplicem et manifestam juxta historicam narrationem, spiritum vero sanctum et spirituale nosse quod legitur. In hanc congruit voluntatem et illud : « Nos sumus circumcisio, qui spiritu Domino » servientes sumus, et non in carne confidentes [2]. » Qui enim non littera carnem concidunt, sed cor spiritu circumcidunt, auferentes omnes ejus superfluum, quod generationi proximum est et amicum, hi vere spiritu circumcisi sunt, in occulto Judæi et veri Israëlitæ, in quibus non est dolus. Qui transcendentes umbras et imagines Veteris Testamenti, cultores veri adorant Patrem in Spiritu, et veritate. In Spiritu quia corporalia et humilia transcenderunt, in veritate, quia typos et umbras et exemplaria relinquentes, ad ipsius veritatis venere substantiam, et ut jam diximus, humili et corporea verborum simplicitate contempta, ad spiritualem legis notitiam pervenerunt.

LIX. Hæc interim juxta possibilitatem ingenii nostri, quot res Spiritus significaret attigimus, suo tempore quid unumquodque significet, si Christus tribuerit, disserturi. Nonnunquam autem Spiritus et Dominus noster Jesus Christus, id est, Dei Filius appellatur. « Benignus siquidem » est Spiritus sapientiæ [3]. » Et in alio loco : « Dominus » autem Spiritus est [4], » ut ante diximus : ubi etiam illud adjunximus : « Spiritus Deus est [5], » non juxta nominis tantum communionem, sed juxta naturæ substantiæque consortium. Quomodo enim quorum diversa substantia est, interdum evenit communi vocabulo nuncupentur, et hæc dicuntur, ὁμώνυμα, ita eorum quorum eadem est natura atque substantia, cum societate vocabuli, naturæ quoque æqualitas copulatur, et disciplinæ Dialecticorum est appellare hæc συνώνυμα. Idcirco et Spiritus vocabulum et

[1] 2 Cor. III, 6. — [2] Philip. III, 3. — [3] Sap. I, 6. — [4] 2 Cor. III, 17. — [5] Joan. IV, 24.

si quid aliud in Trinitate usurpari solet συνώνυμον est; verbi gratia, Sanctus bonus, et cætera his similia, de quibus paulo ante perstrinximus.

LX. Porro ad hæc necessario devoluti sumus, ut quia frequenter appellatio Spiritus in Scripturis est respersa divinis, non labamur in nomine, sed unumquodque secundum locorum varietates et intelligentias accipiamus. Omni itaque studio ac diligentia vocabulum Spiritus, ubi et quomodo appellatum sit contemplantes, sophismata eorum et fraudulentas decipulas conteramus, qui Spiritum sanctum asserunt creaturam. Legentes enim in Propheta : «Ego » sum firmans tonitruum, et creans Spiritum[1], » ignorantia multiplicis in hac parte sermonis, putaverunt Spiritum sanctum ex hoc vocabulo demonstrari, cum in præsentiarum Spiritus nomen ventum sonet. Necnon in Zacharia audientes locutum Dominum, quod ipse sit « Qui creat » spiritum hominis in eo[2], » existimaverunt Spiritum sanctum etiam in hoc capitulo significari : non animadvertentes quod animam hominis, aut spiritum, quem tertium in homine esse jam diximus, Spiritus appellatio significet. Ergo ut prælocuti sumus, quomodo unumquodque dictum sit, consideremus : ne forte per ignorantiam in barathrum decidamus erroris. Siquidem in aliis rebus ex consortio vocabulorum error eveniens, confusionem et pudorem ei qui erravit importat; de supernis vero et divinis lapsus ad prava, ad æternam pœnam deducit et barathrum, maxime cum semel deceptus noluerit resipiscere, sed suum defensare impudente errorem. Decebat etiam, et magnitudo voluminis exigebat, ut finem acciperet oratio.

LXI. Verum quia infert se quæstio adversus ea quæ superius disputavimus : quam idcirco tunc prætermisimus, ne textum sermonis irrumperet, et inter piam prædicatio-

[1] Amos. IV, 13. — [2] Zach. XII, 1.

nem, impia contentio poneretur, necessarium puto ad propositum respondere, et lectoris arbitrio quid super his sentiat derelinquere. Disputantibus ergo supra, quod animam vel mentem hominis nulla creatura juxta substantiam possit implere, nisi sola Trinitas, quia tantummodo secundum operationem et voluntatis errorem, sive virtutem, animus de his quæ creata sunt impletur, oborta est quæstio nostra, quasi sententiam solvens, quod creata substantia, quæ in Scripturis Satanas appellatur, ingrediatur in aliquos, et cor quorumdam implere dicatur. Nam ad eum qui medietatem pretii de agro vendito sibi, aliud profitens, reservarat, a Petro apostolo dictum est: « Anania, quare implevit » Satanas cor tuum[1] : » Et de Juda loquitur ipse Salvator, quod intraverit in eum Satanas. Ad quod postea respondendum est. Interim nunc disputemus adversum id quod scriptum est, « Quare implevit Satanas cor tuum ? » Quomodo Satanas mentem alicujus et principale cordis impleat, non ingrediens in eum, et in sensum ejus, atque, ut ita dicam, adytum cordis introiens : siquidem hæc potestas solius est Trinitatis : sed quasi callidus quidam et nequam ac fallax fraudulentusque decceptor, in eos animam humanam malitiæ affectus trahit, per cogitationes et incentiva vitiorum, quibus ipse plenus est. Denique et Elymas magus, filius diaboli juxta malitiam nequitiamque subsistens, plenus omni dolo, et malitia scribitur, Satana patre ejus hanc ei voluntatem, quasi ex consuetudine vitiorum in naturam, vertente. Arguens itaque eum apostolus Paulus atque corripiens ait: « O plene omni iniquitate et omni » dolo, fili diaboli, inimice justitiæ Dei[2]. » Quia enim versipellis et callidus omnem in se dolum fraudulentiæ susceperat, appellatur filius diaboli, quia implebat ipse omne principale illius fraude et iniquitate et omni malitia, in

[1] Act. v, 3. — [2] Id. xiii, 10.

tantum illiciens eum atque decipiens, ut ipse Satanas implesse animam ipsius, et habitare in eodem putaretur, quem ad omnes suæ perversitatis dolos, ministrum sibi ac famulum præparaverat.

LXII. Ad id vero quod secundum posueramus exemplum, quia in Judam introisset Satanas, hoc dicendum est. Observans diabolus quibusdam motibus et operationum signis, ad quæ potissimum Judæ cor esset vitia proclivius, deprehendit eum patere insidiis avaritiæ : et reperta cupiditatis janua, misit in mentem ejus quomodo desideratam pecuniam acciperet, et per occasionem lucri, proditor magistri et Salvatoris sui existeret, argentum pro pietate commutans, et suscipiens pretium sceleris a Pharisæis atque Judæis. Hæc ergo cogitationis occasio locum tribuit Satanæ, ut in cor ejus introiens, impleret eum pessima voluntate. Introivit ergo, non secundum substantiam, sed secundum operationem : quia introire in aliquem, increatæ naturæ est ejus, quæ participetur a pluribus. Imparticipabilis ergo diabolus est, non creator, sed creatura subsistens. Unde et convertibilis atque mutabilis, e sanctitate decidit atque virtute. Diximus supra μετοχικὸν, id est, quod participatione capiatur, esse incorruptibile et immutabile et consequenter æternum. Quod autem mutari potest, factum esse, et habere principium. Porro quod incorruptibile sit, esse et retro et deinceps sempiternum. Non ergo, ut quidam putant, participatione naturæ sive substantiæ implet quempiam diabolus, aut ejus habitator efficitur, sed per fraudulentiam et deceptionem et malitiam habitare in eo creditur quem replevit. Hac autem fallacia etiam presbyteros, qui adversus Susannam in crudelitatem se verterant, intravit : implens animas eorum incendio libidinis et sera senii voluptate. Scriptum est enim : « Venerunt autem duo presbyteri, pleni iniqua cogi-

» tatione[1]. » His insidiis implevit et universum populum Judæorum, dicente Propheta de eo : « Væ gens peccatrix, » populus plenus peccatis, semen pessimum, filii iniqui[2]. » Semen quippe nequam, diabolus : et filii ejus propter iniquitatem et plenitudinem dicti sunt peccatores. Si autem ab his qui ejus in Scripturis filii nominantur, juxta substantiæ participationem non capitur : siquidem impossibile hoc esse in creaturis frequenter ostensum est : neque alius quis potest eum capere participatione substantiæ, sed tantummodo assumptione fraudulentissimæ voluntatis. Operationem quippe et studia non solum bonorum operum, sed etiam malorum in creaturis diximus : naturam vero atque substantiam solius in alios posse Trinitatis intrare.

LXIII. Abunde, ut reor, occursum est propositæ quæstioni. Quia vero ineptum et stultum videtur adversus fatua respondere : et si quid in buccam ruerit impiorum, hoc velle dissolvere : non enim tantum impietas est scelerata proponere, quantum et de sceleratis cum resistente velle tractare : idcirco illud quod solent tractare prætereo, sacrilega adversus nos audacia proclamantes : Si Spiritus sanctus creatus non est, aut frater est Dei Patris, aut patruus est unigeniti Jesu Christi, aut filius Christi est, aut nepos est Dei Patris, aut ipse filius Dei est, et jam non erit unigenitus Dominus Jesus Christus, cum alterum fratrem habeat. Miseri atque miserabiles, non sentientes de incorporeis et invisibilibus, juxta corporalium et visibilium disputari non licere naturam. Fratrem esse vel patruum, nepotem vel filium, corporum nomina sunt, et imbecillitatis humanæ vocabula. Trinitas vero omnes has prætergreditur nuncupationes. Et quotiescumque in aliqua de his cadit nominibus nostris, et incongruis vocabulis : non suam naturam loquitur. Cum igitur sancta Scriptura amplius de

[1] Dan. XIII, 28. — [2] Isaï. I, 4.

Trinitate non dicat, nisi Deum Patrem esse Salvatoris, et Filium generatum esse a Patre : hoc tantummodo debemus sentire quod scriptum est. Et ostenso quod Spiritus sanctus increatus sit : consequenter intelligere, quod cujus non est creata substantia, recte Patri Filioque societur.

LXIV. Hæc juxta eloquii nostri paupertatem in præsenti dicta sufficiant, timorem meum, quod de Spiritu sancto loqui ausus sim, indicantia. « Quicumque enim in eum blas-» phemaverit, non solum in hoc sæculo, verumetiam in » futuro non dimittetur ei[1] : » nec ulla misericordia et ve nia reservabitur illi, « Qui conculcaverit Filium Dei, et » injuriam fecerit Spiritui gratiæ ejus in quo sanctificatus » est[2]. » Quod quidem et in Deo Patre est intelligendum. Nam qui blasphemaverit in eum et impie egerit, sine venia cruciabitur, nullo pro eo Dominum deprecante, sicut scriptum est : « Qui autem in Dominum Deum peccaverit, » quis orabit pro eo[3] ? » Necnon et « Qui Filium negaverit » coram hominibus, negabitur ab eo coram Patre et Ange-» lis ejus[4]. » Ergo quia nulla venia in Trinitatem conceditur blasphemantibus, omni studio et cautela est providendum, ut ne in brevi quidem parvoque sermone de ea disputantes, labamur. Quin potius si quis hoc volumen legere voluerit, quæsumus ut mundet se ab omni opere malo et cogitationibus pessimis : quo possit illuminato corde ea intelligere quæ dicuntur, et plenus sanctitate atque sapientia, ignoscere nobis, sicubi voluntatem nostram non implevit effectus : et tantummodo consideret qua mente quid dictum sit, non quibus expressum sermonibus. Sicut enim pietatis sensum nobis audaciter juxta nostram conscientiam vindicamus : ita quantum de eo loqui pertinet, venustatem rhetoricam facundiamque juxta consequentiam textumque

[1] Matth. xii, 32. — [2] Hebr. x, 29. — [3] 1 Reg. ii, 25. — [4] Matth. x, 33, et Luc. xii, 9.

sermonis, procul abesse simpliciter confitemur. Studii quippe nostri fuit, de Scripturis sanctis disserentibus, pie intelligere quæ scripta sunt, et imperitiam mensuramque nostri non ignorare sermonis.

DIDYMI ALEXANDRINI

CONTRA MANICHÆOS

LIBER UNUS.

I. Nulla contrariorum ex integro oppositio est; ea scilicet ratione, quod et contrariis sunt quædam communia. Verbi gratia, album quod est contrarium nigro, quibus solum rationibus differt, habet ut contrarium sit; cum alioqui colorem et qualitatem communem ambo obtineant. Nihil autem eorum, quæ ejus generis sunt, circa se prius habet, quod contrarium est. Hæc enim cuncta sequuntur ea, quæ communia sunt; in iis autem, quæ sunt communia, non est contrarium. Necesse enim est colorem esse et qualitatem, ut sit album et nigrum. Simili quoque ratione sequuntur virtus et vitium, ubi qualitas et dispositio ac affectio præit. Si igitur duo principia ingenita sunt, et hæc sunt contraria; vel ex toto sunt contraria, vel sunt quædam illis communia. At nihil ex integro contrarias recipit rationes. Habent igitur hæc quoque communia, ut sint, et substantiæ sint, ac si quid aliud circa ipsa et in eis occurit, quod commune sit. Contraria vero ea facit, quod alterum quidem bonum sit, alterum malum; quodque item aliud lux, aliud tenebræ sint. Prius ergo intelligitur esse hæc substantias, quam esse bonum et malum. Quod ergo contraria sunt, non penes communia est, sed penes proprietatum. Ponitur autem hæc esse ingenita; nihil vero est quod ingenitum antecedat. Ante hæc vero quidpiam est, ipsum nimirum quod dicebam communiter in eis exis-

tere. Ergo non sunt principia ingenita. Hæc enim ingenita, contraria sunt; quod autem illis communiter inest, ipsis prius est. Non ergo ingenita principia sunt, idcirco nimirum quod ingenito nihil est anterius.

II. Sin autem dixerint non ea ratione, qua sunt ingenita, esse illa contraria, hoc quoque illis commune invenietur. Sed rursus quia malum ingenite est malum, et bonum ingenite bonum, reperietur ingenitum malum commune amborum, et ingenitum bonum commune item amborum. Si autem ut bonum sine ingenito reperiatur, fieri non potest; commune autem est ingenitum; utique etiam commune erit, quod necessario comes ingenito est; hoc autem est bonum.

Sin autem dicant, non esse commune illorum, esse ingenitum; quatenus nimirum alteri inest, reliquo non inest: erit igitur ingenitum, vel bonum vel malum; non autem bonum et malum. Quare si reperietur bonum ingenitum, malum erit genitum.

Præterea, omne malum est puniendum; nihil vero quod sit puniendum, est incorruptibile : nullum igitur malum est incorruptibile, ne incorruptibiliter corruptibile sit.

Nihil quod corruptibile sit, est ingenitum; malum autem est corruptibile; non ergo malum est ingenitum.

Nihil est malum secundum substantiam, propterea quia malum qualitas est : nulla autem qualitas substantia est; non ergo malum substantia est.

Omnia contra se vicissim interimunt. Quæ autem sunt ingenita, nulli obnoxia sunt interitioni : non ergo contraria; quæ enim contraria sunt, a corruptione haud immunia sunt.

Nihil ingenitum est mutationi obnoxium; mutatur autem bonum, quod a malo superetur : non ergo bonum ingenitum est.

Ingenito nullius corruptionis innata appetitio inest, nullaque vis corrumpendi ac interimendi; inest autem malo ea appetitio; non igitur malum ingenitum est.

Divinæ Scripturæ non solum homines ἀνθρώπους qui mali sint, tradendos supplicio dicunt, sed et ipsum diabolum [1]. Omne autem quod supplicio traditur, mutationi obnoxium est; nihil vero mutationi obnoxium, est ingenitum; nihil ergo in iis, quæ mala sunt, ingenitum est.

Eorum, quæ ex integro contraria sunt, nihil commune est. Quare omnino, quod uni inest, alteri non inesse necesse est. Inest autem bono esse ingenitum; malo igitur neutrum horum inest. Malum itaque nihil est.

Quicumque rem aliquam rite expetit, dum ita expectat, nihil ipsum vetat expetito potiri. Expetit autem Deus malitiam interitioni dare; igitur malitia eorum est, quæ interitioni obnoxia sunt. Quæ autem ex eorum genere sit quæ intereant, delebitur; quæ autem deleatur, haud ingenita sit.

Si malum ingenitum est, illi ex natura est esse malum. Nemo autem peccat, dum id præstat et operatur, quod est ex natura. Malum igitur non peccat. Quod autem non peccat, in culpa non est. Est vero Satanas in culpa ac reus est; non ergo ingenitus est.

III. Divina Scriptura, operationum studiorumque, quibus se homines impendunt, ipsos filios esse dicit ac proles. Proinde iracundos, ullique alii vitio mancipatos (quippe qui ea ratione supplicii iræ obnoxii existant) filios iræ vocat : quemadmodum ait Paulus : « Et eramus natura » filii iræ, sicut et cæteri [2]. » Hos mutari nihil vetat, ut non sint amplius natura filii iræ. Paulus denique, de se ipse, deque illis, qui pari ratione sancti evaserunt, ait : « Era- » mus natura filii iræ, sicut et cæteri homines, » qui huc usque sunt in peccato. Illud autem quod adjunctum est,

[1] Matth. xxv, 41. — [2] Ephes. II, 3.

« Natura, » non hoc significat quod ex natura est, sed quod vere. Hoc enim dicit : « Eramus natura filii iræ; » ut declaret vere iræ obnoxios esse, qui peccant. Quemadmodum autem natura filius iræ efficitur, ea ratione quod in peccato versatur; sic mutatione, veritatis filius atque virtutis evadit. Denique dictum est de quibusdam a Salvatore : « Justificata est sapientia a filiis suis [1] : « Sapientiæ filios vocante eos, qui sint sapientes. Quia etenim qui alicujus filii sunt, a parente esse habent, quod existunt; quique adeo imbuti qualitate sunt, ex ea, quæ illis accessit, qualitate, nanciscuntur ut sint; merito sic imbuti qualitate, qualitatis filii nuncupantur ac nati. Sicut enim a Servatore istiusmodi dictum est : Hi sapientes sunt sapientiæ filii; ita etiam alios filios pacis appellavit, dum ait Discipulis : « Cum » intraveritis in civitatem aut domum, et si ibi fuerit filius » pacis, pax vestra (ipsa quæ datur civitati aut domui) re- » quiescet super illum [2], » qui in ea est, filius pacis.

IV. Rursus idem Salvator ait : « Prudentiores sunt filii » hujus sæculi filiis lucis in generatione sua [3]. » Nempe lucis filios vocans, qui scientia veritatis ac virtutis operibus sint illuminati. Ad quos, qui et lux facti essent quippe filios lucis, ait : « Vos estis lux mundi [4]. » Eos autem, qui præsentis vitæ amore tenentur, et ad eam referunt quæcumque operantur, « Sæculi hujus filios » nominavit. Quanquam vero etiam prudentiores dixit filiis lucis; non simpliciter dixit esse prudentiores; sed « In generatione sua; » id est, in rebus ad hoc sæculum accommodatis, prudentiores sunt filiis lucis. « Sapientes enim sunt ut faciant mala; bene autem facere nescierunt [5]. » Quin et de Juda scriptum est esse eum « Filium perditionis. » Sic enim Dominus de illo dixit : « Ex Discipulis meis nemo perit, nisi filius perditionis [6]. »

[1] Matth. xi, 19. — [2] Luc. x, 5, 8. — [3] Id. xvi, 8. — [4] Matth. v, 15. — [5] Jerem. iv, 22. — [6] Joan. xvii, 2.

Filium autem perditionis vocavit, quod ea fecerit quæ sunt perditionis, merguntque in interitum. Non enim talis erat, cum unus esset ex Apostolis, ac cum eis Salvatori pariter ministraret; sed cum Filii Dei atque Magistri proditor effectus est. Quodque ex natura haud malus esset, simul cum Discipulis omnibus audivit : « Ecce mitto vos sicut » oves in medio luporum [1]. » Si lupos dicit eos qui peccant, oves vero eos, qui virtuti navant operam : siquidem Judas natura malus erat, ovis Christi non erat; nam neque virtutem potest operari, qui per naturam malus est. Sed neque ipse diabolus per naturam malus est, sed ex mutatione liberæ voluntatis.

V. Sicut igitur non solum malarum actionum ac studiorum, verumetiam honestarum filii vocantur ac nati, qui ea exercent eo quod dictum est modo; ex cujus ratione, qualitatum fœtus prolesque dicebantur, qui ex illis esse acceperint quod a qualitate ejusque munere habent; merito « Caro peccati [2], » et, « Corpus peccati [3], » quispiam, non simpliciter dicitur, sed idcirco quia servit peccato. Homo enim corpore ac carne ad libidinem aliaque ejusmodi vitia abutens, corpus suum « Corpus peccati » facit, et carnem suam « Carnem peccati; » haud secus ac studiosus, castitatis studio, ac quæ ei virtus reliqua comes, corpus suum animumque sanctificat. Virgo igitur sancta efficitur corpore et spiritu (hoc est anima) quemadmodum scribit Paulus, dicens debere virginem terrenis rebus curisque non distrahi, « Ut sit sancta corpore et spiritu [4]. » Sed et in Epistola ad Corinthios scribit : « Glorificate Deum » in corpore vestro [5]. » Si autem glorificatur Deus in corpore hominum, nec Deus in malo glorificatur; haud sane corpus natura malum est; quanquam ipsum peccator malum reddit, ex peccati rationibus illo utens. Ac rursus paucis in-

[1] Matth. x, 16. — [2] Rom. VIII, 4. — [3] Id. VI, 6. — [4] 2 Cor. VII, 34. — [5] 1 Cor. VI, 20.

terjectis in hæc verba suos alloquitur : « An nescitis, quia » corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis » est; quem habetis a Deo[1] ? Si quis templum Dei violaverit, » disperdet illum Deus : templum enim Dei sanctum est, » quod estis vos[2]. »

VI. Sed et in Epistola ad Thessalonicenses, idem Apostolus scribit : « Deus pacis sanctificat vos totos : et integer » vester spiritus, et anima, et corpus nulla criminis labe » in adventu Domini nostri Jesu Christi servetur[3]. » Quomodo enim ex toto sanctificari potest aliquis, et integrum habere corpus suum, siquidem corpori, cum malum sit, a natura comparatum est, ut sanctificari non possit? Nam si corpus natura malum est, non capit ut sanctificetur. Si vero recipit bonum, liquet non esse natura malum, cum boni capax sit. Nam quod est a natura malum, fieri non potest ut bonum recipiat : sicut rursus ut bonum natura, malum recipiat.

Scribit in alia Epistola idem Apostolus ad quosdam : « Mundemus nos ab omni inquinamento carnis et spiritus, » perficientes sanctificationem in timore Dei[4]. » Qua ipsa voce ac loquendi forma ostendit carni quoque comparatum esse, ut emundetur ab inquinamentis, quæ ex peccato illi inolescunt. Similiter in spiritu et anima. Quod si caro secundum substantiam esset mala, et spiritus secundum substantiam esset bonus; neque spiritus inquinamentum haberet, neque vero caro emundaretur ab inquinatione. Præcipit autem utrumque emundare ab inquinamento; modum etiam dicens quo sit futura mundatio. Ait namque: « Perficientes sanctificationem in timore Dei. » Illud vero etiam recte, quod ait : « In timore Dei; » ut ostendat habere ex se ut obediant, et non ex necessitate. Quod si perficientes sanctificationem in timore Dei, emundamus carnem

[1] 1 Cor. VI, 19. — [2] Id. III, 17. — [3] 1 Thess. V, 23. — [4] 2 Cor. VII, 1.

nostram et spiritum ab inquinatione, palam est accedente nobis sanctitate istud præstari. Sicut enim animus ab ignorantia ac injustitiis repurgatur ea ratione, quod scientia et justitia illi adveniant (fuga enim vitii, a contrario virtuti aditum facit) sic sanctificationis adventu, caro et Spiritus ab inquinamento mundatur. Hic autem spiritum, animam significat, sicut etiam in Actibus Apostolorum Stephanus apostolus, dum lapidaretur, et prope esset moriturus, precibus ad Deum dixit: « Domine Jesu, suscipe spiritum » meum[1]. » Non enim illis verbis aliud quidpiam spiritum suum dicebat, quam animam.

Cum igitur pluribus locis caro et spiritus, quandoque peccati dicantur, quandoque sanctificationis, et comparata ad Deum glorificandum, neutrum ipsorum natura malum sit aut bonum; sed ejusmodi, ut libera voluntate utrumque recipere possint: nonne ex ejus qui habeat usu, sigillatim est, ut modo peccati, modo sanctificationis dicantur? Quod si ipsam quoque auctoritatem nescientes, unde proferunt esse carnem peccati, ita existimant; nos enimvero integram eam ponentes, perspicuam reddemus sententiam. Sic autem habet.

VII. « Deus Filium suum mittens in similitudinem car- » nis peccati, de peccato damnavit peccatum in carne[2]. » Quod dicit, ejusmodi est: Omnium hominum caro ex conjunctione viri et fœminæ existit, excepta carne primi parentis et ea, quam Christus assumpsit. Non enim alia ratione hominis corpus extiterit, nisi masculus et fœmina misceantur. Igitur quia Salvator ex sola Virgine corpus assumpsit, quod ex non coïtu principium duxit; idcirco carnem Domini, ejus carnis, quæ ex coïtu est, similitudinem vocavit. Non enim simpliciter habere eam carnis si militudinem dixit, sed « Similitudinem carnis peccati. »

[1] Act. VII, 58. — [2] Rom. VIII, 3.

Similitudo autem carnis peccati, caro est; uno duntaxat ex aliis carnibus illi desiderato, quod nulla viri opera nacta existentiam est. Decebat enim, ut qui ad salutem hominum veniebat, ex conjunctione viri corpus non acciperet; neque rursus extra hominum successionem, velut primus homo, ne ejus corpus diversi generis esse putaretur. Nam si ipse quoque ex terra formatus esset, sicut fuit princeps humani generis; suspicandi ansam habuissent, qui nudo mentis commento specie tenus incarnationem docent, non forte humanum corpus re ac veritate gestasse.

VIII. Præterea, si corpus ex viri conjunctione sumpsisset, cum in nullo differret; ipse quoque utique, peccato quod ex Adamo ejus omnes posteri per successionem contrahunt, obnoxius habitus esset. Si vero dixerint : Si caro peccati est quæ ex conjunctione viri et fœminæ nata est, malæ sunt nuptiæ. Audiant isti : Ante adventum Salvatoris, qui abstulit peccatum mundi, omnes homines sicut alia cum peccato agebant ; sic etiam nuptias cum peccato habebant. Unde similiter de corporibus ex connubio natis intelligendum est ; quodque adeo post peccatum facta est Adæ cum Eva conjunctio; idcirco caro peccati dicta est. Qui enim ante peccatum immortalis erat, per peccatum mortalis factus est; atque ita successio mortalitatem habet. Similitudinem igitur hujus carnis habebat Christus, tametsi caro ejus non vidit corruptionem. Verum per adventum ejus, sicut ab aliis rebus, sic a nuptiis ablatum est peccatum. Itaque, nunc, qui secundum Evangelium vivunt, habere possunt honorabiles nuptias et torum immaculatum, sicut Paulus scribit fidelibus : « Honorabiles » nuptiæ et torus immaculatus : Fornicatores autem et » adulteros judicabit Deus[1]. » Distinguens enim nuptias honoratas, et eos qui eis utuntur, a scortatoribus et adulte-

[1] Hebr. XIII, 4.

ris; esse illas scortationem aut adulterium abnuit. Quamobrem neque peccatum sunt nuptiæ.

IX. Aliter etiam dici potest magis physice. Divina quædam res est virginitas, atque in virtutum censu splendida. Si quis igitur nuptias cum virginitate conferens, ipsas dicat peccatum; non absolute sunt peccatum. Malum enim non in comparatione boni malum est, sed ipsum per se tale est. Si quando igitur aliquid malum dicitur, ea ratione quod cum bono confertur; ipsum etiam bonum fuerit, inferius bono quod ipsi antefertur. Qui igitur Evangelio accedunt, ad ipsum imprimis accedunt, ut colant pietatem, et secundum Deum sapientes fiant. His comes est, ut a nonnullis oppugnentur; siquidem necesse est eos firmiter animique constantia Christo nomen dare. Firmitas autem ac constantia, tentationum exercitatione præstatur. Quamobrem necesse est ut et illi certamina subeant. Quemadmodum autem qui certantibus constituunt præmia, si quod e ratione congruumque videatur, spectandum sibi putaverint; haud temere hunc illumque pugilem commiserint, sed multa diligentia omnique sedulitate, cujusque virium spectata ratione; sic nimirum nostri quoque certaminis arbiter Christus, non omnes iisdem adversariis jungit, sed pro cujusque ætatis viriumque ratione, quocum lucta conserenda, opponit. Corinthiis itaque, cum adhuc parvuli essent, Paulus scribit teneri eos carnis passionibus : « Tentatio, inquit, vos non apprehendit, nisi humana[1]. » Ipsorum namque tentationes ac certamina, ad ea spectabant quæ essent humana. De se autem suique similibus, pari scilicet pectoris robore ac animositate, scribit dicens : « Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, » sed adversus principatus et potestates, mundique domi-

[1] 1 Cor. x, 13.

» nos, rectores tenebrarum sæculi hujus[1]. » Ac si diceret : Nobis, qui celsiore gradu conscendimus, non est lucta adversus sanguinem et carnem, (id est, adversus humana) sed adversus superiorum ordinum adversarios. Sunt vero hi, animorum species, qui voluntatis arbitrio pravi evaserunt.

X. Nemo vero existimet, cum pravorum animorum species diximus, pravam nos essentiam dicere ac substantiam. Sunt enim etiam species et genera, eorum quæ liberæ voluntatis sunt. Dicimus honesti species esse, justum, temperantem, prudentem, fortem. Quia namque virtus genus est quæ in species distribuatur, in justitiam, temperantiam ac reliquas ; necesse est eum, qui genus participat, qui videlicet studiosus existat ac virtute fulgeat, velut genus esse eorum, qui species virtutum participant. Similiter, cum scientia genus sit, grammaticæ, musicæ et aliarum ; eum qui ducto a scientia nomine, sciens dicitur, genus esse dicimus eorum, qui a tali talique scientia (scientiæ scilicet speciebus) nuncupatur. Quanquam igitur pravorum animorum species dicimus, omnes subter has species positos, voluntate pravos esse dicimus. Quæ itaque dicta sunt prava nomina, non essentias significant, sed qui libera præditi voluntate existant.

XI. Quod enim diabolus dicitur, non essentiam declarat, sed voluntatem. Statim enim etiam Judam, homo cum esset, diabolum Dominus nominavit, non propter substantiam, sed propter voluntatem, cum ad omnes simul Discipulos ait, in eis quoque Judam connumerans : « Nonne » duodecim elegi vos, et unus ex vobis diabolus est [2] ? » Subjungitque Evangelista : « Hoc autem dixit de Juda, qui » eum erat traditurus[3]. » Etsi enim propter futuram proditionem diabolus vocatus est ; non jam tunc diabolus erat,

[1] Ephes. VI, 12. — [2] Joan. VI, 71. — [3] Ibid. 72.

cum pariter cum omnibus electus est, ob eam qua tunc præstabat virtutem. Tunc autem diabolus appellatus est, cum ea molitus est ac fecit quæ proditionis erant. Si ergo in Juda nomen diaboli, actionem ex liberæ nutu voluntatis indicat; similiter etiam de quovis alio dicatur, aliquid ad liberam voluntatem spectans significat. At nec consuetudinis ejus vocis usus ignotus est. Diabolos certe græca voce vocamus qui apud alios aliis detrahunt, accusantque et calumniantur. Unde etiam quia diabolus Deum accusat apud homines, et homines apud Deum, ipsosque alios apud alios homines, hoc nomen sortitus est. Quod si etiam Satanæ nomen de diabolo dicitur : sciant hoc ipsum nomen significare quod est liberæ voluntatis. Nam cum Satanas vox hebraïca sit, nihil aliud significat quam adversarium, si ipsam latine interpreteris. Adversarius vero cum de homine dicitur, idem est quod inimicus nocens. Sicut igitur inimicus voluntate est inimicus, sic et adversarius. Uti etiam horum contraria. Amicus enim et benevolus et concors et idem sentiens, nomina sunt, quod est liberæ voluntatis significantia. Dicitur enim hic idem amicus et benevolus, sicut dicitur diabolus et Satanas et malus. Quemadmodum Salvator in Evangelio præter cætera hoc quoque Discipulos in Oratione docet : « Et ne »nos inducas in tentationem, sed libera nos a Malo [1]. » Nam et Mali nomen, liberam denotat voluntatem.

XII. Si igitur, quibus omnibus nominibus insignitur mali auctor, primusque virtutis desertor, voluntatis arbitrio talis est; per essentiam malus esse non potest. Quod si dixerint : Cum esset substantia malus atque natura, accessisse et quæ erant voluntatis, ob quæ sic nominatus est : Sciant isti, in iis, quæ ad essentiam spectant ac substantiæ sunt, non assumi ea quæ sunt liberæ voluntatis. Nullus enim dicit libera voluntate animal esse aut lapidem.

[1] Matth. VI, 13, et Luc. XI, 4.

Hæc enim substantialia sunt : hincque est, ut nihil hic liberæ sit voluntatis. In his enim sunt quæ ad liberam voluntatem spectant, in quibus libera ipsa voluntas est.

Sed fortasse dicent : Ut quid vero eum, qui damnosus futurus erat et pestis ac labes, bonus Deus in rerum naturam produxit? Atqui sciant qui hoc dicunt : Non solum nobis adversari, sed et omnibus, qui providentiam ponunt. Multi enim etiam alii, cum providentiam ponant, animantia omnia ratione utentia ex Deo esse dicunt, in quibus etiam malitia ac vitium oritur. Si igitur hæc de diabolo dicunt, necesse est, ut et de omnibus dicant ratione præditis atque animis. Nos enimvero, qui illos minime sequamur, dicimus : Non esse mali auctorem qui eum produxit ac fecit, qui sua ipse proclivi voluntate nutuque in malum vergere potest, eique obnoxius esse. Dum enim animal condidit rationis particeps, voluit sua ipsum voluntate ac arbitrio bonum fore, ea facultate præditum, qua liceret ad utrumibet vergere. Volebat enim ipsum bonum esse, eligendo sponte quod bonum est. Nullus enim in iis, quæ condita sunt, invitus bonus esse potest; sed omnes qui boni sunt, sponte tales sunt. Quare oportebat, ut qui voluntate sua futurus esset bonus, potestatem haberet, qua idoneus et aptus esset ad bonum capessendum ac quod hones tum esset. Sequebatur autem, ut quod bonum capere posset, posset et malum. Sic fabricata rationali substantia, ut ad virtutem vitiumque facultatem haberet, datum ei mandatum est, ut virtutem in actu, vitium vero solum aptitudine haberet. Creatoris namque lex hortatur, facitque animos atque adjuvat ad virtutem, avocans naturam a vitio. Quamvis igitur insit vitii facultas in utente ratione; non propter facultatem malus est qui ea præditus est; ad utrumlibet namque virtutem scilicet atque vitium, se habent facultates atque liberæ voluntates. Libere enim habere

virtutis facultatem volumus, ut et in actu ejus compotes effici valeamus; vitii quoque facultatem habere libere volumus. Tunc enim eam habemus, cum virtutem in actu ipsamque exercitam habuerimus. Neque hæc nostra duntaxat opinio est, sed et omnium qui de animis atque ratione præditis recte sunt philosophati.

XIII. Licet igitur Deus substantiam condidit quæ diabolus nuncupatur, non tamen ipsam diabolum condidit; sed virtutis capacem, ut illam nancisceretur; et vitii capacem, ut ab ipso sese abstineret. Quia enim virtus cum vitio simul existere non potest; est autem amica Deo virtus; utriusque facultate indita utenti ratione, propterea indidit, ut altera quidem ad actum capessendum præditi essemus, ab alterius autem fine facultatis, qui est operatio actusque, abstineremus. Itaque omnes animi creati sunt ut essent probi, non mali. Si qui igitur in eis, contraria auctori suo ac providentia regenti via cucurrerunt, non hæc conditoris culpa ac legislatoris, sed eorum, qui contra leges datas provideque dispositas obnixe obstiterunt.

Videmus in nobis ipsis hæc sæpe accidere; qui liberos erudiamus eo animo, ut ad scientiam illos provehamus; quo ipsi perinde disciplina utantur; cum tamen omnino ut edocti sunt, ipsa non utantur : imo contingit aliquando, ut multi filii a parentibus in arte medica eruditi, non ut oportet ea arte utantur; sed potius pro salubribus, ea ægrotis adhibeant, quæ ipsa morbida qualitate iis exitiosa existant; nec tunc accusanda medicina, aut vocandus in crimen qui docuit. Non enim sic eos docuit, ut sic iste faceret : facit enim, non ut facere doctus est. Rursus leges quosdam docemus, ut justitiam defendant et injustitiam repellant : nonnulli tamen animi pravitate leges adeuntes, contra faciunt ac didicerunt. Neque tamen

continuo legem aut legislatorem criminamur. Si enim hi injustitiæ rei essent, haud injustos punirent. Nam id quoque eorum arbitratus est ac sententiæ : « Justa casti- » gandum animadversione, quod injustum est. » Deus item Satanam punit et eos, qui divinitus constitutas leges transgrediuntur. Quibusdam enim pravis ait : « Ite » in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis » ejus [1]. »

XIV. Sciant igitur qui his contradicunt, sibi ipsis pugnantia dicere. Si enim diabolus secundum substantiam malus erat et a bono Deo alienus, ac qui pari illi robore certare posset, nec illi supplicium parare, nec in ipsum eum emittere potuisset. Dicit tamen esse ignem diabolo paratum. Quin hoc dicendum : Si Deus bonus immutabilis est, ut quidem est, et iisdem semper fretus viribus, neque alias aliter, alias aliter valet; cum futuram esset ut post multam noxam acceptaque ab eo damna, æterno eum igni traderet; quidni hoc a principio fecit, cum se ille in ipsum extulit, et partem ipsius occupavit? Justius enim tunc in eum pœnas decrevisset, ut qui in majorem deliquisset. Nam nunc quidem hominibus nocet; tunc autem, illorum sententia et ut existimant, ipsi noxam intulit Deitati. Legis vero districtio ac indignatio justior est, si quis in regem, quam si in subditos, injuria procax existat. Si enim sic illi de his sentiant, aut dicturi sunt nescivisse tunc Deum, quomodo ulturus esset et malum impediturus, aut non potuisse. At neutrum horum bono Deo tribuendum est; non igitur nulla origine Dei inimicus, in eum se extulit; sed qui factus esset ut bonus esset, facultate capessendæ virtutis imperfecta ac manca retenta, quod in vitium pronum erat illique ideneum, ad

[1] Matth. xv, 41.

actum perduxit. Quamobrem dignus supplicio est, ac merito diu post illi est mancipatus.

XV. Si vero illud objecerint, quod dictum est a Joanne Baptista, his qui ficte veniebant ad baptismum, in hæc verba : « Serpentes, progenies viperarum, quis ostendit » vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum » pœnitentiæ ; et ne velitis dicere intra vos : Patrem habe- » mus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis » suscitare filios Abrahæ. Jam porro securis ad radicem » arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit » fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur [1]. » Audiant isti : Non posse eos objicere quæ non recipiunt. Non enim recipiunt Joannem Baptistam, qui unus sit e Veteri Testamento. Sic tamen illis respondendum est. Toto Joannes contextu destruit, esse natura bonos et malos natura. Ait enim ad illos : « Facite ergo fructum » dignum pœnitentiæ. » Atqui pœnitentia ejusque fructus non cadunt, neque in eum, qui per essentiam malus sit, nec qui natura bonus. Quomodo enim eget pœnitentia, qui est semper probus? Aut quomodo is qui natura malus est, bono pœnitentiæ utetur? Nam qui per essentiam malus est, a peccato mutari non potest; sed nec ulla utilitas est pœnitere de bono. Præterea, ex ostensis ab ipso lapidibus suscitandos ait filios Abrahæ; nempe lapides vocans stolidos et vecordes, ac qui adhuc in malitia permanerent. Hos enim si pœnituerit, ac Deo crediderint, filii Abrahæ erunt; qui propterea « Homo Dei » audivit, quod in Deum crediderit; adeo ut « Fides reputata sit ei » ad justitiam [2]. »

XVI. Quia vero illud etiam ab istis dictum audivimus, in eos qui ex Abraham et aliis sanctis viris generati sunt; quasi nimirum dicendo : « Serpentes, progenies vipera-

[1] Matth. III, 7-10, et Luc. III, 7-9. — [2] Rom. IV, 3.

» rum, » Abrahamum nepotesque significet; discant isti pugnantia se loqui consequentiæ capitis. Arguit enim et vituperat, quod non essent filii Abrahæ, sed qui progenies viperarum, frustra semen Abrahæ præferrent, eoque gloriarentur ac sibi placerent. Ait enim ad eos Salvator in alio capitulo : « Hoc Abraham non fecit, » quem vos falso patrem vestrum esse dicitis. « Si enim filii Abrahæ » essetis, opera Abrahæ faceretis. Sed vos ex patre vestro » diabolo estis, et desideria patris vestri vultis facere. Ille » enim homicida erat ab initio, et in veritate non stetit[1]. » Hoc quoque præclare dictum : « In veritate non stetit, » quo prius in veritate stetisse significat. Patrem autem eorum vocavit diabolum, quod pari cum illo ratione mutati sunt ac qualitate imbuti. Quamobrem non Abraham sanctosque illi asseclas, viperas appellavit. Ut enim filii viperarum essent, ex mutatione habuerunt, idcirco quia sua sponte, malis magistris, sicut dictum est, usi sunt. Ait igitur illis Joannes : Quandoquidem aversi a virtute, serpentes fieri voluistis, (non enim per essentiam tales erant) desinite esse proles viperarum, quarum qualitatem voluistis habere. Mali enim ex malis, exque iniquis iniqui esse studuistis. Sed quia dicitis vos pœnitentiæ signum ferre, quod ad baptismum venitis; hoc autem simulate facitis; dico vobis : « Quis ostendit vobis fugere a » ventura ira? » Quem enim pœnitet, ideo pœnitet, ut, dum non amplius peccat, iram, quæ ventura est adversus peccatores, effugiat. Rogat autem : « Quis vobis osten- » dit? » ut dicat, qui docet vere a malo recedere, non rem simulate præstare; vos autem cum simulatione facitis, dum ad baptismum acceditis. Non igitur mundabimini. Qui enim vult vere mundari, a peccatis desistit, et hujusmodi fructum pœnitentiæ affert, faciens opera habitui

[1] Joan. VIII, 39, 40.

peccati contraria. Vos enimvero hoc non fecistis, qui ipsi vos ipsos condemnastis, dum habere vos Abraham patrem dicitis. Non enim hoc vos juvabit, quod Abrahæ filii æstimemini, sed quod ejus filii sitis ea ratione, quod ipsius fidem et ab idolis fugam æmulemini. Quamobrem, tametsi aliquando filii Abrahæ fuistis, non hoc vos salvos faciet. Nam et eos, qui non sunt nunc ejus filii, potest Deus ipsius filios facere. Quare salutem consequitur qui virtutis rationibus Abrahæ filius est, non qui ejus secundum carnem solum extitit filius. Quod si extitit, ne glorietur sibique placeat; est enim res ejusmodi quæ sit alia alio decidua ac proclive mutetur. Denique quibus etiam id non obtigit, poterunt comparare. Nam et Paulus his, quos carne non genuerat, dicit : « In Christo per Evan» gelium ego vos genui [1]. »

XVII. Verum cum hæc auditis, ne contemnatis, quasi ira in peccatores retardetur. Jam enim malus, in eo ipso quod peccat, præsens supplicium habet, qui ejus reus existat ac pœnæ obnoxius. Quamobrem scitote jam securim radices arborum prope attingere. Arbores autem vocat, non quas sensu percipimus, sed homines vitio depravatos. Harum autem arborum radix, pessima dispositio est, ex qua non edulis fructus, sed venenatus oritur. Hunc igitur vocavit fructum non bonum. Itaque quamvis securis supplicium denotat, ac mala arbor hominem peccatorem; non sunt duæ hæ naturæ pugnantes. Intentantur enim minæ, ut arbores mutentur. Nam qui minas peccatoribus intentat, ipsa minarum intentatione satagit ad meliorem frugem transferre. Quare, si intentata per securim effœtas arbores ac elanguidas excisuram, comminatione, ipsis auctor est, inducitque, ut non malum, sed

[1] 1 Cor. IV, 15.

fructum bonum ferant; nec arbor mala natura est, nec natura malum supplicium.

XVIII. Sed fortasse dicent : Si pœna mutat malos, bonum est pœnam esse. Si autem castigatio bona est, huicque contraria promissio est, nec contraria simul bona esse possunt; ergo mala est promissio. Sin autem non mali est promissio, sed boni, mala erit ultio, ac pœna. Si autem mala ultio, non eam Deus, sed Satanas infert. Infert autem Satanas pœnam, non suis : sunt enim, sicut ipse, mali; ac necesse est ipsum quoque pœnæ subjici. Præstat igitur ut bono pœnam inferat. Sed hoc est impossibile. Non ergo Malus pœnam infligit, sed Deus. Quidquid autem a Deo infligitur, utiliter infligitur, cum sit bonum, aut boni parens, aut arcens malum. Deus igitur, cum velit malum impedire, supplicium constituit. Non autem tentaret malum impedire, nisi illud posset impedire : hoc autem quod impeditur, esse natura non potest, ac ingenitum. In hoc vero præterea imperiti homines errare lapsi sunt, existimantes contrariam esse animadversionem promissioni. Utraque enim remuneratio est; altera quidem, quæ bonis mercedem afferat; altera vero, quæ pœnam dignamque ultionem in eos, qui divinas leges voluntarie transgressi sunt, rependat.

S. PHOEBADII

AGINNENSIS EPISCOPI

OPUSCULA

ADVERSUS ARIANOS.

S. PHŒBADIUS

AGINNENSIS EPISCOPUS

(POST AN. 392.)

LATINUS.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

Sanctus Phœbadius, natione Gallus, provincia vero, si Sulpicio fides (*Hist. Sacr. lib.* II, *c.* 44), Aquitanicus, Aginnensi Ecclesiæ, ut scribit sanctus Hieronymus (*De Viris illust. c.* VIII), præfectus est; quo autem anno non satis patet, quanquam post annum 347 id contigisse videatur, cum inter præsules Gallicanos, qui Sardicensi concilio eo ipso anno celebrato interfuere, non recenseatur, ut observant Tillemontius et alii (*Tillem. Mem. Eccl. tom.* VI *pag.* 427). At certe an. 357 episcopali illum sedi jam impositum ex eo colligitur, quod missam in Gallias a Constantio secundam fidei formulam Sirmiensem, una cum aliis Galliarum antistitibus respuit et damnavit, quam præterea conscripto libro acriter confutasse in operibus ipse testis est. (*Phœb. lib. contra Arian.* V *et* XXIII.)

His porro strenue gestis, interfuit iterum synodo Ariminensi ab eodem Constantio coactæ, ubi horum quæ primo pro catholica fide contra perfidiam Arianam, nondum captivatis patribus, acta sunt, pars magna fuit Phœbadius. Imo et cedentibus cæteris fere omnibus, invictus ipse et immobilis una cum Servatione Tungrorum episcopo permansit, Sulpicio teste (*Hist. Sacr. lib.* II. *c.* 44.), malle se professus exilium tormentaque omnia subire, quam fidei formulæ ab Arianis conceptæ religionis desertorem subscribere.

Postea vero Valentis fraude deceptus, formulam sua subscriptione firmavit, ita tamen ut, immutatis quæ libuerat, nihil nisi catholicum approbare sibi videretur. Sed Ariani illius Mursorum episcopi diabolicas ambages non præsenserat, qui confessione fidei Christum non esse creaturam asserenti hujusmodi sententiam adjecerat, *ut sunt aliæ creaturæ*, cui sane inerat hæreseos arianæ venenum. Dolis igitur circumventus est Phœbadius; nunquam autem in erroris professionem inductus, ut patet, tum ex eo quod, fraude vix detecta, cum cæteris præsulibus gallicanis apud Ariminum gesta condemnavit; tum ex auctoritate S. Hieronymi, Hilarii et Theodoreti idem confirmantium. Hinc factum est ut inde nihil de ejus fama detraheretur: constat enim illum præfuisse :enciliis, Valentino an. 374, et Cæsaraugus-

tano sub an. 380 coactis. Vitam autem adhuc agebat an 392 quo suum de *Viris illustribus* librum conscripsit B. Hieronymus, qui sic in eo de Phœbadio loquitur : « Vivit usque hodie decrepita » senectute. » Unde intelligere datur illum non potuisse per longum tempus ab hoc anno vitam producere. Moribus et doctrina conspicuus, et præ cæteris sancto Ambrosio Mediolanensi episcopo maxime charus, nomen cœlo dare promeruit, et tabulis Ecclesiæ Aginnensis ad diem 25 aprilis inter Sanctos ascribi.

Sancti Phœbadii scripta non minus sententiarum gravitate quam rectitudine commendantur. Ediderat autem, Hieronymo teste (*de Viris illust. c.* 108) *contra Arianos librum*, qui huc usque superest. Multa autem alia opuscula dederat, quæ nondum se legisse idem sanctus Doctor asserit. Huic autem sapientissimorum criticorum judicio, nempe Nourry, Tillemontii, Hist. litter. Galliæ, tribuitur opus *de Fide orthodoxa contra Arianos*, quod legitur in appendice sancti Gregorii Nazianzeni et sancti Ambrosii, et cujus auctor asserit se jam edidisse libellum adversus Arianos. Adde quod utrobique eædem loquendi rationes, eadem doctrina, eadem sacræ Scripturæ interpretatio reperiatur. Nec minus inter eruditos convenit, (*Vide Quesnel. Dissert. ad oper. S. Leonis, et Baller. ad eadem*), parvum, qui pariter

in sancti Gregorii Nazianzeni operibus legitur, *Fidei Libellum* ad eumdem ac libri de fide orthodoxa scriptorem esse referendum. Unde tria illa Phœbadii opera, vero auctori duobus posterioribus restitutis, hic colligere animus fuit, ut uno intuitu omnia percurrere possit lector studiosus.

Liber Phœbadii contra Arianos prelo fuit subjectus primo Genevæ a Theodoro Beza an. 1570 et a Petro Pithœo an. 1586, cum aliis quibusdam antiquorum scriptis; postea vero separatim, adjunctis notis, curante Gaspar Barthio *Francofurti* an. 1623. Denique autem *Parisiis* iterum Delalandii opera an. 1666, necnon et in Bibliothecis Patrum, Parisiensi, Lugdunensi, Parisiensi et in novissima Gallandii, quam utpote correctiorem secuti sumus.

Liber autem *de Fide orthodoxa* legitur inter opera sancti Gregorii Nazianzeni et sancti Ambrosii, necnon et in eadem Bibliotheca Gallandii, cujus exemplar expressimus, quod expressit et ipse ex editione Maurinensi operum S. Ambrosii.

Libellus autem *de fide* habetur tum apud S. Gregorii Nazianzeni appendicem, tum apud Ballerinum inter opera sancti Leonis, tum apud eumdem Gallandium cui adhæsimus.

S. PHOEBADII

AGINNENSIS EPISCOPI

LIBER CONTRA ARIANOS.

I. Nisi illam zabolicæ subtilitatis fraudem viderem, quæ omnium fere sensibus occupatis, et hæresim persuadet ut fidem rectam, et fidem rectam damnat ut hæresim; nullum omnino super his, quæ nuper ad nos scripta venerunt, sermonem haberem, fratres charissimi. Sufficiebat enim conscientiæ parvæ tenere quod credit : æstimanti fore rectius tueri propria, quam extranea et aliena discutere. Sed quia, ut diximus, aut hæresis suscipienda est ut Catholici dicamur; aut vere Catholici non futuri, si hæresim non repudiamus : ad hanc tractatus conditionem necessitate descendimus, quam zabolicum virus sub modestia religiosæ venerationis occultum, in medium proferre nos convenit; ut et malum quod sub opinione verborum simplicium latet, deprehendatur, et mendacio detecto veritas interclusa respiret. Destruenda sunt enim aliena, ut nostris credatur; nostris autem, nisi ea fuerint destructa, ut solis credi debeat, nonnisi credendum video. Igitur ante hæresim zabolica fraude cæcatam proferre in conscientiam publicam possim; tamen dum de ipsa mihi sermo est, dans fidei meæ pignus, catholicum me probabo; probatum quidem ut spero Deo primum, dein conscientiæ meæ : sed et his probandum, quos aut metus aut sæculi ambitio non vicerit.

II. Incipientes igitur ab ipso capite perfidiæ, non fidei, ac deinceps per totum corpus decurrentes, probabimus multa per fraudem communis professionis, quæ scilicet

nec recipere possumus : nonnulla vero sine ulla pudoris similitudine esse congesta. Nam et unus Deus non sine fraude proponitur, nec duo simpliciter negantur; nomen vero substantiæ idcirco penitus juratur, ut scindatur a Patre Filius. Denique nativitas ejus referatur ignota, quæ si, ut est ex Patre, ita credatur, ipsa sui confessione satis nota est. Major Pater Filio dicitur, non tamen ea differentia, qua Filio Pater major est, sed omnibus divinæ gloriæ bonis major; quibus si minor est Filius, nec ipse esse in Patre dabitur, quia nihil in semetipsam recipiet æterna ejus beatitudo, nisi proprium. Non autem proprium Dei, nisi plenum atque perfectum; nec rursum in eo Pater esse dignabitur, in quo totus esse non possit. Habere initium Pater negatur, hoc ideo, ut Filius non ad auctorem, sed ad tempus habere credatur. Puto autem, cui initium sic ascribitur, fini obnoxius non negetur. Subjectus deinde Patri Filius dicitur; non tamen ut Filius Patri, sed ut servus domino, cum legamus servum hæredem esse non posse. Denique cum omni creatura subjectus Deo refertur, invisibilis, immortalis Pater nuntiatur, ut scilicet in contrariis eorum Filius jaceat. Si hæc igitur singula non humana præsumptione, sed auctoritate divina loqui refellimus, consequens erit in ea parte catholicam fidem stare, quæ talem recipit Deum, qualis debet esse qui Deus est.

III. Unum, inquit, constat Deum esse. Videri quidem non possunt calumniantibus conjecturis argumentari, et sanctitatem fidei simplicis maligna interpretatione torquere. Sed respiciendum ad Ursacium, et Valentem, et Potamium, quia sæpenumero iisdem verbis unicum Deum subdola fraude confessi sunt. Nihil simplex in hac fidei professione suscepi, quæ prima fronte ad decipiendos imperitos, credulos, incautos, hæretica subtilitate blanditur;

pari modo quo veneni poculum mella commendant. Unum, inquit, constat Deum omnipotentem Patrem. Nemo nostrum abnegat, quia nemo ignorat; sed (ut probari ipsorum tractatibus potest) dicimus illos hoc loco non tam unum Deum professos, quam unum Patrem omnipotentem. Namque et eadem constantia Filium nolunt, et Deum tamen Filium confitentur. Puto suscepisse alterum non negabunt; et idcirco integrum illis est in hac sua perfidia, non fide, unum Deum Patrem, quam unum Deum dicant. Quanquam in omni professionis suæ corpore sic ipsum Dominum nostrum non negant, ut Deum destruant, hoc est, ut tantum nomine Dei dicant, quo nomine etiam nos appellari soliti sumus. « Ego, inquit, dixi : Vos dii estis [1]. » Quo nomine et Moyses ante donatus est : « Faciam te, in- » quit, Deum Pharaoni [2]. » Ne quis ergo putet his verbis perfici catholicam professionem, si et unum Deum Patrem confitemur, et Deum Filium non negamus. Potest enim et Deus Pater sic unus Deus dici, ut sit unus Pater, non Deus unus. Potest et sic Filius Deus dici, ut Deus non sit.

IV. Duos, inquit, Deos nec posse, nec prædicari debere scimus. Hoc nec unquam ex ore nostro duos deos proferimus; Deus enim si non unus et verus est, Deus non est. Sed advertendum est qua istud definitione ponatur, cui perfidiæ paretur hoc totum, in quod piaculum communia nobiscum verba prorumpant. Statim enim cur duos deos negaverint ponunt : Quia ipse Deus ait : « Vado ad Patrem meum et » Patrem vestrum, ad Deum meum et ad Deum ves- » trum [3]. » Qua definitione malæ interpretationis in tantum a Patre Filius separatur, et infra omnipotentem Deum ponitur : ut nobis et nativitatis conditio, et humanitatis infirmitas societur. Denique subjungunt Deum omnium; Unus est Deus, quo dicto Dominus non Deus absolute denega-

[1] Psal. LXXXI, 6. — [2] Exod. VII, 1. — [3] Joan. XX, 17.

tur. Deo etenim Patri non Filii nomine, sed creaturæ conditione subjicitur. Et credo, hoc loco auctoritas apostolica vindicabitur, ut Deus Christus dicatur potius quam sit : quia dixerit : « Et donavit illi Deus nomen quod super » omne nomen est [1]. » Sed et ipsius Domini negantis esse se Deum verum, cum dicit : « Hæc est vita æterna, ut cognos- » cant te solum et verum Deum [2]; » et Quid me, inquit, » dicis bonum? Nemo bonus nisi unus Deus [3]. » Adhuc audies : Cur honorem ab uno et solo Deo non quæritis [4]. » De die autem et hora nemo scit nisi Pater solus [5]. » O duces cæci! o sæculi ambitione decepti! non distinguentes dominicæ potentiæ duplicem statum, in sua unumquemque proprietate distantem; et quidquid de homine ejus dictum est, Deo applicatis, ut ipse Deus homini imbecillitate societur.

V. Et idcirco duplicem hunc statum, non conjunctum, sed confusum vultis videri, ut etiam unus vestrum, id est, Epistola Potamii, quæ ab oriente et occidente transmissa est, qua asserit, carne et Spiritu Christi coagulatis per sanguinem Mariæ et in unum corpus redactis, passibilem Deum factum. Hoc ideo ne quis illum ex eo crederet, quem impassibilem satis constet. Fecistis igitur de Spiritu Dei et carne hominis nescio quid tertium; quia nec vere etiam Deus est, si Verbum esse desinit (caro enim factus est) neque vere homo, quia non proprie caro, fuit enim Verbum, ac si ex utroque jam neutrum est, ille, inquam, ille qui contra hoc venenum utramque substantiam suam affectus proprietate distinxit. Nam et Spiritus in illo res suas regit, id est, virtutes et opera et signa : et caro passionibus suis functa est. Cibum desideravit, cum tentaretur a zabulo; sitivit ad puteum Samariæ, cum Prophetæ vox sit : Deus æter-

[1] Philip. II, 9. — [2] Joan. XVII, 3. — [3] Luc. XVIII, 19. — [4] Matth. XXIV, 36.

nus neque sitiet neque esuriet. Quid adhuc de hominis affectu flevit Lazarum et Jerusalem? Postremo anxius fuit ad mortem. Sed quod expressit affectu, numquid non testatus est verbis? Ait enim Nicodemo : « Quod de carne » natum est, caro est, et quod de Spiritu, Spiritus [1] : » et « Caro, inquit, infirma, spiritus promptus est [2]. » Non ergo fit Spiritus caro, nec caro spiritus, quod isti volunt egregii doctores, ut factus sit scilicet Dominus et Deus noster ex hac substantiarum permixtione passibilis. Ideo autem passibilem volunt dici, ne et impassibilis credatur.

VI. Sed quid necesse est altiora scrutari, et virus internum per argumenta prodiens communi exponere et publicare judicio, cum lucifuga serpens per anfractus evolvens seriem suam tortuoseque procedens, qualis quantusque sit aliquando prodiderit, et venenum prius solito solitus aspergere libertate, victoriis totum pariter effuderit? Ab episcopis procedit edictum : Nemo unam substantiam dicat : hoc est : Nemo in Ecclesia prædicet Patris et Filii unam esse virtutem. Quid egistis, o beatæ memoriæ viri, qui ex omnibus orbis partibus Nicæam congregati, et sacris voluminibus pertractis, perfectam fidei catholicæ regulam circuminspecto sermone fecistis, dantes bene credentibus communis fidei dexteras, errantibus vero formam credendi? En labor vester, en anxia sollicitudo quo recidit, qua orientis mali semina, quantum in vobis tunc fuit, professione catholica necavistis? Vetatur in Ecclesia prædicari, quod solum sanxistis ob hæreses detegendas debere in Ecclesia prædicari. Tollitur quod probastis, et quod damnastis inducitur : quia mendacium astrui, nisi destructa veritate non poterat. Destructioni quidem illa non subjacet, et ut est semper incorrupta durabit, sed manus sibi sacrilegas inferentes, tanquam violatam punivit.

[1] Joan. III, 6. — [2] Matth. XXVI, 14.

VII. Nemo unam substantiam dicat. Quod piaculum, quod facinus in hoc verbo, qua ex parte catholicam fidem pulsat? utrum-ne sono vocabili, an interpretatione rei ipsius? Nihil fallor, interpretatio caret culpa. Substantia enim dicitur id quod semper ex sese est: hoc est, quod propria intra se virtute subsistit, quæ vis uni et soli Deo competit. Usitatum vero et familiare divinis voluminibus hoc nomen nec ipsos puto ignorare qui negant. David enim ex persona Christi : « Infixus sum in limo profundi, et non » est substantia[1]. » Et rursum, « Substantia mea in inferio- » ribus terræ[2]. » Et « Substantia mea ante te est semper[3]. » Et « Substantia mea tanquam nihilum ante te[4]. Scrutetur » fœnerator substantiam ejus[5]. » Sed et Salomonis sententia, « Substantiam, inquit, tuam et dulcedinem tuam[6]. » Et Jeremias, « Si stetissent in substantia mea[7]. » Et in Proverbiis, « Substantia divitis, civitas munita[8]. » Et in eodem, « Domum et substantiam dividunt patres filiis[9]. » Sed et Tobias, « Si fuerit, inquit, tibi copiosa substantia[10]. » Et idem, « Fili, ex substantia tua fac eleemosynam[11]. » Sed et Joannes : « Qui habuerit substantiam mundi[12]. » Et in Evangelio : « Ecce, inquit, dimidium do ex substantia mea[13]. » Ideo hæc in unum exempla congessimus, ne sermo ille caperet indoctos, quod testati sunt, idcirco substantiam non prædicatam, quia in divinis Scripturis nusquam inveniretur. Ergo si neque ipsum vocabulum substantiæ sacris Litteris novum est, neque interpretatio ejus habet crimen, superest ut despiciamus qua ex causa repudietur hoc nomen. Despicientes autem, invenimus illos non nomen, sed nominis repudiare virtutem. Quod si relucebit, erit apud

[1] Psal. LXVIII, 3. — [2] Id. CXXXVIII, 15. — [3] Id. XXXVIII, 8. — [4] Ibid. 6. [5] Prov. X, 15. — [6] Prov. III, 22. — [7] Jerem. XXIII, 22. juxta LXX. — [8] Id. CVIII, 11. — [9] Id. XIII, 22. — [10] Tob. IV, 9. — [11] Ibid. 7. — [12] Joan. III, 17. — [13] Luc. XIX, 8.

nos intuitus nominis status, erit et illorum sensus in vitio, qui dum novellas profanæ intelligentiæ vias quærunt, a recto Evangeliorum limite recesserunt.

VIII. Prius tamen quam astruo quod spopondi, occurrendum est illis quæ in contrarium proponuntur. Aiunt enim inveniri quidem in divinis voluminibus nomen substantiæ, sed non statim pertinens ad eamdem speciem quæ inducatur a nobis. Ibi enim per substantiæ vocabulum, aut virtutem, aut Divinitatem significari. Et nos ergo unam Patris et Filii substantiam vindicantes, quid aliud quam in utroque pares divitias, unius scilicet Divinitatis prædicamus? De quibus divitiis ait Apostolus: « Notas, inquit, fecit » Deus divitias gloriæ suæ[1], » quod est Christus. Et unam utriusque dicimus esse virtutem, de qua idem Apostolus ait: « Christus, virtus Dei est[2]. » Quæ quidem virtus, quia nullius extraneæ opis indiget, dicta substantia est, ut supra diximus, quidquid illud est sibi debens. Nihil ergo in hoc vocabulo novum, nihil extraneum dicimus, nihil incongruum Divinitati, etiam in quamvis partem significantiæ transferatur. Sed (ut cœperam dicere) omnis ista quæstio nominis, alterius est doloris : nec vocabulum, sed vis vocabuli displicet. Quibus enim accipere auribus possint unam Patris et Filii substantiam prædicari, hoc est, honorem, dignitatem, claritatem, virtutem, majestatem pari in utroque veritate communem; qui a Patre Filium separant, et divisis substantiis in sua unumquemque proprietate degentem, repudiata Divinitatis communione proponunt? Hic ergo blasphemiæ, hic dictus sacrilegus dolor, quo in Patre et Filio recipitur Deus unus. Mortuis enim auctoribus hujus veneni, scelera tamen eorum et doctrina non moritur. Illis inquam auctoribus in tantum a Patre separantibus Filium, ut ore sacrilego protulerint, Filium Dei ante

[1] Coloss. I, 27. — [2] 1 Cor. I, 24.

sæcula quidem creatum et fundatum, sed vivere et esse a Patre suscepisse : et fuisse antequam nasceretur, et Deum quidem esse, sed non esse verum Deum. Successoribus igitur hujus perfidiæ, non fidei, per quos malorum serpit hæreditas, merito una substantia displicet, quam tolli velut scandalum et unitatis divortium postulant, ignorantes illos tantum Catholicos esse dicendos, qui in hujus professionis communione concordant.

IX. Illud autem quis ferre æquanimiter possit, ut quem initium habere pro certo asserunt, hujus nativitatem habeant in incertum? Aut utrumque in occulto habendum est, quia contemporale est : aut utrumque esse cognitum debet. Alterum enim neque nosci, neque ignorari sine altero potest. Habet, inquit, initium Filius, sed est ejusdem occulta nativitas. Non est iniquum, quis prodidit de nativitate? cur tacuit? Imo ipsa nativitas unde nota, quæ asseritur ignota? Sed hoc loco homines omni spe bona vacui præscribunt Prophetæ auctoritati dicentis : « Nativitatem » ejus quis enarravit[1] ? » non intelligentes jam tunc eos prophetali spiritu esse prævisos, qui daturi erant initium Dei Verbo, hoc est, Dei Filio. « Nativitatem, inquit, ejus quis » enarravit? » hoc est dicere : Nemo hominum poterit. Nemo enim potuit præter ipsum, qui sinum patris edisserens, principaliter nobis secreta nativitatis suæ revelavit. Nam, et legimus ad eamdem speciem dictum esse; « Quis » cognoscit sensum Domini[2] ? » Sed rursum docemur, « Nisi » spiritus qui in ipso est[3]. Nativitatem ejus quis enarra- » vit? » hoc est dicere; Nemo audeat enarrare quod non potest. Cur autem nemo poterit? Quia scilicet non solum ex eo et cum eo, sed et in eo est qui caret nativitate. Genitus enim ab ingenito, his divinæ gloriæ bonis natus est quæ penes ingenitum erant, et penes eumdem ingeni-

[1] Isaï. LIII, 8. — [2] Rom. XI, 34, et 1 Cor. I, 16. — [3] 1 Cor. I, 11.

tum desivit Pater habere quod genuit, eumdem in semet-ipso habendo quem genuit ? Hujus igitur nativitas ideo inenarrabilis nuntiatur, quia per ipsam inconceptus est, sed perfectus ex Deo Patre Filius Deus est, quia secundum Scripturas de Filio diximus, « Ex eo, et cum eo, et » in eo[1]. »

X. Ne quis significationum varietate turbetur, reddenda est ratio dictorum : et ne proposita confundantur, reddenda compendio. « Ex eo, » auctorem : « Cum eo, » ad unigenitum : « In eo, » ad nativitatem substantiæ respicit. Hoc auditur in omnibus. Tene divinæ dispositionis mysteria. Satis nosti. « Nativitatem, inquit, ejus quis enarravit? » Quis enim possit secundum naturam enarrare nativitatem quæ contra naturam est? Hic enim solus est natus, nativitatis suæ conscius. Hic enim qui cui bona pararentur, intelligens per naturam originem, Patri inerat, ipsa illa conditione qua natus est. « Nativitatem, inquit, ejus quis » enarravit? » Et subjungunt nulli hanc proditam, quia soli scilicet et Patri nota sit. Hoc est dicere sine subtilium fraude verborum : Genuit quidem Filium Pater, sed nemo scit unde. Nam et similiter Judæi dixerunt : « Nos scimus » quod Moysi locutus est Deus : hunc autem nescimus unde » sit[2]. » Quamvis enim aliquando nobiscum faciant communione verborum, et nonnulla videantur dicta simpliciter infamia hæreticæ pravitatis aspergere, tamen quia fere eorum veniunt adversus fidem veram, necesse est secundum plura intelligi pauciora, præsertim cum si quid receptum fuerit contra fidem veniens, totius fidei damnum sit. « Nemo scit, inquit, quomodo genitus sit Filius, nisi Pater » solus[3]. » Quid ergo sibi vult illa sententia, quia hoc Dominus ignorare nos nolens : « Ego, inquit, de Patre exivi, » et de sinu Patris[4] ? » Proh dolor! Cur sectantes ignoran-

[1] Rom. xi, 36. — [2] Joan. ix, 29. — [3] Id. i, 18. — [4] Id, xvi, 27, 28.

tiæ tenebras ignorare nos noluit? et utique noluit, ut auctore nobis cognito, status sui quæstio tolleretur. Non enim erat quærendum, quis, quomodo, vel qualis esset, cum unde esset nosceremus. Sed si hoc loco ipsius Domini sententia id confirmatum esse proponitur, dicentis scilicet : « Nemo novit Patrem nisi Filius, nec Filium quis no» vit nisi Pater[1]; » audient a nobis, ne fraudem faciant divinæ definitioni. Sequitur enim : « Et cui voluerit Filius » revelare. » Non est enim penitus occultum quod non potest revelari. Revelatur enim, si dignus revelatione quis fuerit.

XI. Jam ergo hæc notitia secreti causa non regitur, quæ revelatur ex causa, et consequens est ut nos indigni cognitione, non iniquus habendus sit Deus qui ignorantiam punit, non autem puniret, si scientiam non dedisset. Dedit enim per Spiritum sanctum. Denique, « Spiritus, inquit, » veritatis enarrabit vobis omnem veritatem[2]. » Cum dicit omnem veritatem, certe nihil excipit. Hic est Spiritus notitiæ et veritatis, per quem Salomon de dominica nativitate : « Quid sit, inquit, et sapientia, et quemadmodum » facta sit, referam, et ab initio nativitatis investigabo » eam[3]. » Ergo per eumdem Spiritum possumus invenire quod quærimus. Nam et Apostolus : « Revelavit nobis, in » quit, Deus per Spiritum suum. Spiritus enim omnia scru» tatur, etiam alta Dei[4]. » Nemo scit quæ sunt in Deo, nisi Spiritus Dei : quem Spiritum, si in nobis habitare idem Apostolus probat, possumus ergo per eumdem Spiritum, Dei nos inserere secretis : Et sane, « Quærite, inquit, et » invenietis : petite, et dabitur vobis : pulsate, et aperietur » vobis[5]. » Et rursum : « Pater quæ abscondisti a sapienti» bus, revelasti ea parvulis[6] : » nobis utique, ad quos Domi-

[1] Matth. xi, 27. — [2] Joan. xvi, 13. — [3] Sap. vi, 24. — [4] 1 Cor. ii, 10. — [5] Matth. vii, 7, et Luc. xi, 24. — [6] Matth. xi, 25.

nus : « Vobis, inquit, datum est nosse mysterium Dei[1], » illud utique mysterium de quo Apostolus : « Quod ante, » inquit, non fuit notum filiis hominum, nunc revelatum » est sanctis ejus[2]. » Revelatum plane. Ostendit enim eminentes divitias gloriæ suæ, in bonitate super nos Christo, qui ipse est gloria Dei Patris. Ipse vera progenies Ingeniti. Hoc est : Nemo scit quomodo genitus sit Filius. Nemo utique, sed ex his in quibus, ut ait Dominus, « Verbum ejus » non capit : » sicut nec Judæis, ad quos idem Dominus ait : « Vos, inquit, ignoratis unde veniam, et quo eam : » quia secundum carnem judicatis[3]. » Quomodo enim nemo, si Pater dicit : « Eructavit cor meum verbum bo- » num[4] ? » Quomodo nemo, si Filius ait : « Ego ex ore Altis- » simi prodivi[15]. » Noli quærere amplius, et non habes quod requiras, nosti enim totum, quia quod dicitur totum est. « Ex ore, inquit, Altissimi prodivi. » Hæc est enim nativitas perfecta Sermonis, hoc est, principium sine principio. Hic est ortus habens initium in nativitate, in statu non habens. Ex Deo enim innascibili Deus nascibilis exivit, unus ab uno, verus a vero, plenus a pleno : ac sic nascendo in his quæ erant semper, non cœpit esse quod natum est de non conceptis, nec habet tempus quod est intemporali Patri congenitum per naturam. Scriptum est enim : « Deus spiri- » tus est : et ex Deo natus est æternus[6]. » Ut ergo ejus naturæ, qua constat æternitas. Non igitur imperfectus Filius, licet natus, quia natus est a perfecto : Nec imminutus ille qui genuit, quia genuit de semetipso. Totus enim dedit totum, ut secundum Spiritus virtutem totus esset in toto.

XII. Sed jam se mali doctores intra artis suæ secreta non continent, et adversus veritatem, et ipsa veritate consistunt, habentes cornua ut agni, et loquentes tanquam

[1] Matth. XII, 11. — [2] Ephes. III, 5. — [3] Ibid. 14, 15. — [4] Psal. XLIV, 2. — [5] Eccli. XXIV, 5. — [6] Joan. IV, 4.

dracones. Volentes igitur a Patre Filium scindere et infra Deum ponere, de Evangelio præscribunt : « Pater, inquit, » major me est[1], » et quomodo major, statim hæretica præsumptione definiunt? Honore, claritate, dignitate, majestate. Quod si ita est, cur jubetur ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem? Quod si ita est, ergo quotidie blasphemamus in gratiarum actionibus, et oblationibus sacrificiorum, communia hæc Patri et Filio confitentes; quia scilicet non potest Filius non totum habere quod Patris est, cum ipse totus in Patre sit. Denique Joannes ait : « Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Filius, » qui est in sinu Patris[2]. » Et ideo inquit : « Omnia tua mea » sunt, et mea tua[3] : » et, « Nihil potest Filius facere a se» metipso[4], » et, « Non veni voluntatem meam facere, sed » ejus qui me misit[5]. » Quod utique non infirmitatis confessio est, sed unitatis assertio. Dixerat enim et contra infirmitatem et pro unitate : « Qui me misit, mecum est, et » Pater in me manens, facit opera sua[6] : » et, « Verba quæ » loquor, non sunt mea, sed Patris[7]. » Quidquid ergo detrahitur Filio, derogabitur et Patri. Nam nihil alter sine altero facit : quia esse alter sine altero non potest. Nec Filius est Filius, nisi Patrem habet : nec Pater Pater, nisi habens Filium. « Pater, inquit, major me est. » Sed plenitudo ejusdem Divinitatis in Filio est. Denique Apostolus, « Quotquot, inquit, promissiones Dei sunt, in illo EST[8]. » Numquid ergo obsequia Filii Divinitatis statum solvunt? Solvitur enim in Christo omne quod Deus est, si majestatis alterius accipitur : Alterius autem erit, si majestate Pater major est. Quæ quidem majestas, quia una est, unius scilicet Dei, non potest non esse perfecta : imperfecta, inæqualis est; inæqualis autem, si altero minor est.

[1] Joan. XIV, 18. — [2] Id. I, 18. — [3] Id. XVII, 10. — [4] Id. V, 19. — [5] Id. VI, 38. — [6] Ibid. 29. — [7] Id. XIV, 10, et VII, 6. — [8] 2 Cor. I, 20.

XIII. Sed in hoc loco illud vobis applaudet quod Matthæus refert, Filium hominis, quasi privatum scilicet et minorem, legite in eodem Matthæo, Filium esse venturum in majestate Patris[1], de quo adventu et Lucas : « Cum ve» nerit, inquit, Filius hominis cum gloria sua et Patris[2]. » Non tam ergo a vobis minor majestate Filius dicitur, cum hoc dicitur, quam Deus negatur. Ille, inquam, ille de quo Salomon ait : « Splendor est lucis æternæ, et speculum sine » macula Dei majestatis[3]. » Plane speculum sine macula. Custodit enim Dei vultus, et figuram fideliter exprimens, plenam Patris imaginem reddidit. Et quid amplius de statu ejus, in quo se Dominus Christus agnovit? « Pater, inquit, » major est me. » Merito major, quia solus hic auctor sine auctore est. Denique Apostolus de Filio : « In ipso, inquit, » habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter[4]. » Ergo ut Filius in Patre : ita et Pater perfectus in Filio est. Denique dicens Dominus noster proficisci a Patre Spiritum sanctum, subdidit : « De meo accipiet[5]. » Sicut Joannes cum dixisset : « Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat » apud Patrem[6], » addidit : « Hæc vita in Filio ejus est[7]. » Ac si cum ambo et alteruter perfecti sint, unus tamen perfectus Deus est in duobus. « Pater, inquit, major me est[8]. » Merito major, quia non ipse descendit in Virginem, quod Sabellius noluit, apud quem Pater et Filius ambo non sunt, hoc est, duum nominum una persona, cum Patris vocem audierit per Isaïam : « Ecce Filius meus quem ego elegi, » ponam Spiritum meum super eum[9]. » Ac deinceps per eumdem Prophetam loquentem Filium recognoscat, « Spi» ritus Domini super me propter quod unxit me[10]. » Quam hæresim Dominus prævidens : « Non creditis, inquit, quia

[1] Matth. xxv, 31. — [2] Luc. xxi, 27. — [3] Sap. vii, 26. — [4] Colos. ii, 9. — [5] Joan. xvi, 14. — [6] 1 Joan. i, 2. — [7] Ibid. ii. — [8] Ibid. iv. — [9] Isaï. xlii, 1. — [10] Id. lxi, 1.

» ego in Patre et Pater in me ? » Certe non dixit: « Ego sum » pater, et ego in me : » sed, « Ego in Patre et Pater in » me[1] : » quo dicto duas hæreses elisit, Sabellianam scilicet et Arianam. Patrem et Filium non esse unam personam ut Sabellius : aut duas substantias, ut Arius, sed (ut fides catholica confitetur) unam substantiam et duas docuit esse personas.

XIV. Sed quid argumentis opus est ? cum ipse Dominus pronuntiaverit definitiva sententia ? « Quæcumque Pater » facit, eadem et Filius[2], » quomodo eadem, si aspirare ad summam paternæ illius gloriæ non potest ? Imo quia potest, recte Joannes : « Sine ipso, inquit, factum est nihil. » Et ipse Dominus : « Ego, inquit, et Pater unum sumus[3]. » Unum utique per naturam, quia quod erat in Filio hominis, et in Patris sinu manebat. Denique : « Et me, inquit, » nostis, et nostis unde sim, et non veni a me, sed est ve» rus qui me misit, quem vos nescitis. Ego novi eum, quia » apud illum sum, et ille me misit, et, solus, inquit, non » sum, sed ego et qui me misit, Pater, et sicut me novit » Pater, et ego novi Patrem[4]. » Nescio autem an nosse potuerit Patrem Filius, si initium sortitus est Filius. Genitus enim nosse non potuit ingenitum, antequam genitus est. Jam ergo non sic Patrem novit, ut notus a Patre est, et ascribendum ei mendacium (quod in Domino cadere non debet) et merito ascribendum, si assertio ejus ratione non steterit. Non stabit autem nisi ille est, et qui non solum exivit a Patre, sed in Patre et est, et fuit semper. « Omnia, » inquit, tradidit Pater in manu ejus[5]. » Quomodo omnia, nisi et omnis temporis ? Quomodo autem omnis temporis, si initio non caret ? Quamlibet enim ante omne tempus natum dicatis, tamen quia vultis eum aliquando cœpisse

[1] Joan. XIV, 10, 11. — [2] Id. V, 19. — [3] Id. X, 30. — [4] Id. VII, 28, 29. — [5] Id. III, 35.

qui natus est, nec fuisse quod factum est, nescio quomodo defendatis omnia illum a Patre et omnis temporis consecutum.

XV. Subjectus, inquit, Patri Filius cum omnibus his, quæ ei ipse Pater subjecit. Quod venenatum virus exquisitorum verborum velamine tegitis. Nos quæ audivimus a patribus nostris, constanter prædicamus, et vos ergo doctrinam patrum vestrorum deserere nolite. Illi, inquam, libere Deum gloriæ cœlestis non Deum verum esse, sed creaturam Dei perfectam esse dixerunt. Vos tamen idem sentientes abrupta blasphemia, verba vitantes, ambigua sectamini ad decipiendos simplices et incautos. Subjectum enim Patri Filium, non Patris vel Filii nomine, ut sancta et catholica dicit Ecclesia, sed (ut supra diximus) creaturæ conditione profitemini. Dicentes enim : Cum omnibus his quæ illi Pater subjecit, Patri Filium esse subjectum, nonne ipsum in creaturarum ordine, quæ ex tempore sunt institutæ, numeratis ? Nihil enim secundum vos omni creatura amplius habet Deus et Dominus noster, nisi quod primus in numero est, nisi quod ei etiam illa serviunt cum quibus servit. Servus enim et ipse, si servit, et licet nonnullorum Dominus, sed Dominus voluntate, si voluntate Domini Dominus effectus, hoc ipso serviens, quod jussus est imperare. Hoc est illud quod vos occulte, et patres vestri cum libertate dixerunt : Filium Dei sine tempore editum a Patre, et fundatum non prius quam nasceretur. Quæ ista est, rogo, cordis hebetudo ? quæ oblivio spei ? Imo quæ tam amens et blasphema confessio Deum dicentis, quem omnibus his quæ ex nihilo facta sunt, comparastis ? Hoc est et Filium falso nomine Divinitatis illudere, si esse verbo dicitur, quod corde negatur? et Deum Patrem mendacem notare, dicentem scilicet : « Ego sum qui sum [1] : »

[1] Exod. III, 14.

Et, « Ego sum Dominus solus [1], » et, « Claritatem meam » alteri non dabo [2], » et, « Audi Israël, Dominus Deus » tuus, Deus unus est [3], » et, « Nomen meum non quæras, » Deus nomen est mihi. » Si ergo unus Deus, uni hoc competit nomen. Unus autem jam non erit, nisi in Patre Deo Filius Deus sit? et merito Dominus juxta Prophetam, qui dixerat: « Benedictus qui venit in nomine Domini [4]. » Ego, inquit, veni in nomine Patris mei [5]. » Quod nomen Patris, nisi Dei nomen et Domini? quod Joannes in Filio recognoscens: « Qui est, inquit, et qui erat, et qui ven- » turus est omnipotens [6]. »

XVI. Patrem inquit initium non habere. Hoc est dicere Filium habere. Nam quæ necessitas id de Patre asseverare quod notum est, nisi præjudicium ejus opinionis quæ de Filio paria suscepit? Patrem, inquit, initium non habere. Quis negat? Sed puto et imago invisibilis et ingeniti Dei non potest cœpisse post Deum. Denique interroganti Moysi quis esset respondit: « Ego sum qui sum semper [7]. » Erat enim semper qui est et erit semper. De quo Joannes; « Quod erat ab initio, oculis nostris vidimus [8]. » Et rursum: « Annuntiamus vobis vitam æternam quæ erat apud Pa- » trem [9], » utique et in Patre: Nam quod ex ipso erat, extra ipsum esse non poterat. Et sane cum dicitur: Erat in ipso tempus, non ipse fuisse in tempore nuntiatur. Æternæ enim substantiæ vis non facta est a Deo, sed egressa a Deo, ideo, « Et ego, inquit, a Patre exivi [10]: » et, « Ego et Pater unum » sumus [11]: et qui me videt, videt et Patrem [12]»: et, «Ego in » Patre, et Pater in me, » et; « Qui me misit mecum est [13]. » Ideo et David: « Tecum principium in die virtutis tuæ [14]. »

[1] Isaï. XLIII, 11. — [2] Id. XLII, 8, et XLVIII, 11. — [3] Deut. VI, 4. — [4] Psal. CXVII, 26. — [5] Joan. V, 43. — [6] Apoc. I, 8. — [7] Exod. III, 14. — [8] 1 Joan. I, 1. — [9] Ibid. 2. — [10] Joan. XVI, 28. — [11] Id. X, 30. — [12] Id. XIV, 9. — [13] Ibid. 10, et VIII, 29. — [14] Psal. CIX, 3.

Dei enim Verbum, hoc est, Dei Filius, ante omne principium cum eo qui ex eo, et in eo cui nullum potest esse principium. Invenimus quidem dixisse Salomonem ex persona Sapientiæ (quam Christum esse defendimus) « Dominus condidit me, et ante sæculum fundavit me, et »prior abysso genita sum[1]. » Sed non ideo credendum est Deum factum. Nam si factus est, non fuit: si non fuit, non erit. Et quomodo Deus, cui, ne Deus sit, utraque conditio præscribitur? Ideo autem Sapientia Dei nata et condita nuntiatur, ne quid præter ipsum Deum Patrem, qui est etiam suis origo virtutibus, crederetur in natura. Exinde enim recte diceretur; Ex ipso, et in ipso creata Sapientia, ex quo effulsit ab eo unigenita et beata nativitas. Qui ergo probaverit sine Verbo, sine sapientia, sine ratione, sine virtute, sine Spiritu aliquando Patrem fuisse, is probavit cum Patre et in Patre Filium ante omne principium non fuisse. Tamen nescio si his virtutibus carens Pater possit Deus dici. Non modo enim Deus qui in sua æternitate perfectus est, sed nec creatura quidem ulla secundum suum genus non consummata constabit. Non potest enim quid esse, quod non sit; non erit autem, si id illi defuerit quod esse debebit. Totum igitur defuit Patri, si aliquid defuit de toto. Defuit autem, si Filius suus, hoc est virtutum suarum plenitudo, initio non caret, et necesse est hanc opinionem alterutram blasphemiæ partem profana et sacrilega finitione transire. Aut enim Pater credendus est cum Filio suo initium fuisse sortitus, quia sine Filio, hoc est, sine virtutibus suis, esse non potuit, et erit auctor huic illorum initio nescio quis tertius Deus, aut si solus ipse sine initio dicitur usque ad Filii generationem, imperfectus fuisse dicendus est. Imperfectus enim, si cœpit habere quod ante non habere voluit. Is omnia autem habere debuit semper,

[1] Prov. VIII, 22-24.

qui semper debuit esse perfectus, quia non recipit augmentum quidquid occupaverit totum.

XVII. Patrem inquiunt initium non habere, invisibilem esse, immortalem esse, impassibilem esse. Hæc ideo proponunt ut contraria his Filio ascribant. Quidquid enim de Patre negant, de Filio confitentur, qui si habere initium probatur, merito mortalis, merito passibilis. Præjudicatum quidem esse deberet, et cætera passionum genera in Filium non convenire, prima propositionis specie destructa, quæ initium dabat Dei Verbo. Ne quid tamen diffidentia præ cæteris quæ sunt profane proposita, retractemus. Nam ut initium non habenti, ascribi cætera quæ sunt huic definitioni subjecta, non possunt; ita si uni eorum affinis deprehenditur, æquum est etiam illa quæ fuerant defensa, dissolvi. Invisibilem inquit Patrem esse. Quasi vero usquam inveniamus vel Filium sine transfiguratione fuisse visibilem, antequam Patri obediens fieret ex æternitate corporeus. Quamvis enim et Abrahæ visus sit, et Jacob, et Moysi, et Isaïæ, et Ezechieli, tamen visionis illius qualitas explicatur. In somno enim et in speculo et in ænigmate visus refertur. Denique et Moysi postulanti ut cognoscenter eum videret: « Nemo potest, inquit, faciem meam videre : quia nemo, » qui eam viderit, vivet[1]. » Ergo hoc loco aut Patrem locutum fuisse contendant, qui invisibilem esse se dicit : aut si Filium non negant, hunc locutum sciant, et illum suo nomine invisibilem fuisse, ut Sermonem, ut Spiritum. Invisibilis Deus denique quomodo visus sit, eadem Scriptura testatur. Refert enim locutum cum eo Deum, tanquam ad amicum, facie ad faciem. Ac deinceps subjungit postulasse Moysem, ut faciem ejus videret, quam utique si viderat, non statim postulasses videndam. Ait quidem Jacob : « Vidi » Dominum facie ad faciem, et salva facta est anima mea[2] : »

[1] Exod. xxxiii, 20. — [2] Gen. xxxii, 30.

sed quomodo eam faciem videndo salvatus est, quæ, si videatur, occidit? Quomodo et Dominus ostenderat faciem suam, quam videri non posse postmodum dixit, nisi illa conditione qua supra diximus, in speculo scilicet et in ænigmate, in somnio et visione? Hoc est ergo, illam visibilem materiam assumpsisse cum placuit, statim vero invisibilem perseverare, quia necesse est, si visibilis docetur, non ex eo illum esse quem invisibilem confitemur.

XVIII. Sed hanc assertionem, ut quæstionibus Testamenti Veteris expediant, de Novo Testamento sumunt confirmationem. Ait enim Dominus et Deus cum de Patre loqueretur, nulli Patris imaginem visam [1] : quod si imago Patris ipse est Filius, ut Apostolus probat, negat visibilem fuisse, dicendo nulli Patris imaginem vīsam [2]. Et ideo, « Nec me, inquit, nostis neque Patrem meum [3]. » Et hic certe duos confirmat ignotos, tam autem duos quam inseparatos. Nam si ipsum nossent, et Patrem nossent; quia per individuitatem neque sciri neque ignorari alter sine altero poterat. Similis igitur de mortali et passibili ratio subsequitur. Nam si neque initium habet Filius, utpote qui semper in eo et fuerit et sit, cui initium non datur; neque visibilis, qui in sinu invisibilis perseverat; jam nec mortalis nec passibilis habendus est, ex ea tamen substantiæ parte qua Deus. Scimus enim nihil Spiritum Dei passum, duntaxat suo nomine, quia impassibilis Deus, quia « Deus spiritus [4]. » Scimus quod omnis illa passio proprie carnis et animæ, id est, hominis, in quo quidem homine cum pateretur erat et Filius Dei cohærens illi per naturam (a quo venerat) Patri, et unitatis vinculum servans, in terris hominem gestabat, nec aberat a cœlis. Sic mediator dictus, sic sequester utriusque substantiæ. Non ergo passibilis Dei Spiritus, licet in homine suo passus,

[1] Joan. I, 18. — [2] Hebr. I, 3. — [3] Joan. VII, 19. — [4] Id. IV, 24.

quem ideo nec in passione deservit, ut ei pati posse præstaret, quod nisi ita recipitur, fidei nostræ ratio non stabit, dantis scilicet ei hominis infirmitatem quem Deum non negant. Nam si et initium habens dicitur, et visibilis docetur, et mortalis inducitur, non video ab homine quid distet, in quem regnant hujusmodi passiones.

XIX. Confitemur, inquiunt, Filium Dei, Deum ex Deo, lumen de lumine. Videri quidem sacrilegum non potest, perfectam fidei catholicæ professionem, maligna disputatione vexare; sed concedendum non est ut tollatur nobis illud quod nobiscum non tenent, per hoc quod nobiscum tenent. Agnoscimus igitur et cum veneratione suscipimus communis fidei verba, sed quid faciemus? Sic vesana Ariomanitarum doctrina tradit. Et ipsa enim, dicens Deum ex Deo, lumen ex lumine, facit ex Deo alterum Deum, ex lumine alterum lumen, ut sit Filius ex Patre et non in Patre, hoc est, ut factus Deus a Deo, non sit unigenitus in Deo. Sed quid hic amplius, cum nonnullorum ex iis, qui nuper ad nos hanc fidem egregiam miserunt, scripta teneantur, quibus dicentes Deum ex Deo, lumen ex lumine, tamen separatum a Patre et penitus excisum hæretica disputatione docuerunt? Ipsum inquiunt Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Congruo igitur omnia fine claudentes, quod mente conceperant, Scriptura confessi sunt, respondente ea sensui suo, et occulta eorum venena reserante, dicentes scilicet Filium Dei hominem de Maria suscepisse per quem compassus est. Primum, non video cur maluerint compassibilem dicere, quam libere passibilem confiteri. Quasi vero aliud sit compati quam pati. Porro autem si impassibilis Deus, utique et incompassibilis. Tam ergo compassus non est, quam nec passus est, ex ea tamen conditione qua Deus. Deni-

que Apostolus : « Passus est, inquit, ex infirmitate [1], » utique carnis. « Caro enim infirma, Spritus promptus [2]. » Sed vivit ex virtute Dei : » utique ex semetipso. Ipse enim, Dei virtus, habens vitam in semetipso, quod credimus Dominum nostrum ex duabus substantiis constitisse, humana silicet atque divina, et ita illum immortalem fuisse divina, ut mortalem ea quæ fuerit humana : ex una enim natus, ex alia probatus ; ex una immortalis, ex alia mortalis. Denique idem Apostolus : « Christus, inquit, » mortuus est [3], » id est, unctus. Hoc enim nomen ad unctionem deducitur. Si ergo non aliud quam caro uncta est, caro igitur tantummodo mortua dicitur, quoties Christus mortuus nuntiatur.

XX. Sed si quis extorquere e duobus alterum velit, ut aut unum Deum singulariter determinemus, si unum fatemur ; aut duos libere proferamus, si et Patrem Deum et Filium Deum dicimus : illud ante omnia sciatur, nec unum nos cum præjudicio, nec duos dicere, quia unum dicimus in duobus ipso Domino suggerente : « Ego et Pa» ter unum sumus [4], » ut duo crederentur in una virtute. Non enim dixit tanquam ex una persona, Patris et Filii, quasi Filius Patrem se confirmans : « Filius meus sum : » et, « Ego hodie genui me : » et, « Ante luciferum genui » me : » et, « Dominus condidit me initium viarum » mearum : » et, « Ante sæcula fundavi me : » et, « Ego et » Pater unum sum, » sed reddens notitiam sacramenti distinctione, non divisione personarum : « Ego, inquit, in » Patre, et Pater in me : Ego et Pater unum sumus : » et, « Qui me videt, videt et Patrem : » videri enim Patris Filius, imago vera et figura expressa substantiæ ejus, hoc est Dei, Sermo, non sonus vocis, sed res substantiva ac per substantiam corpulentiva. Non enim sine substantia cons-

[1] 2 Cor. XIII, 4. — [2] Matth. XXVI, 41. — [3] 1 Cor. XV, 3. — [4] Joan. X, 3.

titit, quod de tanta substantia fecit. Nihil ergo vacuum de pleno, nihil inane de solido, quia Dei Sermo, Spiritus Dei, Christus, instructus est, et, ut evidentius dicam, Sermonis corpus est : corpus enim Spiritus, sed corpus sui generis. Nam et invisibilis et incomprehensibilis Spiritus. Numquid tamen inane et vacua res Deus ? Deus enim Spiritus est. Denique « Nemo scit, inquit, quæ sunt in Deo, nisi Spiri- » tus qui in ipso est [1]. » Legimus quidem : « Quis cognovit » sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit [2] ? » Nemo utique, sed extra Spiritum suum nemo, quem Spiritum Propheta sapientem, architectum et mirabilem consiliarium dicit, nec immerito. Nam idem Spiritus Sermo et Sapientia Dei est, ex cujus persona Salomon : « Cum pa- » raret, inquit, cœlum, ego aderam illi. » Et, « Ego, inquit, » eram cum illo, et mihi adgaudebat [3]. » Non ergo consiliarius nemo, quia per ipsum facta sunt universa quæ facta sunt. Denique cum eadem sapientia et Verbum Dei, et Spiritus Dei sit, singulorum tamen nominum officia nuntiantur. Sapientia condenti omnia Patri aderat ; « Ser- » mone ejus cœli solidati sunt, et spiritu oris ejus omnis » virtus eorum [4]. » Apparet ergo unum eumdemque venisse nunc in nomine Spiritus, nunc in appellatione sapientiæ.

XXI. Ergo hic Sermo, « Cum in forma Dei esset, » sapientia et ratione et Spiritus ratione et Spiritus virtute constructus, hoc est, totam vim Dei possidens, non se Deo Patri adæquavit, sed « Formam servi accipiens humiliavit » se usque ad mortem [5]. » Induerat enim quod servire, quod mori posset : hominem scilicet quem excitatum exhibuit ad cœlum, et secundus Adam per obedientiam restitueret quod primus transgressione perdiderat. Si qui

[1] 1 Cor. II, 11. — [2] Rom. XI, 34. — [3] Prov. VIII, 27 et 30. — [4] Psal. XXXII, 6. — [5] Philip. II, 6-8.

igitur adhuc et de Apostolo requirit dominicum statum, id est, singularis substantiæ qualitatem, quæ per naturam auctori suo jungatur, audiat ad compendium quid idem Apostolus senserit, cum Dei Patris investigabiles vias et recondita retro sacramenta loqueretur. « Ex ipso, inquit, et » per ipsum, et in ipso omnia [1]. » Cum dicitur « Per ipsum, » agnosco Filium significari, legi enim, « Per ipsum omnia. » Cum « In ipso » nuntiatur, nihil novi est; in ipso enim omnium seminum initia constiterunt. Sed cum refertur, « Ex ipso, » certe ad Patrem ut ad rerum omnium respicitur auctorem. Et si ita est, ut est, quomodo his ratio constabit distincta jungentibus, hoc est, referentibus ad unum omnia; cum alius sit, ex quo omnia; et alius, per quem omnia? quia alius ingenitus, alius unigenitus, nisi alia conditione qua recte dicitur, et ex Filio omnia, dum in ejus corde est per naturam, ex quo omnia, et per Patrem omnia, dum in eo semper est, per quem omnia. Pater enim sensu agit; Filius vero, qui in Patre sensus est, videns perficit. Non ergo Apostolum temere pronuntiasse credendum est, sed illud credendum non ita est credidisse, Filium scilicet Dei secundum carnem factum esse quod non erat, secundum Spiritum vero esse quod fuerit, quia quod fuit semper, non potest non fuisse.

XXII. Tenenda est igitur ratio quæ per arduum et angustum tramitem repit, circumjacentibus hinc et inde præruptis quæ zabolica fraude cæcata plana et facilia submittunt, ut in ruinam mergant excessus. Nam si unum Deum singulariter nominamus, excludentes vocabulum secundæ personæ, furorem ejus hæres approbamus, quæ ipsum asserit Patrem passum. Si admittimus numerum cum divisione, jungimur cum Arianis, qui factum a Deo Deum, novamque asserunt ex nihilo substantiam con-

[1] Rom. xi, 36.

stitisse. Tenenda est igitur, ut diximus, regula quæ Filium in Patre, Patrem in Filio confitetur quæ unam in duabus Personis substantiam servans, dispositionem Divinitatis agnoscit. Igitur Pater Deus, et Filius Deus : quia in Patre Deo Filius Deus. Hoc si cui scandalum facit, audiat a nobis Spiritum esse de Deo, quia illi cui est in Filio secunda persona, est et tertia in Spiritu sancto. Denique Dominus : « Petam, inquit, a Patre meo et alium advoca» tum dabit vobis[1]. » Sic alius a Filio Spiritus, sicut a Patre Filius. Sic tertia in Spiritu, ut in Filio secunda persona : unus tamen Deus omnia, tres unum sunt. Hoc credimus, hoc tenemus, quia accepimus a Prophetis : hoc nobis Evangelia locuta sunt, hoc Apostoli tradiderunt, hoc Martyres passione confessi sunt : in hoc mentibus fidei etiam hæremus, contra quod « Etiamsi Angelus de cœlo » annuntiaverit, anathema sit[2]. »

XXIII. Sed non tum nescius, his omnibus discussis et in lucem intelligentiæ publicæ propositis, antiquissimi sacerdotis et promptæ semper fidei Hosii nomen quasi quemdam in nos arietem temperari, quo contradictionis temeritas propulsetur. Sed hanc contra nos erigentibus machinam brevi admodum sermone respondeo. Non potest ejus auctoritate præscribi, quia aut nunc errat, aut semper erravit. Novit enim mundus quæ in hanc tenuerit ætatem, qua constantia apud Sardicam et in Nicæno tractatu assensus sit et damnaverit Arianos. Quid si diversa nunc sentit, et quæcumque ab eo retro damnata fuerant, defenduntur : quæ defensa, damnantur? Rursum dico, non mihi ejus auctoritate præscribitur. Nam si nonaginta fere annis male credidit, post nonaginta illum recte sentire non credam. Aut si nunc recte, quid de his opinandum est, qui eadem signati fide, in qua ipse erat, de sæculo

[1] Joan. XIV, 20. — [2] Galat. I, 8.

transierunt? quid et de ipso pronuntiaretur, si ante hanc synodum dormiisset? Ergo, ut supra diximus, præjudicatæ opinionis auctoritas nihil valebit, quia contra semetipsam ipsa consistit. Et sane legimus: « Justitia justi non salva-» bit eum in quacumque die exerraverit[1]. Amen. »

[1] Ezech. XXXIII, 12.

S. PHOEBADII

AGINNENSIS EPISCOPI

DE FIDE ORTHODOXA

CONTRA ARIANOS,

alias

DE FILII DIVINITATE

ET CONSUBSTANTIALITATE.

TRACTATUS II.

I. Credimus in Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem, et unum Dominum nostrum Jesum Christum, Filium Dei, natum de Patre unicum, hoc est, de substantia Patris : Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; natum, non factum : unius substantiæ cum Patre, quod Græci dicunt ὁμοούσιον per quem omnia facta sunt, sive quæ in cœlo, sive quæ in terra. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus est, passus est, resurrexit tertia die, ascendit ad cœlos, inde venturus est judicare vivos et mortuos. Et Spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt : Erat quando

non erat, et prius quam nasceretur, non erat, et mutabilem, vel convertibilem esse Filium Dei; hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia. Amen.

II. Amore catholicæ fidei ductus, jampridem adversus Arianos libellum ediderам, quem cum amico legendum dedissem, quia placuit, credidit transcribendum. A quo hoc ego magnopere postulavi, ut interim dissimulato auctore, doctis viris et prudentibus legeret; ut si quem movisset, quod illic plus aut minus positum videretur, posset plurimorum consilio emendari. Nemo est enim qui sibi tam arroganter summam doctrinæ cœlestis assumat, ut putet se omnia mysteria liquido comprehensa retinere, cum Paulus apostolus dicat : « Qui ergo putat se aliquid »scire, nec dum scit quemadmodum oporteat scire[1]; » et, « Modo per speculum in ænigmate videmus; tunc fa»cie ad faciem[2]. » Sin vero cunctis omnia, quæ illic scripta erant, juxta fidem veram constare viderentur, tum et ipse petentibus non negaret. Quod eum ita fecisse manifestum est. Et quia res digna tam catholicæ confessioni, quam hæreticæ responsioni, universorum judicio æstimata est, multi eum vel legere vel describere voluerunt.

Sed non defuit qui vel pro studio doctrinæ, vel pro charitatis officio, ea quæ a nobis dicta sunt, scrupulosius retractaret; et quædam ille vel superflua, vel ambigua diceret, quæ aliter possint a quibusdam, quam a me dicta sunt, accipi. Proinde rursus ea ipsa planiori sermone in hoc libello digessi, ut et simplicitatem sensus mei ostenderem, et scrupulum legentibus amputarem.

Nam hoc est quod aiunt posse reprehendi, quod ubi Verbum Dei ex persona Filii posuimus, tale hoc Verbum intelligere putemus, quale grammatici tradunt spiritu oris aërem offensum, intelligibilem auditu. Sed nos sapien-

[1] 1 Cor. VIII, 2. — [2] Id. XIII, 12.

tiam non hujus mundi, quæ destruitur, sed illam quæ ex Deo est, novimus, quæ Verbum Dei Deum insinuat, cum dicit : « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud »Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta »sunt, et sine ipso factum est nihil [1]. » Unde mirari me fateor hoc ita sentiri potuisse, quasi nos personam propriam Verbi, quod est Filius, negaremus. Nemo verbo tenus nominat, quem vere esse in persona sua sæpius profitetur : nam quomodo aut verum Filium, aut verum Patrem confessi sumus, si non vere proprietatem personarum tam Patris quam Filii servavimus.

Sed quia unius Dei vocabulum diximus, personas negasse putamur. Et hinc verisimile visum est, quòd posuimus. Nos Patrem et Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis et nominibus assignemus. Porro iterum Pater et Filius, etsi duo nomina appellantur; ratione tamen et substantia unum sunt : et cum Patrem et Filium statuo, unitatem assigno generis.

Hæc omnia intelligi posse æstimata sunt, quasi ista vocabula inter Patrem et Filium ita posita sint, ut est nomen et cognomen, unius tamen personæ; cum ex superioribus aut inferioribus dictis potuerit hæc suspicio non admitti. Qui enim Filium Dei non aliunde natum dixeram, quam proprie de Patre, totum de toto, integrum de integro, perfectum de perfecto, consummatamque virtutem; quomodo potui ipsum Patrem, ipsum sibi Filium ponere, et hoc modo unam personam duobus nominibus appellare; quippe cum et hanc sectam, id est, Sabellianam in eodem libello damnaverim, et personarum distinctionem secundum vocabulum scripserim? Nam et nemo pro una persona potest, « Unum sunt, » dicere, vel unitatem generis, nisi personis assignare.

[1] Joan. 1, 1-3.



Quis autem Catholicorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere Filium, et Spiritum sanctum vere esse Spiritum sanctum? sicut ipse Dominus ad Apostolos suos dicit : « Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, » et Filii, et Spiritus sancti[1]. » Hæc est perfecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substantiæ profitemur. Non enim nos secundum corporum conditionem divisionem in Deo facimus : sed secundum divinæ naturæ potentiam, quæ in materia non est, et nominum personas vere constare credimus, et unitatem Divinitatis esse testamur.

Nec extensionem partis alicujus ex Patre (ut quidam putaverunt) Dei Filium dicimus, nec verbum sine re, ut velut sonum vocis accipimus : sed tria nomina, et tres personas unius esse essentiæ, unius majestatis atque potentiæ credimus. Et ideo unum Deum confitemur, quia unitas majestatis plurium vocabulo deos prohibet appellari.

Denique Patrem et Filium catholice nominamus; duos autem deos dicere nec possumus, nec debemus; non quod Filius Dei Deus non sit, imo verus Deus de Deo vero : sed quia non aliunde, quam de ipso uno Patre Dei Filium novimus, perinde unum Deum dicimus. Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli tradiderunt, hoc ipse Dominus docuit, cum dicit : « Ego et Pater unum sumus[2]. Unum » ad unitatem Divinitatis, ut dixi, refert : « Sumus » autem personis assignat. Sed et Apostolus ait : « Unus est, in- » quit, Deus Pater, ex quo omnia; et nos in ipso : et unus » Dominus Jesus Christus, per quem omnia; et nos per ip- » sum. Sed non in omnibus est scientia[3]. »

Qua de re explanatis his verbis, quæ scrupulum, non mihi qui scio quod dixerim, sed aliis inferebant, puto oc-

[1] Matth. xxviii, 19. — [2] Joan. x, 30. — [3] 1 Cor. viii, 6.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

casionem malæ interpretationis fuisse sublatam. Nam et professio fidei manifesta est, et persona cum vocabulis constat, et una Divinitas assignata est.

Vel si adhuc aliquid quod legentibus ambiguum videatur in verbis, ad sensus debent verba conferri; quia non simplicitas verborum, sed mali intellectus obstinatio culpam olet. At cum sensus noster cum veritate concordet, et verba debent cum ratione sincerissima. Unde a simplicitate christiana academicus disputator abscedat.

CAPUT I.

Multas quidem et graves hæreses novimus a plurimis ebullire, et veneni vice, ad intimum pectus canceris sui virus infundere : sed vinci illi vel facile possunt, vel facile vitari, quorum prima propositione omne consilium pectoris proditur. At vero ii, quibus multa nobiscum paria sunt, facile possunt innoxias mentes, et soli Deo deditas, fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, qui cum integre per omnia decurrant; uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam ac simplicem fidem dominicæ, et exinde apostolicæ traditionis inficiunt.

Unde vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet; quia nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei fidem violare. Ut enim gypsum aqua permixtum lac colore mentitur, ita hic per virisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.

Denique si diligentius et accuratius attendatis, cur voluerint de evangelica et apostolica fide, et de Patrum traditione « Substantiæ » nomen auferri, procul dubio probatis hæresim arianam subtili compendio breviatam, sublato hoc nomine intromissam. Nec hoc quidem ego suspicione aut opinione collectum affirmo, nec uti ipsi putant, academicus disputator assisto, ut simplices sensus verborum subtilitate contorqueam : sed ut contortos et pravos tenui argumento compositos in lucem cognitionis exponam ; quo facilius possit cognita et comperta iniquitas ab hominibus evitari.

Quæ etenim causa, quæve ratio extitit, ut quod docendum, et quod credendum cunctis Ecclesiis fuerat traditum. quodque Patres nostri apostolici viri contra universas hæreses, et maxime arianam, quasi quemdam obicem veritatis, quo omnes aditus pestiferæ doctrinæ obstruerent, sancto Spiritu mundati, catholica ratione posuerunt, non sine magno nisu ab his qui elogio (26) arianæ labis addicti sunt, laboretur auferri; nisi ut Filium Dei mutabilem et convertibilem, utpote non de propria Patris substantia constitisse confingant : cui et initium ex tempore, et ortum ex nihilo, nomen ex altero, ut semper docuerunt, propter quod et sæpe damnati sunt, nunc jam libere, et secure, incunctanterque Ecclesiis tradere et insinuare possint?

CAPUT II.

Videtis ergo omnia eos in tractatu ipsorum, non evangelica fide, sed subdola malignitate ad seducendos simplices quosque posuisse. Non jam tam suspectum, quam

manifestum omnibus esse debet, ita eos Deum de Deo posuisse, ut Arius tradere solebat, ut ex Deo factus sit, non ex Deo natus. Qui si natus est, unius substantiæ est : si factus est, verus Filius non est : et si verus Filius non est, nec verus Deus est : aut si verus Deus est, et de Patre non est, duo sunt habentes singuli et voluntates proprias, et imperia diversa : vel si concordia tantum et societate unum sunt, non tamen et substantia verus, ut jam dixi, Deus non est.

Sic erit Deus, ut Moyses Pharaoni[1], potestate, non genere : Filius quoque ita credendus erit, ut per Esaïam populo dictum est : « Filios genui et exaltavi[2] ; » et alibi : « Dii estis, et filii Altissimi omnes[3]. » Sed et primogenitus ita habebitur, quomodo et Israël a Deo primogenitus filius appellatus est[4]. Necnon et primogenitus totius creaturæ, quasi in ordine factorum primogenitus habeatur ; ut ex eo seriem quamdam creandis mundi rebus assignent.

Denique sublato ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ vocabulo, ὁμοιούσιον, id est, similem factori suo posuerunt ; cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam et homo ad imaginem et similitudinem Dei factus est[5], nec tamen Deus est : nec quod Deus est, homo extitisse credendus est. Ita et Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de ipsa una sancta et beata Patris substantia dicant. Qui si de Patris substantia non est, ἐξ οὐκ ὄντων est, id est, ex nullis extantibus, ut idem Arius tradidit ; sublato enim eo quod Pater est, undecumque fuerit Filius, necesse est ut et initium ex nihilo, et ortum ex tempore habeat : nihil enim sine initio, nisi solus Deus.

Unde et Filius, sicut ipse Dominus ait : « Ego et Pater » unum sumus[6]. » Quod ideo dixit, ut duarum personarum

[1] Exod. VII, 1. — [2] Isaï. I, 2. — [3] Psal. LXXXI, 6. — [4] Exod. IV, 22. — [5] Gen. I, 26. — [6] Joan. X, 30.

vocabula in unius Deitatis majestate monstraret, sicut et Propheta ex voce Dei : « Eructavit, inquit, cor meum » Verbum bonum : dico ego opera mea regi[1]. » Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde quam de paterno pectore, et, ut ita dixerim, de utero cordis Dei credimus natum. Et proinde eum regem appellat, quia ipse est rex regum : Deum Dominum, cui omnia divina opera succumbunt, qui dixit : « Omnia quæ Pater » habet, mea sunt[2]. »

De hoc et Evangelista : « In principio, inquit, erat » Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Ver- » bum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil[3]. » Igitur quod in principio erat, semper fuisse credendum est : sed nec aliunde esse, quam ex eo qui principium non habet, id est, de corde Patris; quia « Eruc- » tavit, inquit, cor meum Verbum bonum[4]. » Non enim dixit : « In principio factum est Verbum; » sed, « In prin- » cipio, inquit, erat Verbum. » Quodcumque principium Verbi assignare volueris, præjudicatum habebis, quia « In principio, inquit, erat. »

Non quod duo principia ex rerum diversitate dicamus, sed quia Verbum Filius semper cum Patre est, et de Patre natus est. Ac proinde cujus origo principium non habet, sempiternus cum Patre credendus est; quia nec Pater potest unquam sine Filio nominari, nec Filius sine Patre vocari, ac per hoc semper Filius, quia semper Pater.

Et « Deus, inquit, erat Verbum. Quod Deus est, semper est; ne si semper non fuerit, verus Deus esse non possit, sicuti et in Sophiæ nomine, quia secundum Apostolum ipse est Sapientia Patris[5]. « Ego, inquit, ex ore » Altissimi prodivi[6]. » Non ergo aliunde quam de Patre,

[1] Psal. XLIV, 1. — [2] Joan. XVI, 15. — [3] Id. I, 1-3. — [4] Psal. XLIV, 2. — [5] 1 Cor. I, 24. — [6] Eccli. XXIV, 5.

quia semper cum Patre. Et ideo Sapientia Dei appellatur, ut nunquam Pater sine Sapientia, hoc est, sine Filio suo fuisse credatur. Hæc est illa Sapientia ineffabilis, quæ initium viarum Dei apud Salomonem vel condita [1], vel genita, vel creata describitur; quam tamen sic conditam dicit, ut semper eam cum Deo fuisse ostendat. Quod enim initium Deo dabis, ut initium possis Sapientiæ ipsius consignare? Non enim ita Deus Sapientiam suam condidit, quasi aliquando sine Sapientia fuerit, sed cum initium viarum suarum dicat, initium motus operis alicujus ostendit; ut hoc initium habeat Sapientia Dei, quod de Deo processit ad creanda omnia, tam cœlestia quam terrestria, non quo cœperit esse in Deo. Creata est ergo Sapientia, imo genita, non sibi quæ semper erat, sed his quæ ab ea fieri oportebat; ut quia quanta et qualis esset sciri non poterat, de effectu operum suorum virtus ejus et potentia nosceretur, ut quod de conditis æstimamus, tunc magis timeremus, cum facta miramur.

Cæterum si tu ita creatam Sapientiam dicas, ut Filium Dei creaturam intelligas, occurrit tibi Apostolus, condemnans eos qui creaturam colunt, dicens: « Propter quod » tradidit illos Deus in desiderium cordis eorum in immun- » ditiam; ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis, » qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, et co- » luerunt et servierunt creaturæ potius quam Creatori, qui » est benedictus Deus in sæcula [2]. »

Hæc est, inquam, illa Sapientia Dei, quæ dicit: « Ego ex » ore Altissimi prodivi [3], » universitatis conditrix et effectrix, id est, Filius Dei, per quem omnia, et in quo omnia; quia ut Apostolus dixit: « In ipso constituta sunt universa » in cœlis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, » sive Dominationes, sive Virtutes, sive Principatus, sive » Potestates, omnia per ipsum, et in ipso condita sunt, et

[1] Prov. VIII, 22. — [2] Rom. I, 24, 25. — [3] Eccli. XXIV, 5.

» et ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant [1]. » Hinc et Salomon : « Cum sit, inquit, una, omnia potest ; et » permanens in se, omnia innovat, et per nationes in ani- » mas sanctas se transfert [2]. » Quod confirmans Apostolus, ait in interiore homine habitare Christum [3] ; ut per quem a principio omnia facta sunt, per ipsum et in fine cuncta salventur.

CAPUT III.

Sed dicis mihi ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ nomen ob hoc potius quam Creatorem adorant, servantes eadem utique quæ Apostolus dixit : « Ut in nomine Jesu omnes » genu flectant, cœlestium, terrestrium, et infernorum, et » omnis lingua confiteatur [4]. » Et Moyses : « Adorent, in- » quit, eum omnes Angeli Dei [5]. » Et David : « Omnes re- » ges adorabunt eum [6]. » Quod quidem in Scripturis non diceretur, sed quia ipse est Sermo Filius omnium opifex.

Sed dicis ὁμοούσιον nominari non oportere, quia in Scripturis divinis non contineatur. Quæro et ego, homo, qui hoc prohibes ; si ideo nominari non debet, quia scriptum non est, an quia ita credi non liceat ?

Quod si ita credendum est, cur non ita profitendum ? « Corde enim, inquit Apostolus, creditur ad justitiam, ore » autem confessio fit ad salutem [7]. »

Aut si ideo nominandum non est, quia nec ita credendum ; obtinuit arianæ labis assertio, quæ ideo Patrem et Filium unius substantiæ denegavit ; quia Filium Dei modo ex nihilo, modo ex Patre, sed ab alia substantia, quando

[1] Coloss. I, 16. — [2] Sap. VII, 27. — [3] Ephes. III, 16. — [4] Philip. II, 10. — [5] Deut. XXXII, 43. — [6] Psal. LXXI, 2. — [7] Rom. X, 10.

voluit et quomodo voluit, et unde voluit factum inducit; dummodo aliunde eum, et non de eo quod Pater est, extitisse confingat. Quem etsi natum dicit, sed hoc dicto tenus; quia rursum omne quod natum est, factum intelligit, eo quod et nos a Deo geniti appellemur, quos constat esse facturam.

Vel si Arianus non es, et verum Filium de vero Patre natum, non factum agnoscis; cur non eum cum Patre unam substantiam dicis? Frustra times, homo, profiteri quod credis; et frustra credis, si ita non credis, et merito hæreticus denotaris. Et quanquam immutaveris dictum, quo putaris prohibuisse Dei Filium nuncupari facturam; sed cum subjungit: Sicuti aliquid horum, quod factum est; ex aperto ostendis non ob hoc facturam dici noluisse, quasi non debeat factus intelligi; sed non ita factum vis, sicut aliquid horum, quod factum est, sed tamen factum. Aliter enim dicis factum, utpote perfectam creaturam, per quem facta sunt omnia; dummodo et ipsum factum intelligas, licet non ita ut cætera.

Sed ut ad id revertar, quod dicis in Scripturis divinis ὁμοούσιον, id est, unius substantiæ vocabulum non inveniri, finge hoc interim sic sit, eo quod ubicumque substantia legitur, res Dei, non Deus accipiatur; quanquam et aliud quod scriptum non est, pariter profitearis, id est, Deum ex Deo, lumen ex lumine: quid ad hæc dicis? Aut totum mecum tene, hoc totum omitte. Si enim unius substantiæ vocabulum inde times dicere, quia scriptum non est; timere identidem debes Deum ex Deo, et lumen ex lumine profiteri.

Sed ego probo Deum de Deo, lumen de lumine, et unius substantiæ vocabulum in divinis Scripturis contineri. Cum enim ipse Dei Filius, qui Deus est, in Evangelio suo dicat:

« Ego de Patre exivi [1] ; » jure et merito Deum de Deo profitemur, quia de Deo Patre Filium Dei Deum verum de Deo vero natum esse cognoscimus. Sed non eo genere, ut nos dii sumus appellati [2], vel ut Moyses Pharaonis Deus est dictus [3], sed quia verus est Filius, de vero Patre natus est; vere et confidenter Deus de Deo dicendus, et sic lumen ex lumine.

Quod scriptum non est, mecum quidem dicis, sed mecum omnino non sentis. Et quia scriptum est de Patre : « Deus lux est; » et de Filio : « Erat lux vera, quæ illumi» nat omnem hominem venientem in hunc mundum ; » et : « Lux lucet in tenebris [4], » id est, Christus in sæculo ; « Et tenebræ eam non sunt assecutæ ; » ii scilicet homines quorum cor ignorantiæ tenebris obcæcatum est, Christum verum Deum et verum Dei Filium non agnoverunt. Sed ipse Dominus : « Ego sum, inquit, lux mundi ; qui me se» cutus fuerit, non ibit in tenebris ; sed habebit lumen » vitæ [5]. » Ergo quia lumen Pater, et lux Filius, recte lumen de lumine.

Sed lumen ex lumine ita asseris, quasi a Patre qui verum lumen est, aliud lumen sit factum, quod de ipsa Patris substantia non sit, sed sicuti aliud quodlibet lumen, quanquam a Deo sit factum, longe tamen aliud sit ab eo, qui fecerit ; et ideo lumen ex lumine, non de lumine dicis. Cum ergo hæc prælocutus sum, licet mecum non intelligas, tamen quomodocumque ipsa pronuntias, cum scripta non sint. Annon et unius substantiæ vocabulum, quod in Scripturis non putas contineri, mecum pariter profiteris, nisi quia illic habuisti quomodo malignos sensus tuos occulta fraude in utroque contegeres ; ut mecum hoc ipsum

[1] Joan. xvi, 27. — [2] Psal. lxxxi, 6. — [3] Exod. xvii, 1. — [4] 1 Joan. i, 5 et 9. — [5] Joan. viii, 12.

sono vocis exprimeres, sed tamen longe dicti intelligentiam separares?

Sicuti et illi hæretici qui resurrectionem carnis negant, ad decipiendas animas simplicium, væ dicunt his qui in carne non resurgunt. Sed si discutias eos cur hoc dixerint, cum scias illos carnis resurrectionem omnino negare, dicent tibi: Væ utique illi erit, qui in carne baptizatus non fuerit, ut anima ipsius dum in corpore est, de morte delictorum suorum, ut de sepulcro criminum per baptisma, in eadem resurgat. Solius enim animæ per lavacri vitalis gratiam resurrectionem in carne defendunt; nam et ipsius carnis salutem excludunt. Et hi per verisimilem confessionem innocentium mentes occulta fraude seducunt. Et ut solet letale poculum mellis dulcedine temperatum, suavitate fallente, perimere; sic et hoc malum per blandimentum aurium, audientium sensus quadam labe contaminans, contagione vitii adhærentis inficit.

CAPUT IV.

Denique et nunc possent ὁμοούσιον sicuti et cætera verbo tenus nominare, si haberent quomodo illud ad aliam intelligentiam scævo sensu perverterent, sed cum viderent se in hoc verbo concludi, nullam omnino mentionem hujus fieri voluerunt; ne aut profitendo hoc crederent, aut credentes professi viderentur, subtili ingenio excusantes, quod aut scriptum non esset, aut Deum in substantia dici non oportere, ne corporeus crederetur.

Deus etenim, inquiunt, efficit ut sit substantia, non tamen ut ipse Deus in substantia deputetur; quippe, aiunt, cum omnis substantia contraria recipiat. Deus vero

qui nihil diversum admittere potest, substantia dici non debet.

Ignoscerem tibi si hoc simpliciter diceres, si rationem rei velles scire, si rudis ad hanc quæstionem accederes, si non ipse esses, qui semper vel de alia substantia, vel de nullis extantibus Dei Filium asserebas, at cum idem ipse sis, qui hinc sæpe convictus, sæpe confessus, sæpe negasti, sæpius aliter immutando damnatus es, qui etiam nunc vi, ambitione et potentia exagitans, turbas omnia; quomodo putas me ignoscere tibi posse frequentius eadem retractanti? Sed ne videatur hæc perversitas præjudicata magis quam examinata damnari, breviter tibi de hac oppositione respondeam.

Prohibes itaque in Deo substantiam nominari, quasi omne quod substantia dicitur, res ipsa unius generis habeatur. An ignoras aliter cœlestia, aliter terrena constare; sed et in ipsis cœlestibus rebus atque mundanis magnam differentiam interesse? Aliter enim Angeli, aliter singulæ Virtutes constitutionum suarum substantias acceperunt, sicuti Apostolus ait: « Alia claritas solis, alia claritas lunæ, » alia claritas stellarum [1]. » Sic et in hoc mundo, ut diversa genera rerum, ita et diversa corpora animantium, et omnibus sui cujusque generis substantia, sicut Apostolus dicit: « Non omnis caro eadem caro [2]. »

Si ergo ea quæ a Deo facta sunt, diversas qualitates substantiarum suarum habent; tu putas in Deo talem esse substantiam, qualem habet aliquid horum quod factum est, ut possit contraria recipere? Absit. Quæ est enim substantia Dei? Ipsum quod Deus est, simplex, singulare, purum, nulla concretione permixtum, limpidum, bonum, perfectum, beatum, integrum, sanctum totum. An tu putas inane aliquid esse et vacuum, quod est Deus? Hoc enim

[1] 1 Cor. xv, 41. — [2] Ibid 39.

dici blasphemia est, ut inane putetur, per quem cuncta constiterunt, qui omnia Verbo edidit, ratione composuit, virtute perfecit, cujus nutu et imperio universa reguntur, cuncta deserviunt.

Et bene de Deo legis scriptum : « Ego sum, qui sum [1]; » et, « Qui est, misit me [2]. » Et ipse Salvator Dominus : « Hæc est, inquit, vita æterna, ut cognoscant te solum » verum Deum, et quem misisti Jesum Christum [3]. » Est ergo in substantia essentia sua Deus, cujus cognitio vita æterna est, qui et tantus est, quantus dici non potest. Qui tunc digne æstimatur, cum inæstimabilis dicitur, utique velis ac nolis.

Ergo ipsum quod est, hoc est substantia ejus rei, quæ esse defenditur; quod tamen jam dictum est, quantum et quale sit, nec mente concipi, nec sensu æstimari, nec animo definiri potest; dummodo constet esse, quod esse creditur; ut de eo ipso quod Deus est, inde sit Filius, ut verus sit Filius, et verus sit Pater in Filio, et Filius in Patre. Hoc erit ὁμοούσιος, id est, unius substantiæ cum Patre, sicut ipse Dominus ait : « Ego in Patre, et Pater in » me [4]; » et, « Ego et Pater unum sumus [5]; » et, « Ego de » Patre exivi [6]; » et, « Qui me videt, videt et Patrem [7]. »

Non immerito, quia Filius Dei de Deo Patre natus est; et ideo de unitate substantiæ, et de majestate Deitatis unum sunt, sicuti et Hieremias prophetavit : « Quis stabit in sub- » stantia Domini, et videbit Verbum Domini ? Et iterum, « Si stetissent in substantia mea, et si audissent verba mea, » avertissem eos ab studiis eorum pessimis [8]. » Et apud Salomon : « Substantia mea, dulcedo mea est [9]. »

[1] Exod. III, 14. — [2] Ibid. — [3] Joan. VII, 3. — [4] Id. XIV, 10. — [5] Id. X, 30. — [6] Id. XVI, 28. — [7] Id. XIV, 9. — [8] Jerem. XXIII, 18 et 22. juxta LXX. — [9] Sap. XVI, 21.

CAPUT V.

Cum ergo hanc unitatem substantiæ in Patre et Filio non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate cognoscas; quomodo dicis in Scripturis divinis ὁμοούσιον non inveniri, quasi aliud sit ὁμοούσιον quam quod dicit : « Ego » de Deo Patre exivi [1], » et, « Ego et Pater unum sumus [2] : » vel quod Prophetæ ex aperto substantiam Dei intimabant?

Hæc est autem nominis ratio, ut in Patre et Filio unitatem substantiæ credas, licet rem ipsam, quæ est inenarrabilis, definire non possis; ut sive lumen de lumine dicas, sive Verbum de Verbo, sive Spiritum de Spiritu, sive Dominum de Domino, quodcumque de eo dixeris, unius tamen essentiæ Patrem et Filium credas, et de eo ipso quod Pater est, Filium intelligas. Nam si aliquam comparationem de rebus his quæ videntur, in eo facias; ipsa dissimilitudine rerum non rationem ostendes, sed altercationem disputationum induces, ut cujus voce descriptum est: « Cui me comparabitis [3] ? » Ac proinde Deus cui assimilari nihil potest, sufficiat credi, quod ipse sentitur, quem ipse credi se voluit, non indicari.

Denique si de hoc ipso quod mecum profiteris, ad aliquam similitudinem velis in Deo conferre, nscio an quod comparaveris, possis expressius definire: ut puta, cum dicis lumen ex lumine, si ad explanandum illud scrupulosa narratione cogaris, quæro quomodo lumen ex lumine credas? Utrum quasi lucernam ex lucerna, vel quasi solem ex sole; ut aut duas lucernas, aut duos soles, quasi duos deos sub hoc exemplo inducas? Aut splendorem luminis ejusdem

[1] Joan. xvi, 28. — [2] Id. x, 30. — [3] Isaï. xlvi, 5.

lucernæ, vel claritatem solis de eodem sole fulgentem, lumen de lumine consignes, ut in matricem luminis Patris figuram assimiles, Filium vero in splendorem claritatis ostendas: quod de eo Propheta dixerit : « Apud te est fons » vitæ, et in lumine tuo videbimus lumen [1] ; » vel Salomon, cum dicit: « Candor est lucis æternæ, et speculum sine » macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius [2] ; » vel Apostolus hic prædicaverit Salvatorem nostrum imaginem esse invisibilis Dei [3], eo quod imago solis lux sua sit, quæ de eodem sole procedit.

Sed quanta ad hæc responderi possunt, quæ lites generant [4], quod Apostolus prohibet, longum est dicere : quippe cum constet lumen illud quod Deus est, æstimari, comprehendi et definiri non posse, nec vere aliquid ex his, quæ in hoc mundo sunt, majestati divinæ comparari; quia nihil de omnibus istis, quæ videntur aut dicuntur, secundum id quod Deus est, condigna similitudine æstimari potest, quippe cum ipsis intellectibus et sensibus major sit.

Ideo præmonuit ut divinitatem substantiæ crederes, et verum Filium de vero Patre cognosceres, de qualitate autem rei requirere non deberes ; quia quale aut quantum sit, scire non possis. Hoc enim Prophetæ, hoc Apostoli prædicarunt.

CAPUT VI.

Denique pro captu, pro viribus, pro fide nostra intueamur Deus quid sit, et videamus an ei aliquid possit comparari. Certe hic est, de quo et cum dicitur, non potest dici: cum æstimatur, non potest æstimari, cum comparatur,

[1] Psal. xxxv, 10. — [2] Sap. vii, 26. — [3] Coloss. i, 15. — [4] 2 Tim. ii, 24.

non potest comparari, cum definitur, ipsa sua definitione crescit. Qui cœlum manu sua aperit, pugno omnem ambitum mundi claudit. Quem totum omnia nesciunt, et metuendo sciunt. Cujus nomini et virtuti famulatur hic orbis, et ipsa elementorum sibi succedentia momentanea vicissitudo testatur. Vide ergo si potest aliquid esse, cui possit Pater comparari et Filius; quia talis est Filius, qualis et Pater; non enim ipse se unum cum Patre diceret, nisi talem se, qualis est Pater, sciret.

Ratio quædam est, quæ apud Græcos Λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit; quia et ipse Filius Ratio dicitur. Quæ tamen Ratio multis nominibus appellatur; modo Verbum, modo Virtus, modo Sapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo thesaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo agnus, modo homo, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, modo veritas, modo vita. Et ita cum sit Deus omnia in omnibus, ut per hæc vocabula divinarum dispositionum mysteria cognoscantur, non ut ipsa majestas Filii Dei proprie definita monstretur.

Quid est enim Filius de eo quod Pater est? Alius idem. Nam et ob hoc Verbum nuncupatur, quia ex proprio divino ore processit, et nihil Pater sine eo aut jussit, aut fecit. Virtus dicitur, quia vere de Deo et semper cum Deo est, et omnis potestas Patris in ipso consistit. Sapientia appellatur, quia de corde Patris adveniens, arcana cœlestia credentibus reseravit. Dextera nuncupatur, quia per eum omnia opera divina perfecta sunt. Brachium dicitur, quia ab ipso omnia continentur. Margarita appellatur, ut nihil illa pretiosius habeatur. Thesaurus dicitur, ut in ipso omnes opes et divitiæ regnorum cœlestium conditæ agnoscantur. Retia dicitur, quia per ipsum, et in ipso de mari sæ-

culi diversa gentium multitudo sicut piscium per aquam baptismatis in Ecclesia congregatur, ubi bonorum malorumque discrimen agnoscitur. Aratrum nuncupatur, quia signo crucis suæ dura pectora subjiciuntur, ut necessario semini ipsa præparentur. Fons aquæ vivæ appellatur, quia ex eo sitientia corda cœlestis aquæ gratia irrigantur. Petra dicitur, quia credentibus fortitudinem, incredulis duritiam præstat. Lapis angularis dicitur, quia utrosque parietes Novi et Veteris Testamenti unus et mediator in semetipso continens copulavit. Agnus dicitur, ut innocentia Christi et passio demonstretur. Homo dicitur, quia secundum carnem propter nos homines nasci dignatus est. Vitulus dicitur; quia propter nostram salutem pati sustinuit. Aquila dicitur, quia post venerabilem resurrectionem, ut rex alitum ad Patris pervolat sedem. Leo dictus est, quia ipse est rex regum, qui mortem ac zabulum virtutis suæ potestate comminuit. Via est, quia per ipsum ascensus est. Veritas, quia mendacium nescit. Vita est, quia ipse universa vivificat.

Vides ergo per hæc vocabula significationes et dispositionum et operum divinorum præostensas; non tamen ipsum Deum proprie definitum? Est ergo Pater Deus immensus, æternus, incomprehensibilis, inæstimabilis. Est et Filius ejus Deus et Dominus noster, tantus, quantus est et Pater: sed non aliunde quam de Patre : « Quia ego, inquit, » de Patre exivi [1], » hoc est, lumen de lumine.

CAPUT VII.

Sed ne ex eo occasionem aliquam hæreticus capiat, cum

[1] Joan. xvi, 28.

duo nomina, vel duas personas, id est, Patris et Filii statuo, quasi duos deos dicam, ut illi duos ex diversitate confingunt : nos autem Patrem et Filium ita nominamus, ut unum Deum in his personis et nominibus consignemus. Viderint philosophi, viderint hæretici discipuli eorum, qui potestatum diversitate variantur : « Nobis tamen unus » Deus est Pater, ut Apostolus dixit, ex quo omnia, et nos » ex ipso : et unus Dominus Jesus Christus, Deus Dei Fi- » lius, per quem omnia, et nos per ipsum [1]. »

Nam per duo quid aliud intelligitur, quam duorum per partes divisa substantia, et cum nominibus ipsis dissociata natura agendi ac jubendi tam voluntas, quam imperia divisa? Porro Pater ac Filius etsi duæ personæ creduntur, ratione tamen et substantia unus sunt. Nam inæqualium societas melioris offensa est, et in injuriam ejus, qui verus Deus est, non verus alius comparatur. Cum autem ego Patrem et Filium statuo, unitatem generis assigno : et si illam in personis divido; discretiones tamen personarum rursus eadem nomina in unitatem sui naturali legis fœdere consignant.

Unde et tantus est Filius, quantus videbitur Pater, totus de toto, integer de integro, perfectus de perfecta consummataque virtute, sicut Apostolus dicit : « In quo om- » nis plenitudo Divinitatis corporaliter habitat [2]. » Nam et Hieremias receptissimus Prophetarum, hanc unitatem Divinitatis in Patre et Filio sciens ait : « Hic est Deus noster, » et non deputabitur alius absque illo : qui invenit omnem » viam prudentiæ, et dedit eam Jacob puero suo, et Is- » raël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, et cum ho- » minibus conversatus est [3]. » Et Esaïas hoc ipsum prædicat dicens : « Hæc dicit dominus Deus : Fatigata est Ægyptus, » et negotiatio Æthiopum, et Sabaïm viri excelsi ad te

[1] 1 Cor. VIII, 6. — [2] Coloss. II, 9. — [3] Baruc. III, 36-38.

» transient; tui erunt servi, et post te ambulabunt vincti » compedibus, et te deprecabuntur; quoniam in te Deus » est, et non est alius Deus præter te : tu es enim Deus, » Deus Israël Salvator [1]. »

Quod ne putes me eo supercilio dixisse, quo Sabellius fertur, qui ipsum Patrem, ipsum Filium profitetur, non ita nos totum in unam sententiam cogimus, ut aliorum hæreticorum fraude capiamur. Sed quia in ipso nomine personarum auctoritas indiscreta cognoscitur, et Filius non genere, sed personaliter a Patre nominatur; proinde totum Patri ascribimus, quod est Filius : et totum Filio, quod Pater est. Nihil non videbitur Patris, quod judicabitur Filii : nec Filii, quod defenditur Patris; quia unitas majestatis non sinit deos plurali vocabulo appellari : quippe cum constet Patrem et Filium unius esse substantiæ, unde uterque unus Deus est dictus.

Illud ante cuncta metuentes, quia nisi Pater et Filius unum non sint, in invidiam recurrat auctoris interpolata nativitas; hoc enim placuit hæreticis, ut Deus ille omnipotens, invisibilis, immensus degeneraret in Filio, non modo potestate, sed conditione mutata, quasi non potuerit Pater de semet ipso talem habere, qualis et ipse est. Proinde nos verum Filium de vero Patre, qui semper fuit, et est unius substantiæ cum Patre, defendimus. Et hoc est, quod Græci ὁμοούσιον appellant, id est, cum uno aliud ipsum; ut personæ audientia nominatim fierent, et non ut substantiam vocabula separarent.

[1] Isaï. XLV, 14, 15.

CAPUT VIII.

Sed ut omne mysterium hæresis arianæ traducam, cur nolint Filium de Patris substantia credi, breviter intimabo. Aiunt enim : Cum sit Deus Pater omnipotens, invisibilis, inconvertibilis, immutabilis, perfectus, semper idem, æternus : Filius vero visibilis, quia sæpe patribus visus est; et convertibilis atque mutabilis, quia in variis figuris quibusque sese monstravit : qui si de Patris, inquiunt, esset substantia, nunquam fieri posset, ut ante carnis assumptionem aut visibilis aut mutabilis cerneretur; quin potius in æqualitate qua Pater est, permansisset, ex cujus substantia erat; quia quod de Patre est, nec videri, nec mutari, nec converti posse credendum est.

Accedit ad causam, quia cum illapsus est in Mariam, cum Virginis uterum opplevit, aliud utique ex illa, quam quod venerat, natum est. Unde jam, inquiunt, corrupta substantia statum vertit, ordinem perdit, continuo immutatione ipsa formandus de Deo in hominem, de spiritu in carnem. Et utique translatio omnis interemptio est pristini. Ac per hoc aiunt : Si Filius de Patris substantia esset, jam et Patrem minorem videri substantiæ suæ vel traditione, vel fine : et proinde Filium ex alia substantia credere maluerunt, quod converti, et mutari, et videri possit; quia hoc de Patris substantia credi non liceat.

Hæc est causa erroris, hæc origo hæresis arianæ; dum non intelligunt virtutem Dei, neque tanti sacramenti dispositionem agnoscunt, ut Deum humanis conditionibus comparent. Quibus primo respondendum in loco Filium Dei non ita visum, ut Deus erat, sed ut homo capere poterat de Deo; deinde variis figuris non mutabilem et con-

vertibilem ipsum esse, sed hoc esse potentiæ Dei, ut cum se singulis, prout vult, revelare dignatur, habitum mutet, non substantiam vertat : nec proprietatem qualitatis amittat, sed juxta meritum videntis temperamentum majestatis adhibeat; ipse tamen idem, ut semper est, in substantiæ suæ proprietate permaneat, sicut scriptum est : « Mutabis » eos et mutabuntur : tu autem idem ipse es, et anni tui » non deficient [1]. »

Nam etsi multa sunt ex his, quæ in mundo videntur, quæ ex alio convertantur in aliud, ut desinant esse quod erant, et hoc sint quod retro non fuerant; ut limus cum in hominem figuratur, limus esse jam desinit : aut pisces, aut aves cum de aqua procedunt, ex eo jam non aqua, quia aliud : ut lutum figuli, cum solidatur in testam : ut lapis, cum dissolvitur decoctus in calcem : ut arena, cum mutatur in vitrum, et cætera, quæ longum est recensere. Sed multum interest, stulte hæretice, inter ea quæ facta sunt, et eum qui omnia, quemadmodum voluit, fecit. Quæ facta sunt, ascriptæ conditioni deserviunt : qui vero fecit, suæ voluntatis et proprii juris est. Neque potest in aliud, quam quod est, aliquo cogente, mutari : sed prout vult, et cui vult, se demonstrat. Nam si Angeli in figura hominum sæpe sunt visi, et tamen aliud non sunt, quam quod se esse norunt, neque substantiam mutant, cum formam humani corporis sumunt; quanto magis ipse Dominus noster qui omnia fecit, qui ipsis Angelis, ut hoc possent, sua institutione concessit?

Huc accedit quod sic Filium Dei, ut jam dictum est, visum a patribus approbamus, ut non totum in illo, quod Deus est, videretur : sed dispositiones rerum futurarum, quæ suis quibusque temporibus complendæ erant, in illo per imaginem cernerentur. Nam quis Filium Dei videre

[1] Psal. ci, 28.

potuit, antequam conspicabilem materiam, sicut ei placuit, assumpsit, vel ipsum hominem induere dignatus est?

Qui etsi Abrahæ visus est [1], sed in forma humani corporis visus est, quo scilicet postremis temporibus in homine venturus esse ostenderetur.

Jacob etiam alibi in Angelo [2], alibi æque videtur in homine. Qui ideo se in Angelo demonstravit, ut nuntium se magni consilii indicaret : in homine vero, cum quo et colluctatus fuisse describitur ; ut imaginem futuræ colluctationis, quam cum Israël habiturus erat, cum secundum hominem advenisset, præcipue indicaret. Sed ut Dominum crederet, cum quo tanto certamine sub figura hominis luctabatur, Israël, id est, homo videns Deum, nomen accepit [3]. « Vidi, inquit, Deum facie ad faciem, et salva facta »est anima mea [4]. »Et utique figuram hominis viderat, quam Deus Filius induerat.

Moysi in rubo in flamma ignis apparuit [5], ut lumen credentibus, incredulis judicium demonstraret; quia Christus credentibus salus est, non credentibus pœna, ut Apostolus ait : « Aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in »mortem [6]. »

Populum Israël in columna nubis per diem, et per noctem in columna ignis quasi dux itineris præcedebat [7] ; ut baptismi gratiam per nubem, et donum sancti Spiritus per ignem ostenderet; quia apostolus Paulus in nube patres baptizatos scribit [8], et Spiritum sicut ignem esse Apostolorum Acta declarant [9].

Vides ergo per omnia, hæretice, characteres divinarum Scripturarum in honorem Dei patribus præostensos ; non tamen ipsum Deum, ut est proprie revelatum. Denique cum

[1] Gen. xviii, 1. — [2] Id. xxviii, 13. — [3] Id. xxxii, 24. — [4] Id. viii, 30. [5] Exod. iii, 2. — [6] 2 Cor. ii, 16. — [7] Exod. xiii, 21. — [8] 1 Cor x, 2. — [9] Act. ii, 3.

Moyses oraret ut faciem Dei pure videret, quid ad illum continuo Deus? « Non poteris, inquit, videre faciem meam, » non enim videbit homo faciem meam, et vivet [1]. » Hoc ipso quod negatur aspectus, claritas assignatur, quæ scilicet tanta est, quanta credenda est, quæ invisibilis indicatur. Cum ergo Moyses qui et situm cœli, et ordines mundi, et elementorum vices, totius denique orbis ornamenta digesserit, indicarit, expresserit; cui ipse Dominus testimonium perhibuit dicens : « Nemo erit ex Prophetis ut servus meus Moyses, cui facie ad faciem, ore ad os locutus » sum [2]; » Deum tamen pure videre non potuit. Merito quidem prophetia omni dignus, sed non usque adeo ut intueri Deum valeret, qua homo tantummodo esset.

Et utique hæc omnia Filii verba defendimus, quem in monte Sina cum Moyse locutum esse scimus [3], qui agendis explicandisque rebus a Patre advenerat; quia omnia a principio per ipsum et ordinari, et explicari, et manere convenerat, ut habendi Filii hæc præcipua ratio constaret. Et tamen sic visus accipitur, ut alicujus conspicabilis, ut dixi, materiæ dispositione assumpta videretur, salva scilicet invisibilitate ejus, quam a conspectu omnium majestas interfusa seposuit. Non enim sic humanis aspectibus revelatus est, ut tota in illo deitas appareret : sed ad vicem speculi cum conceptos intra lucem suam vultus quasi ad plenam effigiem hominis includit; ita majestatis ejus præeunte fulgore, intra id visum est, quod imaginem veritatis, non ipsum Deum proprie demonstraret.

Sic et cum hominem induere dignatus est, non labem æternitati intulit; ut spiritum in carnem mutaret, sed ut suscepto homine immortalitatem atque æternitatem cœlestis vitæ præstaret. Nam etsi Apostolus semetipsum exi-

[1] Exod. xxxiii, 20. — [2] Num. xii, 7, 8. — [3] Exod. xxxi, 18. —

nanisse dicit [1], formam servi suscipiendo, non utique sic exinanitum accipimus, ut aliud, quam quod fuerat, idem Spiritus fieret : sed ut seposito interim majestatis suæ honore, humanum corpus indueret; quo suscepto, salus gentium fieret. Ut enim sol cum nube tegitur, claritas ejus comprimitur, non cæcatur; et lumen illud, quod toto orbe diffusum claro splendore cuncta perfundit, parvo admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur : sic et homo ille quem Dominus Jesus, Salvatorque noster, id est, Deus Deique Filius induit; Deum tamen in illo non intercepit, sed abscondit.

Denique cum in monte se paululum extra ipsum hominem extulisst [2], fulgore luminis ejus pene obcæcati Apostoli in terram quippe homines ceciderunt, periclitati vitam, nisi eis Dominus compresso rursum majestatis suæ honore ut misericors subvenisset, secundum illam sententiam : « Nemo vidit Deum, et vixit [3]. » Ut ergo claritas solis, cum non usque ad nostros emicat visus, sibi salva est; quia quod non videtur, infirmitatis est nostræ, quorum oculos nubium texit obcuritas : ita probat se non suo detrimento proprii latuisse fulgoris; sed carnis, ut dixi, beneficio, cujus causa Dei Filius filius hominis esse sustinuit.

Nempe enim de Spiritu Dei Virgo concepit, et quod concepit, hoc peperit, id est, Deum homini suo, ut jam dixi, sociatum, sicut ipse dixit : « Quod nascitur de carne, » caro est : et quod nascitur de spiritu, spiritus est [4]; quia Deus spiritus est, et de Deo natus est. Sicut et Angelus ad Mariam Virginem dixit : « Spiritus Dei veniet in te, et vir» tus Atissimi obumbrabit te. Propterea quod nascetur ex » te sanctum, vocabitur Filius Dei [5]. »

Vides ergo ipsum spiritum, id est, Filium Dei venisse ad

[1] Philip. II, 7. — [2] Matth. XVII, 6. — [3] Exod. XXXIII, 20. — [4] Joan. III, 6. — [5] Luc. I, 35.

Virginem; et inde Dei et hominis Filium processisse : nec tamen ipso indumento carnis Dei Filium esse mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum cum Patre; per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, sicut Evangelista ait : « Mundus per ipsum » factus est, et mundus eum non cognovit [1]. »

Cæterum amentis est credere ab eo posse liberari, qui ut liberaret, amissus est; ut nasceretur, oppressus est : ut immortalitatem reciperet, transivit ad mortem. Sed absit, hæretice, ut sensus tuæ iniquitatis a catholicis admittatur; nos enim credimus immutabilem et inconvertibilem, Verbum et spiritum, id est, Filium Dei; qui cum hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutavit : sed illuvias ejusdem corporis æterno claritatis suæ lumine illustravit; ut ad nos per tramitem corporis ejus lux sancti Spiritus, et æternæ vitæ gratia redundaret.

Quem etsi passum credimus et sepultum, sed homo ille passus est, quem Filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit. Sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid homo ille patiebatur; ideo mors et passio Domini indicatur; nam constat immortale esse, quod Dei est : hominis, quod caducum.

Tertia quoque die resurrexit, non Deus in hominem, sed homo potius in Deum.

Ascendit in cœlos, obtulit Patri suo hominem illum gratissimum munus, consedit ad dexteram Patris, secundum quod scriptum est : « Dixit Dominus Domino meo : Sede » ad dexteram meam [2]. »

Misit nobis Spiritum sanctum de propria sua, et ipsa una substantia sua, protectorem, sanctificatorem, et deductorem in vitam æternam, sicut scriptum est ex voce

[1] Joan. I, 10. — [2] Psal. CIX, 1.

Dei : « Effundam de Spiritu meo super servos meos, et an-» cillas meas [1]. » Et iterum : « Spiritus ex me prodibit [2]. » Et ipse Dominus Salvatorque noster : « De meo, inquit, ac-» cipiet [3] ; ex eo utique quod est Filius, quia et Filius de eo quod Pater est.

Exinde præfinito tempore venturus, vivos mortuosque judicaturus, ut reddat credentibus præmia, non credentibus vero supplicia.

Cujus regnum æternum, immortale ; nec initium habet, nec terminum : cui est honor et gloria in sæcula sæculorum.

Hæc qui legis, per Deum obsecro, ne simplicitatem sensus in ambiguum torqueas, aut alias quam dicta sunt, trahas ; qui nos Patrem verum Patrem confitemur, et Filium Dei verum Filium Dei, et Spiritum sanctum vere Spiritum sanctum credimus : tres personas unius substantiæ, et unius divinitatis confitentes. Sabellii autem, et Photini, necnon Arii sectam, et si qua alia sunt, quæ contra regulam veritatis veniunt, condemnamus. Nicænæ autem synodi tractatum omni animi nisu ex tota fide servantes, amplectimur ; hunc enim tractatum scimus contra omnes hæreses invicta veritate oppositum.

[1] Joh. II, 29. — [2] Isaï. LVII, 16. — [3] Joan. XVI, 15.

LIBELLUS FIDEI.

III.

Credimus unum Deum, Patrem omnipotentem, et unum unigenitum Filium ejus Deum et Dominum Salvatorem nostrum, et Spiritum sanctum Deum : non tres Deos Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, sed unum Deum esse confitemur. Non sic unum Deum, quasi solitarium; nec eumdem qui ipse sibi Pater sit, ipse et Filius; sed Patrem verum, qui genuit Filium verum, ut est Deus de Deo, lumen de lumine, vita ex vita, perfectum de perfecto, totum a toto, plenum a pleno : non creatum, sed genitum : non ex nihilo, sed ex Patre, unius substantiæ cum Patre : Spiritum vero sanctum Deum, non ingenitum, neque genitum : non creatum, nec factum; sed Patris et Filii, semper in Patre, et Filio coæternum. Veneramur tamen unum Deum, quia ex uno Patre totum quod Patris est, natus est Filius Deus, et in Patre totum quod inest, totum genuit Filium. Pater Filium generans non minuit, nec amisit plenitudinis suæ Deitatem; totum autem quod Deus Pater est, id esse et Filium ab eo natum certissime tenentes. Cum Spiritu sancto unum Deum piissime confitemur Jesum Christum Dominum nostrum, Dei Filium, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlis et quæ in terra, visibilia et invisibilia; propter nostram salutem descendit de cœlo : qui nunquam desierit esse in cœlo : natus de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Verbum caro factum non amisit quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat. Non demutatum, sed permanentem etiam hominem natum, non putative, sed vere; non aërium, sed cor-

poreum; non phantasticum, sed carneum; ossa, sanguinem, sensum, et animam habentem; ita verum hominem verum Deum fuisse nullo modo ambigimus. Confitendum est hunc eumdem Dominum nostrum Jesum Christum adimplesse Legem et Prophetas, passum sub Pontio Pilato, crucifixum secundum Scripturas, mortuum et sepultum secundum Scripturas, tertia die a mortuis surrexisse, assumptum in cœlos, sedere ad dexteram Patris; inde venturum judicare vivos et mortuos expectamus. In hujus morte et sanguine mundatos, remissionem peccatorum consecutos, resuscitandos nos ab eo in his corporibus, et in eadem carne qua nunc sumus, sicut et ipse in eadem carne qua natus est, et passus, et mortuus, resurrexit, et animas cum hac carne, vel corpora nostra ab eo, aut vitam æternam, præmium boni meriti, aut sententiam pro peccatis, æterni supplicii recepturos.

FINIS TOMI QUINQUAGESIMI TERTII.

ANNOTATIONES.

ANNOTATIO (1) pag. 23.

In obsignatione perfectionis, hoc est, in baptismo. Respicit fortasse B. Doctor hunc locum Epistolæ ad Ephesios, I, 13, ubi legitur : *In quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto;* et hunc ejusdem Epistolæ, IV, 30. *In quo signati estis in diem redemptionis.*

ANNOTATIO (2) pag. 59.

Hæc pene ad verbum desumpta noscuntur ex Cyrilli Hierosolymitani Catechesi XVI, n. 12. Quod quidem perspexit clarus operum S. Cyrilli editor Toutteus.

ANNOTATIO (3) pag. 62.

Locus ab Auctore citatus non extat apud Ezechielem, sed legitur apud Isaïam, XIV, 12.

ANNOTATIO (4) pag. 91.

Hunc et mox sequentem locum, tanquam e duobus sacris scriptoribus descriptum, recitat Cæsarius; cum tamen uterque occurrat in Job, XXVI, 8, juxta LXX, ubi sic legimus : Δεσμεύων ὕδωρ ἐν νεφέλαις αὐτοῦ, καὶ οὐκ ἐρράγη ὑποκάτωθ αὐτοῦ.

ANNOTATIO (5) pag. 107.

Hæc verba : *Sabbato secundo primo*, tantummodo leguntur apud Lucam, VI, 1, minime vero apud Matthæum. Lapsus ergo memoria hic videtur Cæsarius.

ANNOTATIO (6) pag. 116.

Hæc verba in Epistolis B. Pauli nuspiam extant.

ANNOTATIO (7) pag. 121.

Quæ *hac in interrogatione* CVIII et sequente CIX habet Cæsarius, excerpsit seu potius descripsit ex *Recognitionum Clementinarum* lib. IX. cap. XVII et seqq., seu ex Bardesanis dialogo *de Fato*, cujus insigne fragmentum nobis servavit Eusebius *Præpar. Evang.* lib. VI. c. X.

ANNOTATIO (8) pag. 123.

Vim vocis νόθου hoc loco usurpatæ a Cæsario, non est assecutus interpres, adeoque versionem mutilam exhibet. Bardesanes, quem Auctor exscribit, hic habet : Οἴνου καὶ σίκερος (σίκερα) μὴ γενόμενοι. Hinc Cæsarii verbis lux reddita ; quæ proinde sic verterem : *Ne vino mero aut factitio utantur.*

ANNOTATIO (9) pag. 125.

Bardesanes παρὰ Ταΐνοις καὶ Σαρακ. Nec satis noti quos *Elios*

Cæsarius nominat; forte τοὺς ἀπὸ τῆς Ηλιδος intelligit, quam Stephanus πρὸς τῇ Αἰγυπτίᾳ Ολυμπίᾳ, urbem esse ait.

ANNOTATIO (10) pag. 126.

Utique. Duodecim enim in Zodiaco signa. Signi autem cujusque partes a Genethliacis triginta constitutæ, ac tres in Decurias tributæ, quarum principes, *Decani*, et Romanorum militiæ usu nominati, omnes proinde triginta sex.

ANNOTATIO (11) pag. 132.

Hic Cæsarii locus ex *Recognitionum Clementinarum* lib. x. cap. XXIII et seqq. formatus, pessimea librariis acceptus fuit. Sic enim in Vulgatis legitur. Διὴ τοῦ πατραλοία — παραχρίσει φθαρ. Hic vero nihil vidit interpres. Locum prout edidimus, restituit reddidit que Cotelerius ad hunc *Recognit.* locum, qui et suspicatur pro διὰ legendum Διός.

ANNOTATIO (12) pag. 133.

Hæc mutuatus est Cæsarius ex *Recognit.* lib. VIII. cap. XLI, ut ad eum locum monuit Cotelerius.

ANNOTATIO (13) pag. 190.

De hoc celebri dicto, nuspiam in sacris Litteris extante, plura videsis apud Cotelerium ad *Constit. Apostol.* lib. II, cap. XXXVI qui et illud inter alia multa observat, hunc Cæsarii locum ex Palladii *de Vita Chrysostomi* cap. IV, scriptoris Cæsario recentioris, fuisse effictum.

ANNOTATIO (14) pag. 198.

Auctor hic Origenem carpit, quem paulo post manifestius indicat inquiens : Τοῦ τῆς ὀργῆς ἐπωνύμου : ab ὀργῆς nimirum Ὠριγένης deducens.

ANNOTATIO (15) pag. 221.

Memoriæ lapsu Ezechielem pro Isaïa citavit Auctor.

ANNOTATIO (16) pag. 235.

Ραψῳδία ab aliis temere adjecta ad finem verborum Cæsarii. Sunt autem hæc Nysseni.

ANNOTATIO (17) pag. 240.

Memoriæ lapsu Salomoni tribuit hunc locum Cæsarius. Extat enim in Job. VII, 16, juxta LXX.

ANNOTATIO (18) pag. 241.

Hæc aliunde descripta sunt, et Cæsarianis inserta.

ANNOTATIO (19) pag. 254.

Respicit hic Cæsarius ad Epist. ad Philippenses III, 13, 14, ubi sic legimus : *Unum autem, quæ quidam retro sunt obliviscens; ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me ipsum, ad destinatum persequor.* At in vulgato Cæsario placuit editori vitiosa hujusmodi lectio : *Nunquam*

ad ulteriora se pervenisse dicit. Textum emendatum ejusque versionem restitutam proferimus ex Cotelerio *Monum. Eccl. Græc.* tom. II, pag. 672.

ANNOTATIO (20) pag. 281.

Non apud Jeremiam, sed apud Zachariam, cap. XI, 2. locus extat ab Auctore citatus.

ANNOTATIO (21) pag. 286.

Aliter apud LXX. V, 10. Sic nimirum : Οὐ γὰρ ἐργῶνται δέκα ζεύγη βοῶν, ποιήσει κεράμιον ἕν. Vulg. *Decem enim jugera vinearum facient lagunculam unam.*

ANNOTATIO (22) pag. 296.

Hic locus non extat apud Isaïam, sed occurrit apud Zachariam, III, 9.

ANNOTATIO (23) pag. 313.

De corrupta loci hujus lectione non levis suspicio est. Cod. Vat. 4945. *nullum scriba vel fictum;* vetus editio an. 1496. *nullus scriba in eis fictus.* Barthius sic putat restituendum, *ut nullus scribæ in eis sit ictus :* ut sensus sit, neminem singulari admonitione in Hieronymum aliquid de Spiritu sancto garrire volentem fuisse invectum, sed omnes illico indicto prælio ad damnandam ejus imperitiam consensisse. Quæ nobis expositio vix, at ne vix quidem emendatio placet. Sunt qui mallent, *nullus scriba relictus,* quod æque parum arridet. Eapropter vide, num

præstet pro duobus verbis *vel fictus*, legi in uno *velificatus*, quod est *favens*, aut *studiose obsequens*; tunc enim elegantissime alteri membro opponetur alterum, sensusque erit neminem se illi æquiorem præbuisse, sed conspirasse omnes contra. Cicero in Epist. *Ne velificatus alicui dicaris* etc.

ANNOTATIO (24) pag. 340.

Hinc secundum librum auspicantur huc usque editi contra manuscripti fidem, ipsiusque Auctoris, atque Interpretis mentem.

ANNOTATIO (25) pag. 366.

Hinc tertium librum auspicantur editores alii. Absonum vero est maxime, quod a media Isaïæ loci expositione incœperint.

ANNOTATIO (26) pag. 440.

Elogium aliquando idem significat, ac formula quædam condemnationis.

CONCORDANTIA

BIBLIOTHECÆ LATINÆ CUM GALLICA.

BIBLIOTHECA LATINA.	BIBLIOTHECA GALLICA.
Didymi cæci opuscula. p. 315.	Vide de eodem, tom. v, p. 123-125.
S. Phœbadii opera. 409.	Ejusdem fragmenta, ibid, p. 296-302.

INDEX

TOMI QUINQUAGESIMI TERTII.

S. CÆSARII

DIALOGI IV.

In quibus continentur explicationes quarumdam quæstionum de rebus gravibus, propositarum Cæsario per Constantium, Theocharistum, Andream, Gregorium, Domnum, Isidorum, Leontium, quo tempore Cæsarius a secretis erat, et Constantinopoli docens, viginti totos annos commorabatur.

	Pagin.
Dialogus I.	7
Dialogus II.	111
Dialogus III.	137
Dialogus IV.	269

DIDYMI CÆCI DOCTORIS ALEXANDRINI

DE SPIRITU SANCTO LIBER UNUS.

Præfatio S. Hieronymi presbyteri in librum Didymi de Spiritu sancto.	313
Liber de Spiritu sancto.	315

LIBER CONTRA MANICHÆOS.

I. Contrariorum ex integro nulla oppositio.	385
II. Principium malum non est ingenitum, quia corruptibile.	386
III. Homines, filii iræ.	387

IV. Prudentia filiorum sæculi. 388
V. Corpus peccati quomodo fiat. 389
VI. Si corpus natura malum, sanctificationem non recipit. Corpus sanctificari potest. 390
VII. Christus cur ex virgine ortus? Locus Apostoli in Manichæos vexatus. Similitudo carnis peccati, ex coitu orta. 391
VIII. An nuptiæ malæ? Caro peccati, carnali copula propagata, cujus a peccato ortus existat. Fidelium in Christo nuptiæ. 392
IX. Virginitatis encomium. Malum comparatione, ipsum bonum. Virtutis comes ac fidei, persecutio. Pro virium ratione, Christiano lucta gravior. 393
X. Voluntates non sunt substantiæ malæ. Animorum genera et species nuncupata a prava voluntate. 394
XI. Diabolus voluntatis nomen ejusque pravitatis. Judas, diabolus. Judas, bonus electus, factus voluntate malus et diabolus. Diabolus, accusator et calumniator. Satanas adversarius. ibid.
XII. Mali nomen, ut diaboli et satanæ, voluntatis. Diabolus creatus liber, ut esset sponte bonus. 35
XIII. Deus non est auctor peccati. Omnes animi, boni et creati et ad bonum. Artis abusus et legum, ipsis invitis et innoxiis. 397
XIV. Inconsona Manichæorum deliria. Peccatum diaboli, non ingenita malitia, sed sponte longe a creatione assumpta. 398
XV. Eorum pœnitentia, quibus malum a voluntate est. 399
XVI. Genimina viperarum facti, qui posteri Abrahæ. ibid
XVII. Peccator in eo ipso quod peccat, præsens habet supplicium, quo afficiendus. 40
XVIII. Promissio et supplicium, sunt bona. 402

S. PHŒBADII AGINNENSIS

LIBER CONTRA ARIANOS.

Caput I. Disputationis occasio et argumentum. 409
— II. Arianorum fallaciæ. 410
— III. Venenum melle litum. ibid.
— IV. Deus unus aut nullus. Cæci hæretici. 411
— V. Arianorum blasphemiæ. Epistola Potamii. 412
— VI. Nicæna synodus. Veritas incorrupta. 414

Caput VII. Substantiæ vox explicatur. 414
— VIII. Hæreticorum objectiones solvuntur. 415
— IX. Ignota Christi nativitas. Christus ex Deo, in Deo, cum Deo. 416
— X. Doctrina hujusmodi exponitur. Verbis, non sensu, hæretici nobis conveniunt. 417
— XI. Per Spiritum Dei secreta cognoscimus. 418
— XII. Mali doctores quid sentiant, quomodo pugnent. 419
— XIII. Christus speculum Dei majestatis, plenam Patris imaginem reddit. Sabellii hæresis. 421
— XIV. Ex sacris Litteris doctrina catholica confirmata. 422
— XV. Ambigue loquuntur hæretici. Unus Deus. In Patre Deo Filius Deus. 423
— XVI. Filius, imago ingeniti Dei, non potest cœpisse post Deum. Pater non est sine Filio. 424
— XVII. Hæretici quidquid de Patre negant, de Filio confitentur. Quomodo visibilis Deus Filius. 426
— XVIII. Filius Dei unitatis vinculum servans cum Patre, in terris hominem gestabat, neque a cœlis aberat. 427
— XIX. Ariomanitæ aliud ore, aliud corde sentiunt. 428
— XX. Alius a Patre Filius, distinctione, non divisione personarum. Sermo Dei, non sonus vocis, sed res substantiva. 429
— XXI. Locus *Rom.* XI. 36. expositus. 430
— XXII. Quid Patropassiani? quid Ariani? fidei regula quæ? 431
— XXIII. De Hosio episcopo Cordubensi judicium Auctoris. 432

TRACTATUS DE FIDE ORTHODOXA.

CONTRA ARIANOS.

I. Confessio fidei. 435
II. Prologus. 436
Caput I. Nihil periculosius iis hæreticis, quibus multa nobiscum paria sunt. Hi cum integre per omnia decurrere videantur, una tantum verbo simplicem fidem inficiunt. Sublato nomine *substantiæ*, quod isti de evangelica et apostolica fide patrumque traditione auferre volunt, subtiliter Ariana hæresis intromittitur. Qua ratione istud nomen tollere laborarint. 439
— II. De Arianorum hæreseos confutatione per firmissimas rationes, et evidentia sacræ Scripturæ testimonio. Ita Deum Filium de Deo ponunt, ut ex Deo factus sit, non ex Deo genitus. Vocabulum ὁμοούσιον auferunt, eique ὁμοιούσιον substituunt. Illam sapientiam, quæ Dei Filius est, creaturam intelligunt. 440

Caput III. Solvuntur argumenta quibus Ariani hæresim suam astruunt, dicentes potissimum propterea ὁμοούσιον admitti non oportere, quod in Scripturis divinis non contineatur. 444

— IV. Quo argumento Ariani Deum non esse substantiam probare contendant. Ejusdem argumenti dissolutio. 447

— V. Cum unitas substantiæ in Patre et Filio, non solum prophetica, sed et evangelica auctoritate comprobetur, dici non potest in sacris Litteris ὁμοούσιον non inveniri. Quæ sit ratio nominis. Propterea, si ad aliquam similitudinem velit Arianus in Deo comparationem instituere, non potest expressius comparatum definire, nisi cum dicat, *lumen ex lumine.* 450

— VI. Quid sit Deus. Utrum ei aliquid possit comparari. Ratio quædam est, quæ apud Græcos Λόγος nominatur, quæ inter Patrem et Filium personas vel vocabula distinguit. Illa ratio multis nominibus appellatur. Qua de causa singula de Filio dicantur. 451

— VII. De remotione occasionis erroris quam hæreticus homo ex hoc capere posset, quod duo nomina vel duæ personæ, id est, Patris et Filii, statuantur, quasi duo dii dicantur. 453

— VIII. Hæreseos arianæ mysterium detegitur. Cur Filium de substantia Patris credi nolint. Arianis argumentis respondetur. Multum interest inter ea quæ facta sunt, et eum qui omnia fecit. Quemadmodum in multis ac variis figuris Deus se patribus ostenderit, qui tamen secundum Deitatem videri non potuit. Disputationis conclusio. 456

LIBELLUS DE FIDE.

Caput unicum. 463

Annotationes. 465
Concordantia. 471

EXPLICIT INDEX.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA
9829.